732

I

WiMBP
Opole

268 st.

Akc K Nr 93/68/C

# M. T. CICERONIS
## ORATIONVM VOLV-
## MEN TERTIVM.

*Cum gratia & priuilegio Cæsareo.*

*ARGENTORATI*
*ANNO LXXVIII.*

# AD MICHAELEM COMITEM VVERTHEImensem Ioannis Sturmij Præfatio.

GRATISSIMAE mihi fuerunt literæ tuæ, non solum quia propensum tuum erga me animum ex his cognoscere potui: sed etiã quia & literatæ erant, & prudentes: id quod in primis in oratione diserta spectare soleo. Ac quoniam egregia tua voluntas est, & præclara natura, & ætas idonea: te etiam atque etiam adhortor: vt omne studium tuum, & ad bonarum rerum doctrinam, & ad rationem dicendi, quæ sapientiæ est exornatrix, adhibeas. Si enim artes non solum propter vtilitatem, sed etiam propter honestatem discendæ sunt: in primis adiungi debet quæ ipsæ maximè honestantur, artificiosa oratio. Sed quia sermo Latinus de consuetudine sublatus est, neq; solum linguæ hominum in congressionibus, sed etiam stilus in bibliothecis multorum, acumẽ elegantiamq; amplius non habet: imitandus tibi is est, qui optimus semper est habitus, M. T. Cicero: sine quo eloquẽs nemo nũc esse potest. Atq; hoc tibi argumẽto sic Ciceronem adimitandum non solum vtilem, sed etiam perneccssarium esse: quod absque cæteris scriptoribus dicendi rationem perfectam assequi possumus: absq; hoc vero nõ possu-

ij

mus. Primum igitur sic velim statuas, optimũ hunc dicendi magistrũ esse, & summum ornatæ orationis artificem. Deinde vt cogites de principio, qua via huiusmodi facultatem assequaris, vt ornate, copiose, & congruenter de rebus scribere, ac disserere possis. In imitando enim non modo labore, sed etiam ratione est opus: multiq; prolaude quam inuenire voluerunt, etiã eam quã habuerunt existimationẽ, vitiosa imitatione amiserunt: et naturã quæ ratione emendanda erat, fucoso ornatu corruperunt. Sed quæ sit imitandi via & ratio, aliàs explicabimus: nunc vero angustijs temporis impediti, ne paucis quidẽ possumus percurrere. Bene tu quidem à natura institutus es: sed eam contrarijs his rebus quibus corrũpitur oportet conseruare. Industriam enim bona indoles, & exercitationẽ, & temperantiã flagitat: desidiosi vero, & rudes, & intemperantes, etiã si præclaro ingenio præditi sint, tamen vim omnẽ animi vitijs labefactant. Sit igitur is qui se Ciceronis imitatorẽ profiteri audet, ita comparatus: vt laborem amet, exercitationes non relinquat, bonitatem naturæ, ipso vitæ genere tueatur. Quapropter ebrietas, & familiaritates malorũ, vitandæ sunt: semperq; aliquid agendũ: & statuendum est literatorũ hominũ studia, perpetuã quandam quasi venationem vt vult apud Platonem Socrates, esse. Primus vero exercitationis labor, in conquisitione verborũ suscipiendus est. Origo enim eloquentiæ est verborum delectus. Sed hæc copia ex optimis scriptoribus est comparanda. Reprehẽdit Cicero in Tironis epistola valetudini sideliter inseruire. & Antonij quædã verba male cõnexa vituperauit: quid si nunc ad nos rediret? non tam, vt credo, libertatẽ sui pop. amissam, quàm sermonem corruptũ doloret. Ergo is proponatur, quem cõstat omnium optime & scripsisse, et dixisse, & locutum esse: & ad cæteros nõ digrediamur, quàm ex Ciceronis scriptis, verba, verborumq; consecutiones, & sententiarum formæ sint conquisitæ. Quæ vero colligendi ratio sit Christophorus Schaubius doctor tuus, nouit: & opinor iã te ingressum in hanc viam, sed opus est constantia, neq; quicquã magis impedit nostrorũ studiorum cursum, quam consiliorum mutatio. Verborum curã ratio arsq; dicendi sequitur, quæ ab Aristotele & Cicerone tradita est: sed neq; verba vim suam explicare, neq; ars multum conducere potest absq; plurimarũ rerũ doctrina: quamobrẽ legendi Philosophi atq; Historici sunt: neq; alienũ ab eloquentia habendum est, quod eam queat locupletare. Nam illa rhetorum præcepta, quæ quidẽ nos habemus, neq; omnia explicant, & rerum tractationem non res ipsas tradũt: & ita tractationẽ indicãt, vt ingenioſi homines & sõlertes, plura ornamenta, & res maiores in oratorum scriptis obseruant, quam dicendi magistri suis libris sint complexi. Sed in legendis cæterorum libris, neque temere ea multiplicanda sunt, quæ ex Cicerone coaeruasti: neq; quæ desunt ex alijs sine causa sumẽda. Exercitato ingenio opus est, quod iudicet quid Latinum sit, & quid eruditorũ hominũ aures non offendat. Itaque omnibus in rebus magistro est opus: quẽ quoniã & studijs & artibus, & doctrina præditũ habes: debes eum gratissimo animo pſequi: et pro oraculo habere, quodcunq; tibi ab eo consulitur. Vides quadripartitã industriæ mẽtisq; exercitationem: quarũ prima virtutis est: altera verborũ: tertia artis: postrema doctrinæ & sapientiæ, in qua doctore, & præmonstratore est opus: vt

animus ab alio condocefactus à vera rectaq; via nõ aberret. His omnibus, scribendi, cõmentandi, dicendiq; cõsuetudo adiuncta, & comparari facilius, & ad vsum accommodari melius, & teneri memoria diutius, & ornari magnificentius possunt. Statuere enim oportet, neminem præclarũ scriptorẽ absq; stylo extitisse. Verum etiã in hac re et monitore, & magistro est opus. Est enim plena fastidio scribendi exercitatio præsertim incipienti: & nisi monstrator aliquis viã indicet, qui illam non inuenit, quo longius progreditur, eo languidior atq; enervatior euadat necesse est. Percurri breuiter ea quæ futurum oratorẽ habere potissimũ oportet: sunt alia etiã multa & magna, quæ in singulis latent, sed ea exponere, quemadmodũ diximus, non huius est loci: tu vero Michael Comes perge porrò, vt cœpisti, tuæ fortunæ, doctrinam, sapientiamq; cõiungere. Patrem habuisti Georgium Vuertheimensem Comitẽ, prudentissimum & disertissimũ hominem: habes matrem honestissimam matronã, quotidie præsentem, lætantemq; tuis progressibus: habes Erasmũ patruum, qui nunquã tui sine summi amoris & charitatis significatione meminit. accessit etiam magister talis, qualem pauci hodie tui ordinis adolescentes habent: vides matris spẽ & vota, cognatorũ studia & voluntatẽ, amicorum expectationem & promissionem: præceptoris vero doctrinam atq; diligentiã his te satis facere oportet, vt ex vestra gente aliquando fortissimũ virum, prudentissimũ hominem, literatissimum heroa habeamus. tũ vere Comes eris, cum homines intellexerint, & te virtutis assectã, et sapientiæ amatorem esse, quæ duo viri boni omnibus Imperatorum honoribus anteponunt.

## LIBRARIVS.

Sunt quædam non inutiles incommoditates. Conati sumus elaborare vt Aldinis exemplaribus, nostra adæquarentur. Id in Sestiana & Vatiniana fieri nõ potuit: in quibus quoniam multa restituta sunt, coacti sumus non nostræ voluntati, sed communibus vtilitatibus obtemperare. Numerum tamen retinuimus, & ea quæ interposita sunt notauimus. si id peccare est, verum esset multos esse vtiles errores, & necessaria vicia.

SÆpe ego mecum Sadolete, tum à natura editas, tum ab hominibus inuentas res animo reputans, eundem in omnibus certa quadam ratione seruari ordinem, ac progressum animaduerto. Primo quidem paruo quodā à principio ortum omnes trahunt. tum deinde augescentes eò paulatim per gradus quasi quosdam perueniunt, quod in vniuscuiusq; natura perfectissimum est. tum vero, postquam id adeptæ fuerint, referri rursum, ac senescere incipiunt: atque ita sensim minui: vt postremo ad interitum etiam dilabantur. id & in natis è terra stirpibus, & in omni animantum genere intueri licet. quæ vt imbecilla primo in lucem exierunt: hinc vires in dies sumant, mox quæ acquisierint paulatim dependant, ac conficiantur deniq; necesse est. neq; vero fieri potuit, vt non eandem hanc conditionem omnes item artes, omnia opera, omnia inuenta hominum sequerentur. sed & hæc cum ab ortu adoleuerint: eadem postea vetustate tandem extabescunt. tulit hanc scilicet legem natura: quæ nulla vnquam vi abrogari posset: sed vna sine vlla exceptione inferiora hæc omnia necessitate quadā immutabili contineret. Ac ne multis ego exemplis conquirendis longius in re manifesta immorer, quàm necesse est: vel ex ipsa id Eloquentia, cuius causa hæc à nobis dicta sunt, cognosci potest. Hæc (vt græcos omittam: quibus tamen

hoc idē euenisse reperietur) cum primum Romæ exorta est: per parua quædā incrementa longo tempore paulatim sē ad summum euexit cum rudis antea, & propè infans esset: primus Cato ei multum addidit. longius Galba, Porcinna, Carbo, Gracchi prouexerunt. græcorum eam gloriæ Antonius, Crassus, Hortensius æquauerunt. ita summa demum illi manus ab Cicerone imposita est: vt nihil præterea cuiusquam neq; ingenio, neq; industria, neq; vllo doctrinæ genere addi posset. Ab eo ruere, & ferri in peius cœpit. ac primo quidem, sublata è ciuitate pax, & ea, cum qua simul creuerat, extincta libertas est. nam cum bellis cuncta ciuilibus diutius agitata essent: eorum denique finis fuit: vt oppressa tandem post multas ciuium clades Respublica in vnius potestate concesserit. tum vero cum omnia ex vnius nutu penderent: nulla maiorum more iudicia exercerentur: nullæ in senatu sententiæ, aut eæ certe nō liberæ dicerentur: nullæ ad populum conciones haberentur: sed omne penitus sublatum Eloquentiæ theatrum esset: alijs quibusdam artibus, & his prauis plerunq; ac flagitiosis summa omnia homines consequerentur: simul præclarissimæ artis restingui indies studium, simul ea euanescere paulatim cœpit. Post vero cum illa omnium populorum victrix, ac totius terrarum orbis imperio diu potita, eò tandem (vt humanarum rerū vices sunt) redacta gens esset: vt nulli non nationi contemptui ac prædæ esset: ac nouæ quotidie, & eæ ab omnibus vanitate alienæ gentes, vel ab extremis etiam orbis finibus, Italiam deuastarent: extincto latinæ linguæ vsu, deleto penè Romano nomine, factum est, vt è tot cladibus vix vmbra quædam ad nos Eloquentiæ peruenerit. Sed & hæc etiam penè è manibus nuper elapsa, penè omnis funditus extincta est. quam enim post tot incommoda recreari iam aliquantū decuit: eam noua quædā calamitas excepit. exorta opinio est: & ea per plurimorum iam animos pernasserat: vt nemo satis eruditus, nemo satis vllo doctrinæ genere excultus iudicaretur, qui cognitis, & vsitatis verbis vteretur. hi demum præclare locuti, hi omni laude, omni admiratione digni præter cæteros putabantur: qui ita aliquid scripserant: vt vix id percipi ab vllo posset imperiti quidā & nullo vsu, nullo ingenio homines, cum ea plerunque plurimi fieri vulgi iudicio viderent, quæ ab omnibus ignorarentur: nec sibi aliud ad commendationem hominum patefieri iter animaduerterent: eò se posse per tenebras peruenire arbitrati sunt: quo pauci luce potuissent. quod cum primo illis in maxima latinæ linguæ, atq; omnium bonarum artium insciti a recte cessisset: tum non pauci eos secuti eò tandem rem adduxerant: vt breui tempore vetterem illā dicendi gloriam hac caligine obrui, atq; aboleri penitus necesse esset. nullas hi nō vetustatis latebras perscrutabantur. hinc verba vel ipsi etiam Romulo, & priscis illis latinis iam tum obsoleta, & desita proferebant. quin vt obscuriora ea essent, quæ dicerent, græca etiam sæpe pleraq;, sæpe barbara congerebant. digni qui eo natura munere, quo tam male abutebantur, omnino carerent. cum enim ob id nobis sermo datus sit: vt hoc ea, quæ animo occultantur, depromi possint: quid fieri alienius potest? quàm ita quenquam loqui: vt nihilo magis intelligatur, quàm si omnino nihil loqueretur. nulla vnquam res magis omnem euertere eloquentiam potuit. quippe & labefactatæ iam ac

propè

propè dirutæ inciderat: & sublata verborum elegantia ipsum etiam illius solum, ac fundamenta eruebantur. Quid? quod insolentibus & sordidis illis verbis hæ sententiæ suberant: vt recte hoc saltem fecisse videri queant: quod tam abiectas res tam sedulo tantis verborum tenebris occultarint. Sed bene id profecto cecidit, quod non melior huic quàm cæteris rebus conditio data est. cum late serperet: ac non paruam iam Italiæ partem occupasset: atq; vbiq; iam sceterrarum diffunderet: medio in cursu concidit. nonnulli his scilicet seviri doctissimi, vt infestissimis latini nominis hostibus obiecerunt. quorum ope factum est: vt fœda illa barbarie profligata, ab propinquo iam interitu Eloquentia vindicata sit. & initium quidem bene gerendæ rei ab Romanis ortum est: vna Roma, quasi tutissima arx quædam fuit: à qua semper hæc labes reiecta sit: quo nullo vnquam conatu irruperit. hic tanquam pro aris, ac focis summa vi certatum est, vt, cum cætera à maioribus tradita, amissa essent: hæc saltem parentum laus retineretur. represso igitur fœdissimorum hostium impetu, facilior de illis victoria facta est. Ac ne omnes à me hi, quorum egregia in hac re opera extitit, commemorentur: tu certe præter cæteros acerrime illos semper insectatus es: tu afflictam semper eloquentiam protexisti: tu tuis scriptis, quorum nemo non maxime elegantiam admiratur, quæ illius, quæ Latinæ linguæ vox esset, ostendisti. factum est igitur, vt nemo iam tota Italia sit, qui obscurum id, & incultum dicendi genus non magnopere contemnat: qui non vnum sibi maxime Ciceronem, tum vt quisque Ciceroni simillimus est, & sæpissime perlegendos, & omni studio sequendos putet.

Quin & transalpinæ etiam nationes iam se nobis coniunxerunt: nec minus ab his feliciter arma pro latino nomine sumpta sunt. vt reliquos ex his omittam, tu ille è tuis castris profectus, tuis præceptis instructus, tuis monitis excitatus Longolius ita rem gerit: ita longius quotidie Romanæ linguæ fines profert: & ea ab alijs item nonnullis operæ nauatur: vt si id desperandum sit, posse aliquando Eloquentiam, in antiquã illam, è qua deiecta est, restitui dignitatem: id certe affirmari possit: eam linguam, quæ quondã, tum, cum maxime floruit, Italiæ tantum finibus continebatur: nunc breui tempore in nullas non totius orbis partes, peruenturam. neq; tamen cessandum est: sed si vsquam latet: & vbique locorum perquirenda, & omni ratione eyciendæ penitus hæc pestis est. Ego quidem quantum in me virium est: id omne in hanc rem confero: & cum maiora non audeam, id saltem enitor: vt Ciceronis scripta, quæ incuria quadam ac vetustate deformata circunferuntur, ex antiquis exemplaribus meo labore suæ dignitati reddantur: & emendatiora in lucem prodeant. atq; alia quidẽ aliâs. nunc eius orationes damus. quarum cũ duo iam volumina alterum Leoni X. alterum Petro Bembo missum sit: tertium hoc Sadolete sub tuo nomine in manus hominũ perueniet. Recte tu mihi Bembo adiungi visus es. ambo eiusdem Pontificis à secretis estis: ambo & literis, & omni morũ elegantia præstantissimi: quin eo etiam inter vos amore deuincti: vt exemplo esse possitis, nullum esse ad confirmandã amicitiam arctius vinculum, quàm morum similitudinem, ac studiorum societatẽ. Sed & ego tanti te facio: vt egregias tuas virtutes neq; admirari, neq; de his, quoties aliqua offertur occasio,

casio, prædicare vnquam desinam id adeo cum mea ipse sponte libens facio: tum eò libentius etiam, quod nihil arbitror posse à me Bembo gratius accidere. multa mihi cũ illo ac magna necessitudinis causa intercedunt. coniunxit patria communis vtriusq; nostrum pareus. mea quædam præstantis ingenij admiratio, & non alienus illius à me animus coniunctiores fecit. auctam in dies beneuolentiam assidua familiaritas cõfirmauit. plurimis illius in me meritis hæc omnia cumulata sunt. quam ob rem, vt nihil me aliud ad id impellat: qui possum non summa te beneuolentia prosequi? cuius summa cum amicissimo mihi viro coniunctione nihil sit illustrius, cum vero animi ad id tui ea etiam accedant ornamenta: quæ vel ignotos etiam vt amemus cogere consueuerunt: quam tandem meam in te esse voluntatem decet? eam scilicet, quæ & amicissimo, & omni laude præstantissimo viro debetur. accipe igitur paruum hoc mei in te amoris pignus: neq; eum tamen ex hoc metiri velis. sed ex eo potius: quod profectus à Leone Pontifice Max. cui literarum amantissimo omnia literarũ monimenta deberi videntur: & Petro Bembo, cui ego omnia debeo: neminem habui, quem tibi præferendum putarim.

## INDEX TERTII VOLVMINIS.


| | |
|---|---|
| Pro P. Sestio. Oratio XXXIII. | 3 |
| In Vatinium. Oratio XXXIIII. | 29 |
| Pro M. Celio Oratio XXXV. | 36 |
| Pro L. Cornelio Balbo. Oratio XXXVI. | 55 |
| De prouincijs consularibus. Oratio XXXVII. | 69 |
| In L. Pisonem. Oratio XXXVIII. | 79 |
| Pro T. Annio Milone. Oratio XXXIX. | 101 |
| Pro C. Rabirio Posthumo. Oratio XL. | 123 |
| Pro M. Marcello. Oratio XLI. | 131 |
| Pro Q. Ligario. Oratio XLII. | 137 |
| Pro Rege Deiotaro. Oratio XLIII. | 145 |
| In M. Antonium Philippica prima. Oratio XLIIII. | 153 |
| In M. Antonium Philippica II. Oratio XLV. | 160 |
| In M. Ant. Philip. III. Oratio XLVI. | 183 |
| In M. Ant. Philip. IIII. Oratio XLVII. | 191 |
| In M. Ant. Philip. V. Oratio XLVIII. | 194 |
| In M. Ant. Philip. VI. Oratio XLIX. | 205 |
| In M. Ant. Philip. VII. Oratio L. | 209 |
| In M. Ant. Philip. VIII. Oratio LI. | 214 |
| In M. Ant. Philip. IX. Oratio LII. | 221 |
| In M. Ant. Philip. X. Oratio LIII. | 225 |
| In M. Ant. Philip. XI. Oratio LIIII. | 230 |
| In M. Ant. Philip. XII. Oratio LV. | 239 |
| In M. Ant. Philip. XIII. Oratio LVI. | 246 |
| In M. Ant. Philip. XIIII. Oratio LVII. | 258 |
| Epistol. ad Octauium. | 268 |
| Crispi Salustij in Ciceronem Oratio. | 270 |
| M. Tully Ciceronis in Salustium responsio. | 272 |

# M. TVLLII CICERONIS PRO P. SESTIO. ORATIO XXXIII.

SIQVIS antea Iudices mirabatur: quid esset, quod pro tãtis opibus Reip. tã tãq; dignitate imperij, nequaquam satis multi ciues, fortí & magno animo inuenirentur: qui auderẽt se, & saluti suã in discrimen offerre pro statu ciuitatis, & pro cõmuni libertate: ex hoc tempore miretur potius, si quẽ bonum & fortem ciuem viderit: quàm si quẽ aut timidũ, aut potius sibi, quàm Reipub. consulentem. nã vt omittatis de vniuscuiusq; casu cogitando recordari: vno aspectu intueri potestis eos, qui cũ Senatu, cũ bonis omnibus, Rempublicam afflictã excitarint, & latrocinio domestico liberarint: mœstos, sordidatos, reos, de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes. eos autem, qui omnia diuina, & humana vexarint, violarint, perturbarint, euerterint: non solũ alacres, lætosq; volitare: sed etiã voluntarios fortissimis, atq; optimis ciuibus periculum moliri: de se nihil timere. In quo cũ multa sint indigna, tum nihil minus est ferendum: quàm quod iam non per latrones suos, non per homines egestate, & scelere perditos, sed per vos nobis, per optimos viros optimis ciuibus periculum inferre conantur: & quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copijs delere non potuerunt: hos vestra authoritate, vestra religione, vestris sententijs se oppressuros arbitrantur. Ego autem Iudices qua voce mihi in agendis gratijs, commemorandoq; eo-

rum, qui optime de me sunt meriti, beneficio esse vtendum putaui: ea nunc vti cogor in eorũ periculis depellendis. his potissimum vox hæc seruiat: quorum opera & mihi, & vobis, & populo Ro. restituta est. Et quanquã à Q. Hortensio clarissimo viro, atq; eloquẽtissimo causa est P. Sestij perorata: nihilq; ab eo prætermissum est: quod aut pro Rep. conquerendum fuit, aut pro reo disputandum: tamen aggrediar ad dicendum: ne mea propugnatio ei potissimum defuisse videatur: per quem est perfectum, ne cæteris ciuibus deesset. Atq; ego sic statuo Iudices: à me in hac causa, atq; hoc extremo dicendi loco pietatis potius, quàm defensionis: querelæ, quàm eloquentiæ: doloris, quàm ingenij partes esse susceptas: ita q; si aut acrius egero, aut liberius, quàm qui ante me dixerunt: peto à vobis, vt tantum orationi meæ concedatis: quantum & pio dolori, & iustæ iracundiæ concedẽdum putetis. Neque enim vnquam officio coniunctior dolor esse vllius potest: quam hic meus, susceptus ex hominis de me optime meriti, periculo: neq; iracundia magis vlla laudanda: quã ea, quæ me inflammat eorum scelere: qui cum omnibus salutis meæ defensoribus bellũ esse sibi gerendum iudicauerunt. Sed quoniam singulis criminibus cæteri responderunt: dicam ego de omni statu P. Sestij, de genere vitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conseruandæ salutis communis, atque otij: contendamq; si modo id cõsequi potero, vt in hac confusa, atque vniuersa defensione, nihil à me, quod ad vestram quæstionem, nihil quod ad reum, nihil quod ad Rempublicam pertinet, prætermissum esse videatur. Et quoniam in grauissimis temporibus ciuitatis, atque in ruinis euersæ, atque

afflictæ



afflictæ Reipublicæ, P. Sestij Tribunatus est à fortuna ipsa collocatus: non aggrediar ad illa maxima atq; amplissima, priusquã docuero, quibus initijs ac fundamẽtis, hæ tantæ summis in rebus laudes excitatæ sunt.

Parente P. Sestius natus est Iudices homine, vt pleriq; meministis, & sapiente, & sancto, & seuero. qui cum Tribunus pl. primus inter homines nobilissimos temporibus optimis factus esset: reliquis honoribus nõ tam vti voluit, quàm dignus videri. eo authore duxit honestissimi, & spectatissimi viri, C. Albini filiam: ex qua hic est puer, & nupta iam filia. duobus grauissimis antiquitatis viris sic probatus fuit: vt vtriq; eorum & charus maxime & iucundus esset. ademit Albino soceri nomen, mors filiæ: sed charitatem illius necessitudinis & beneuolentiam nõ ademit. hodie sic hunc diligit: vt vas facillime potestis ex hac vel assiduitate eius, vel sollicitudine, & molestia iudicare. duxit vxorem patre viuo optimi, & calamitosissimi viri filiam, L. Scipionis. clara in hoc P. Sestij pietas extitit & omnibus grata: quod, & Massiliam statim profectus est, vt socerũ videre consolariq; posset fluctibus Reipublicæ expulsum, in alienis terris iacentem, quem in maiorũ suorum vestigijs stare oportebat: & ad eum filiã eius adduxit: vt illo insperato aspectu, complexuq; si non omnẽ, at aliquam partem mœroris sui deponeret: & maximis officijs & illius ærumnam, quoad vixit, & filiæ solitudinem sustentauit. possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officijs, de Tribunatu militari, de prouinciali in eo magistratu abstinentia. sed mihi ante oculos obuersatur Reipubl. dignitas, quæ me ad se rapit: hæc minora relinquere hortatur. Quæstor hic C. Antonij

collegæ mei Iud. fuit sorte, sed societate consiliorũ meus. impedior nonnullius officy, vt ego interpretor, religione: quominus exponã quàm multa ad me detulerit: quanto ante prouiderit. Atq; ego de Antonio nihil dico, præter vnum: nunquã illum in illo summo timore, ac periculo ciuitatis, neq; cõmunem metum omnium, neq; propriam nonnullorum de ipso suspicionem, aut inficiando tollere, aut dissimulando sedare voluisse. In quo collega sustinendo atq; moderando, si meam in illum indulgentiam coniunctam cum summa custodia Reip. laudare vere solebatis: par prope laus P. Sestij esse debet: qui suũ ita consulẽ obseruauit: vt & illi Quæstor bonus, & vobis omnibus optimus ciuis videretur. Idem cum illa coniuratio ex latebris, atq; ex tenebris erupisset, palamq; armata volitaret: venit cum exercitu Capuam: quã vrbem propter plurimas belli opportunitates, ab illa impia, & scelerata manu attentari suspicabamur: & inde M. Aulanũ Tr. mil. Antony Capua præcipitẽ eiecit, hominem perditũ, & non obscure, Pisauri, & in alys agri Gallici partibus, in illa cõiuratione versatũ. Idemq; C. Marcellum, cũ is non solum Capuam venisset: verũ etiã se quasi armorum studio in maximam familiã conieciisset, exterminandũ ex illa vrbe curauit. qua de causa & tum conuentus ille Capuæ, qui propter salutẽ illius vrbis consulatu conseruatam meo, me vnum patronum adoptauit: huic apud me P. Sestio maximas gratias egit: & hoc tempore y dẽ homines nomine cõmutato coloni decurionesq; fortissimi atq; optimi viri, beneficium P. Sestij testimonio declarant: periculumq; suo decreto deprecantur. Recita quæso P. Sesti quid decreuerint Capuæ Decuriones: vt iam virilis tua vox possit aliquid signi-

Obseruatio.



significare inimicis nostris: quid nã cum se corroborarit effectura esse videatur, DECRETVM DECVRIONVM. Non recito decretum officio aliquo expressum vicinitatis, aut clientelæ, aut hospitij publici, aut ambitionis, aut cõmendationis gratia: sed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem amplissimi beneficy, vicẽ officij præsentis, testimonium præteriti tẽporis. Atq; illis temporibus ijsdem cum iam Capuam metu Sestius liberasset: vrbem Senatus atque omnes boni, deprehensis atq; oppressis domesticis hostibus, me duce ex periculis maximis extraxissent: ego literis eum Capua accersiui cum illo exercitu: quem tum secũ habebat. quibus hic literis lectis, ad vrbem confestim incredibili celeritate aduolauit. Atq; vt illius temporis atrocitatem recordari possitis: audite literas: & vestram memoriam ad timoris præteriti cogitationem excitate. LITERAE CI. CONSVLIS. Hoc aduentu P. Sesty Tribunorum pl. nouorum, qui tũ extremis diebus Consulatus mei res eas quas gesseram, vexare cupiebãt: reliquiq; coniurationis impetus & conatus sunt retardati. Ac posteaquam est intellectum Catone tribuno pl. fortissimo, atq; optimo ciue Rempub. defendente, per seipsum S. P. Q. R. sine militũ præsidio tueri facile maiestatẽ suam, & dignitatem eorum, qui salutem communem periculo suo defendissent: Sestius illo suo exercitu summa est celeritate Antonium consecutus. Hic ego quid prædicem, quibus hic rebus Consulem ad rem gerendam excitarit? quot stimulos admouerit homini fortissimo studioso victoriæ, sed tamen nimium communem Martem belliq; casum metuenti? longum est dicere. sed hoc breue dicam. si M. Petrei non excellens animo &

amore Reipub. virtus, non summa authoritas apud milites, non mirificus vsus in re militari extitisset: neq; adiutor ei P. Sestius ad excitandum Antonium, cohortandum, impellendũ, fuisset datus: illo in bello esset hyemi locus, neq; vnquã Catilina cum è pruina Apennini atq; è niuibus illis emersisset, atq; æstatẽ integrã nactus Italiæ calles & pastorum stabula prædari cœpisset: sine multo sanguine ac sine totius Italiæ vastitate miserrima concidisset. Hunc igitur animum ad tribunatum attulit P. Sestius: vt Quæsturam Macedoniæ relinquã, & aliquando ad hæc propiora veniam. quanquã nõ est omittenda singularis illa integritas prouincialis: cuius ego nuper in Macedonia vidi vestigia non pressa leuiter ad exigui prædicationẽ temporis, sed fixa ad memoriam illius prouinciæ sempiternam. Verum hæc ita prætereamus: vt tamen intuentes & respectantes relinquamus. Ad tribunatum quia ipse ad sese iamdudũ vocat, & quodammodo absorbet orationem meam: contento studio cursuq; veniamus. De quo quidem tribunatu ita dictũ ab Hortensio: vt eius oratio non defensionẽ modo criminum non videretur continere: sed etiam memoria digna vti, & Reipub. capessendæ authoritatẽ disciplinamq; præscribere. Sed tamen quoniam tribunatus quidem totus P. Sesty nihil aliud nisi meum nomen causamq; sustinuit: necessario mihi de iisdem rebus esse arbitror, si non subtilius disputandum, at certe Iudices dolentius deplorandũ. qua in oratione si asperius in quosdam homines inuehi vellem: quis non concederet? vt eos quorum sceleris furore, violatus essem: vocis libertate perstringerem? sed vt agam moderate, & huic potius tempori seruiam, quàm dolori meo: si qui occulte

à salute



à salute nostra dissentiunt, lateant. si qui fecerũt aliquid aliquando, atq; y dẽ nunc tacent, & quiescunt: nos quoque simus obliti. si qui se offerunt insolenter & insectantur: quoad ferri poterunt perferemus: neq; quenquã offendet oratio mea: nisi qui se ita obtulerit, vt in eum non inuasisse, sed incurrisse videamur. Sed necesse est antequam de tribunatu P. Sesty dicere incipiam: me totũ superioris anni Reipub. naufragium exponere. In quo colligendo, ac reficiendo saluti communi omnia reperiẽtur P. Sesty dicta, facta, consilia versata. Fuerat ille annus tanquam in Reipublicæ magno metu & multorum timore intentus, accusin me vnũ, sicut vulgo ignari rerum loquebantur: re quidẽ vera, in vniuersam Rẽpublicam traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi, mihi irati, sed multo acrius ocij & communis salutis inimici. Hunc vir clarissimus, mihiq; multis repugnantibus amicissimus Cn. Pompeius omni cautione, fœdere, execratione deuinxerat: nihil in tribunatu contra me esse facturum. At ille nefarius ex omniũ scelerum colluuione natus, parum se fœdus violaturum arbitratus, nisi in ipsum cautorẽ alieni periculi, suis propryis periculis terruisset. hanc tetram immanemq; beluam, vinctã auspicijs, alligatam more maiorum, constrictã legum sacratarũ cathenis soluit subito legũ Consul, vel vt ego arbitror exoratus, vel vt non nemo putaret mihi iratus: ignarus quidem certe, & imprudens imprudentium scelerum tantorum ac malorum. qui Tribunus plebis felix in euertenda Republica fuit nullis suis neruis: qui enim in eiusmodi vita nerui esse potuerunt hominis fraternis flagitijs, sororijs stupris, omni inaudita libidine infamis. sed fuit profecto quædam

illa Reipublicæ fortuna fatalis: vt ille cæcus atq; amens Tribunus plebis nanciscereturquid dicã Cõsules? hoccine vt ego appellẽ nomine, euersores huius imperij? ꝓditores vestræ dignitatis? hostes bonorum omnium? qui ad delendum Senatũ, affligendum equestrem ordinẽ, extinguenda omnia iura atq; instituta maiorum, scillis fascibus cæterisq; insignibus summi honoris atq; imperij ornatos esse arbitrabantur. quorum per deos immortales si nondum scelera, vulneraq; inusta Reip. vultis recordari: vultum atq; incessum animis intueamini. facilius facta eorũ occurrent mẽtibus vestris: si ora ipsa oculis vestris proposueritis. Alter vnguentis affluens, calamistrata coma, despiciens cõscios stuprorũ, ac veteres vexatores æratulæ suæ puteali, & fœneratorũ gregibus inflatus atq; cõpulsus: olim Nesculeio illo æris alieni infreto ad columnã adhærescere, in tribunatus portũ perfugerat. contemnebat Equites Ro. minitabatur senatui: venditabat se operis: atq; ab ijs se ereptum ne de ambitu causam diceret, prædicabat: abijsdẽq; se etiã inuito Senatu, prouinciã sperare dicebat: eãq; nisi adeptus esset, se incolumẽ nullo modo fore arbitrabatur. Alter ô dij boni quã teter incedebat, quàm truculentus, quam terribilis aspectu? vnũ aliquẽ te ex barbatis illis, exemplũ imperij veteris, imaginẽ antiquitatis, columen Reip. diceres intueri. vestitus asper nostra hac purpura plebeia ac penè fusca, capillo ita horrido, vt Capua, qua ipsa tum imaginis formandæ causa Duumuiratũ gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. nã quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus Reipublicæ videbatur. tanta erat grauitas in oculo: tanta frontis contractio: vt illo supercilio Respublica





tanquã ∴. Atlante cœlũ niti videretur. erat hic omniũ sermo. est tamen Reip. magnũ firmumq; subsidiũ: habeo quẽ opponã labi illi, atq; cœno: vultu mediusfidius Collegæ sui libidinẽ leuitatemq; franget: habebit senatus in hunc annum quẽ sequatur: non deerit author et dux bonis. mihi deniq; homines præcipue congratulabantur: quod habiturus essem contra tribunum pl. furiosum, & audacem, tum amicum & affinem, tum etiam fortẽ & grauem consulem. Atq; eorum alter fefellit neminem. quis enim clauum tanti imperij tenere, & gubernacula Reip. tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur, hominẽ emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum, vino, ganeis, lenocinijs, adulterijsq; cõfectum? cum is præter spem in altissimo gradu alienis opibus positus esset: qui nonmodo tempestatẽ intueri impendentem temulentus, sed ne lucem quidẽ insolitam aspicere posset. Alter multos planè in omnes partes fefellit. erat enim hominum opinione, nobilitate ipsa blanda cõciliatricula cõmendatus. Omnes boni semper nobilitati fauemus: & quia vtile est Reip. nobiles esse homines dignos maioribus suis: & quia valet apud nos clarorum hominum & bene de Rep. meritorum memoria, etiam mortuorum. quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atq; incultum videbant: et quod erat eo nomine vt ingenerata familiæ frugalitas videretur: fauebant, gaudebant, et ad integritatem maiorum spe sua hominem vocabant, materni generis oblìti. Ego autem, vere dicam Iud. tantũ esse in homine sceleris, audaciæ, crudelitatis, quantũ ipse cum Rep. sensi, nunquam putaui. nequam esse hominem & leuem, & falsa opinione errore hominum ab adolescentia cõmen-

datum sciebam. etenim animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur. sed hæc obstructio nec diuturna est: nec obducta: ita, vt curiosis oculis perspici non possit. videbamus genus vitæ, desidiam, inertia: inclusas eius libidines, qui paulo propius accesserant, intuebantur. deniq; etiam sermonis ansas dabat: quibus reconditos eius sensus tenere possemus. laudabat homo doctus philosophos nescio quos: neq; eorum tamen nomina poterat dicere. sed eos tamen laudabat maxime: qui dicuntur præter cæteros esse authores & laudatores voluptatis. cuius, & quo tempore, & quo modo non quærebat. verbum ipsum omnibus modis animi & corporis deuorabat: eosdemq; præclare dicere aiebat: sapientes omnia sua causa facere: Remp. capessere hominem bene sanum nõ oportere: nihil esse præstabilius ociosa vita, plena et confferta voluptatibus. eos autem qui dicerent dignitati esse seruiendum, Reipub. consulendum, officy rationem in omni vita non commodi esse ducendam, subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam: vaticinari, atq; insanire dicebat. ex his assiduis eius quotidianisq; sermonibus, & quod videbam quibus cum hominibus in interiore ædium parte viueret: & quod ita domus ipsa fumabat: vt multa eius sermonis indicia redolerent. statuebam sic: boni nihil ab illis nugis esse expectandum: mali quidem certe nihil pertimescendum. Sed ita est Iudices: vt si gladium puero, aut imbecilli seni, aut debili dederis: ipse impetu suo nemini noceat. sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit: possit acie ipsa & ferri viribus vulnerari. ita cum hominibus eneruatis atq; exanguibus,



consulatus tanquam gladius esset datus: qui per se pungere neminem vnquam potuissent: hi summi imperij nomine armati, Remp. contrucidauerunt. fœdus fecerunt cum tribuno Pl. palàm: vt ab eo prouincias acciperent, quas ipsi vellent: exercitum & pecuniam quantã vellent: ea lege, si ipsi prius tribuno Pl. afflictã Remp. tradidissent. id autem fœdus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. Quare patefacta (neq; enim dissimulari tantũ scelus poterat, nec latere) promulgantur vno eodemq; tempore rogationes ab eodem Tr. de mea pernicie, & de prouincijs nominatim consularibus. hic tum Senatus sollicitus: vos equites excitati: Italia cuncta permota: omnes deniq; omnium generũ atq; ordinum ciues summæ Reip. à Conss. atq; à summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur: cum illi soli essent, præter furiosum illum tribunũ, duo Reip. turbines: qui non modo præcipitanti patriæ non subuenirent: sed eã nimium tarde concidere mœrerent. flagitabatur ab his quotidie, cum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus Senatus: vt meam causam susciperent: agerent aliquid: deniq; ad senatum referrent. hi non modo negando, sed etiam irridendo amplissimum quenq; illius ordinis insequebantur. Hic subito cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota vrbe, cunctaq; Italia conuenisset: vestem mutandã omnes, meq; etiam omni ratione priuato consilio, quoniã publicis ducibus Resp. careret, defendendum putarunt. erat eodem tempore Senatus in æde Concordiæ: quod ipsum templum repræsentabat memoriam consulatus mei: cum flens vniuersus ordo Cincinnatũ consulem orabat: nam alter ille horridus & seuerus consulto se domi continebat. qua tum

superbia

superbia cœnum illud, ac labes, amplissimi ordinis preces et clarissimorum ciuium lachrymas repudiauit? me ipsum vt contempsit heluo patriæ, nam quid ego patrimonij dicam? quod ille cum quasi quæstum faceret, amisit cum venisset ad Senatum. vos inquã equites Romani, & omnes boni veste mutata, vos inquã pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis. cum vestris precibus à latrone illo repudiatis. vir incredibili fide, magnitudine animi constantia L. Mummius ad Senatum de Rep. retulit: senatusq; frequens vestem pro mea salute mutandam censuit. O diem illum Iud. funestum senatui, bonisq; omnibus, Reip. luctuosum, mihi ad domesticũ mœrorem grauem, ad posteritatis memoriã gloriosum. quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius? quã pro vno ciue, et bonos omnes priuato consensu, & vniuersum senatũ publico consilio mutasse vestem? quæ quidem tum mutatio non deprecationis causa est facta, sed luctus. quẽ enim deprecarentur: cũ omnes essent sordidati? cumq; hoc satis esset signi esse improbum: qui mutata veste non esset. Hac mutatione facta vestis, tanto in luctu ciuitatis, omitto quid ille Tribunus omnium rerũ diuinarum humanarumq; prædo fecerit: qui adesse nobilissimos adolescentes, honestissimos equites Ro. deprecatores salutis meæ iusserit: eosq; operarum suarum gladijs, & lapidibus obiecerit: de consulibus loquor: quorum fide Resp. niti debuit. exanimatus euolat ex Senatu, non minus perturbato animo atq; vultu, quàm si annis ante paucis in creditorum conuentum incidisset: aduocat concionem: habet orationem talem consul: qualem nunquam Catilina victor habuisset. errare homines, si etiam tum Senatum aliquid

in



in Rep. posse arbitrarentur. equites vero Ro. daturos illius diei pœnas: qui me consule cum gladijs in cliuo Capitolino fuissent: venisse tempus ijs, qui in timore fuissent, coniuratos videlicet dicebat, vlciscendis. si dixisset hæc solum, omni supplicio esset dignus: nam oratio ipsa cõsulis perniciosa potest Remp. labefactare. quid fecerit videte L. Lamiam, qui cum me ipsum pro summa familiaritate, quæ cum fratre mihi, cũ patre eius erat: vnice diligebat: tum pro Rep. vel mortem oppetere cupiebat: in concione relegauit: edixitq; vt ab vrbe abesset millia passuum ducenta: quod etiam ausus pro ciue, pro benemerito ciue, pro amico, pro Rep. deprecari. quid hoc homine facias? aut quo ciuem importunũ, aut quo potius hostem tam sceleratũ reserues? qui, vt omittam cætera, quæ sunt ei cum collega immani, impuroq; coniuncta, atq; communia: hoc vnum habet proprium: vt expulerit ex vrbe, relegarit, non dico equitem Romanum: non ornatissimum, atq; optimum virum, non amicissimum Reipublicæ ciuem, non illo ipso tempore vnà cum senatu & cũ bonis omnibus causam amici, Reiq; pub. lugentem: sed ciuem Romanũ sine vllo iudicio, aut edicto ex patria consul eiecerit. Nihil acerbius socij Latini ferre soliti sunt: quàm id quod perraro accidit: ex vrbe exire à consule iuberi. Atq; illis tũ erat reditus in suas ciuitates, ad suos lares familiares: & in illo communi incommodo nulla in quenquam propria ignominia nominatim cadebat. hoc vero quid est? exterminabit ciues Romanos edicto consul à suis dijs penatibus? expellet à patria? videlicet quem volet damnabit, atq; ejiciet nominatim? hic, si vnquam vos eos, qui nunc estis in Rep. fore putasset: si denig; imaginem iudiciorum, aut simula-

crum

erum aliquod futurum in ciuitate reliquũ credidisset: vnquam ausus esset senatum de Rep. tollere? Equitum Ro. preces aspernari? ciuium denig; omnium nouis & inauditis edictis ius libertatem q; peruertere? Et si me attentissimis animis summa cũ benignitate auditis Iudices: tamen vereor, ne quis vestrum forte miretur: quid hæc mea oratio tam alte, ac tam longe rrpetita velit: aut quid ad P. Sestij causam eorũ, qui ante huius Tribunatum Remp. vexarunt, delicta pertineant. mihi autem propositum est ostendere, omnia consilia P. Sestij, mentem q; totius tribunatus hanc fuisse: vt afflictæ, & perditæ Reip. quantum posset, mederetur. Ac si in exponendis vulneribus illis, de me ipso plura dicere videbor, ignoscite. nam & illam meam cladem vos, & omnes boni maximum esse Reip. vulnus iudicastis: & P. Sestius est reus non suo, sed meo nomine. qui cum omnem vim sui tribunatus in mea salute cõsumpserit: necesse est me am causam præteriti temporis, cum huius præsenti defensione esse coniunctam. Erat igitur in luctu senatus: squalebat ciuitas publico consilio mutata veste: nullum erat municipium Italiæ, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas vectigalium, nullũ collegium, aut concilium, aut omnino aliquod cõmune consilium, quod tum non honorificentissime decreuisset de mea salute: cum subito edicunt duo consules, vt ad suum vestitum Senatores redirent. quis vnquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis Tyrannus miseros lugere vetuit? parum ne est Piso? vt omittam Gabinium: quod tantum homines fefelliſti? vt negligeres authoritatem senatus? optimi cuiusq; consilia contemneres? Remp. proderes? cõsulare nomen affligeres? etiam ne

edicere

Reipub:



edicere audeas, ne mœrerent homines meam, suam, Rei publicæ calamitatem? ne'ue hunc suum dolorem veste mutata significarent? siue illa vestis mutatio ad luctum ipsorum, siue ad deprecandum valebat: quis vnquam tam crudelis fuit? qui prohiberet quenquam, aut sibi mœrere, aut cæteris supplicare? quid? sua sponte homines in amicorum periculis vestitum mutare non solent? pro te ipso Piso nemo mutauit? ne isti quidem, quos legatos non modo nullo senatus cõsulto, sed etiam repugnante senatu, tute tibi legasti. Ergo hominis desperati, & proditoris Reip. casum lugebunt fortasse qui volent: ciuis florentissimi beneuolentia bonorum, & optime de salute patriæ meriti periculum coniunctum cum periculo ciuitatis, lugere senatui non licebit? Iidem consules (si appellandi sunt consules: quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis euellendos nõ putet) pacto iam fœdere prouinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia ac peste patriæ maximo cum gemitu vestro, illa omnia, quæ tum contra me, contra q; Remp. dixerant, voce ac sententia sua comprobauerunt. Iisdem consulibus sedentibus at q; inspectantibus lata lex est, ne auspicia valerent: ne quis obnunciaret: ne quis legi intercederet: vt omnibus festis diebus legẽ ferri liceret: vt lex Helia, lex Fusia ne valeret. qua vna rogatione, quis est, qui non intelligat vniuersam Remp. esse deletam? Iisdem Conss. inspectantibus, seruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine Collegiorum: cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur: ad vim, ad manus, ad cædem, ad direptionem incitarentur. Iisdem Conss. arma in templo Castoris palàm comportabantur: gradus eius-

dem

crudelis.

appellatio.

Rogatio.

Inrotatio.
Lectum, Lectum
Lectum.

dem templi tollebantur: armati homines fórum & conciones tenebant: cædes, lapidationesq́ fiebant: nullus erat senatus: nihil reliqui magistratus: vnus omnem omniũ potestatẽ armis & latrocinijs possidebat, non aliqua vi sua: sed cum duos consules à Rep. prouinciarum fœdere retraxisset: insultabat: dominabatur: alijs pollicebatur: terrore ac metu multos, plures etiã spe & promissis tenebat. quæ cum essent eiusmodi iudices, cum Senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes haberet. Equester ordo reus à consulibus citaretur: Italiæ totius authoritas repudiaretur: alij nominatim relegarentur: aly metu ac periculo terrerentur: arma essent in templis: armati in foro: eaq́ non silentio consulum dissimularentur: sed & voce & sententia comprobarentur: cum omnes vrbem nondum excisam, & euersam, sed iam captam, atq́ oppressam videremus: tamen his malis tantis, tanto bonorum studio Iud. restitissemus. Sed me alij metus, atq́ aliæ curæ, suspitiones q́ mouerunt. Exponam enim hodierno die Iud. omnẽ rationem facti & consily mei. neq́ huic vestro tanto studio audiendi, ne huic tantæ multitudini, quanta mea memoria nunquã vllo in iudicio fuerit, deero. nã si ego in causa tam bona, tanto studio senatus, consensu, tã incredibili bonorum omnium, tam parato, tota deniq́ Italia ad omnem contentionem expedita, cessi Tribuni plebis despicatissimi hominis furori: contemptissimorũ consulum leuitatem, audaciamq́ pertimui: nimium me timidum, nullius animi, nullius consily fuisse confiteor. quid enim simile fuit in Q. Metello? cuius causam, & si omnes boni probabant: tamen neq́ senatus publice, neq́ vllus ordo proprie, neq́ suis decretis Italia tota susceperat



sceperat. ad suã enim magis ille quandam gloriã, quàm ad perspicuam salutẽ Reip. spectarat: cum vnus in legẽ per vim latã iurare noluerat. deniq́ videbatur ea conditione tã fortis fuisse: vt cũ patriæ charitate constantiæ gloriam commutaret. erat autem huic res cũ exercitu C. Marij inuicto: habebat inimicum C. Marium conseruatorẽ patriæ sextum iam illum consulatũ gerentem: res erat cum L. Saturnino iterum tribuno pl. vigilante homine, & in causa populari si nõ moderate, at certe populariter abstinenterq́, versato cessit, ne aut victus à fortibus viris cum dedecore caderet: aut victor multis & fortibus ciuibus Remp. orbaret. Meã causam senatus palàm, Equester ordo acerrime, cuncta Italia publice, omnes boni enixe susceperãt. eas res gesserã: quarum non vnus author, sed dux omniũ voluntatis fuissem: quæq́ nonmodo ad singularẽ meam gloriã, sed ad salutem cõmunem omnium ciuium, & propè gentium pertinerent: ea conditione gesserã: vt meum factũ semper omnes præstare tueriq́ deberent. erat autẽ mihi cõtentio non cũ victore exercitu, sed cum operis conductis, & ad diripiendã vrbẽ concitatis. habebam inimicũ non C. Mariũ terrorẽ hostium, stem, subsidiumq́ patriæ: sed duo importuna prodigia: quos egestas, quos aris alieni magnitudo, quos leuitas, quos improbitas tribuno pl. constrictos addixerat. nec mihi res erat cum Saturnino: qui quod à se Quæstore Ostiensi per ignominiã ad principẽ & senatus, & ciuitatis M. Scaurum rẽ frumentariam translatã sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebantur: sed cum scurrarum loculetum scorto, cũ sororis adultero, cum stuprorum sacerdote, cum venefico, cũ testamentario, cum sicario, cum

latrone. quos homines, si id quod facile factu fuit, & quod fieri debuit: quodq; à me optimi & fortissimi ciues flagitabant, vi armisq; superassem: non verebar, ne quis aut vim vi repulsam reprehenderet: aut perditorum ciuiũ vel potius domesticorum hostium mortẽ mœreret. Sed me illa mouerunt. omnibus in concionibus illa furia clamabat: se quæ faceret contra salutem meam, facere authore Cn. Pompeio clarissimo viro, mihiq; & nunc, & quoad licuit, amicissimo: M. Crassus, quo cum mihi erant omnes amicitiæ necessitudines, vir fortissimus, ab eadem illa peste infestissimus esse meis fortunis prædicabatur: C. Cæsar, qui à me nullo meo merito alienus esse debebat: inimicissimus esse meæ saluti ab eodem quotidianis concionibus dicebatur. his se tribus authoribus in consilys capiendis, adiutoribus in re gerenda, esse vsurum dicebat. ex quibus vnum habere exercitũ maximum in Italia: duo, qui priuati tum essent, & præesse, & parare si vellent exercitum: idq; facturos esse dicebat. nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec disceptationem, aut causæ dictionẽ, sed vim, arma, exercitus, imperatores, castra denunciabat. quid ergo? inimici oratio, vana præsertim, tam improbe in clarissimos viros coniecta me mouit? me vero non mouit illius oratio: sed eorum taciturnitas: in quos illa oratio tam improba conferebatur, qui tum, quanquam ob alias causas tacebant: tamen hominibus omnia timentibus tacendo loqui, non inficiando confiteri, videbantur. illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa, atque omnis res superioris anni labefactari à prætoribus, infirmari à senatu, atq; principibus ciuitatis putabant: suaq; sibi propiora esse pericula.



cula. quam mea loquebantur: & Tribunum populare à se alienari nolebant. sed tamen & Crassus à Consulibus meam causam suscipiendam esse dicebat: & eorum fidẽ Pompeius implorabat: neque se priuatum publice causæ susceptæ defuturum esse dicebat. quem virum studiosum mei, cupidissimum Reip. conseruandæ, domi meæ certi homines ad eam rem positi monuerunt: vt esset cautior, eiusq; vitæ à me insidias apud me domi positas esse dixerunt. atq; hanc ei suspicionẽ aly literis mittẽdis, aly nuncys, aly coràm ipsi excitauerunt. vt ille, cum à me nihil certe timeret: ab illis ne quid meo nomine molirentur, sibi cauendũ putaret. ipse autem Cæsar, quem maxime ignari homines veritatis mihi esse iratum putabant: erat ad portas, erat cum imperio: erat in Italia eius exercitus: inq; eo exercitu ipsis Tribuni plebis inimici mei fratrẽ præfecerat. Hæc ego cum viderẽ, neq; enim erant occulta, Senatum, sine quo ciuitas stare non posset: omnino de ciuitate esse sublatũ: Consules, qui publici consilij duces esse deberent, perfeciisse, vt per ipsos publicum consiliũ funditus tolleretur: eos qui plurimũ possent, opponi omnibus concionibus falsò, sed & formidolosè tamen, authores ad perniciem meam: concionesque haberi quotidie contra me: vocem pro me, ac pro Repub. neminem mittere: intenta signa legionũ existimari cernicibus ac bonis vestris falsò, sed putari tamen: coniuratorum veteres copias & effusam illam ac superatam Catilinæ manum importunam nouo duce & insperata cõmutatione rerum esse renouatam. hæc cum viderem: quid agerem Iudices? scio enim tum, non mihi vestrum studium, sed meum propè vestro defuisse. contenderem contra Tribunum ple. priuatus armis? vicissem

improbos boni, fortes inertes: interfectus esset is, qui has vna medicina sola potuit à Reip. peste depelli. quid deinde? quid reliquiarũ restaret? quid deniq3? erat dubium, quin ille sanguis tribunitius nullo præsertim publico consilio profusus, Consules authores & defensores esset habiturus? cũ quidem in concione dixisset: aut mihi semel pereundũ, aut bis esse vincendum: quid erat bis vincere? id profecto: vt cum amentissimo tribuno plebis cum decertassem: cũ consulibus cæterisq3 eius vltoribus dimicarẽ. Ego vero si mihi vni pereundum fuisset: ac nõ accipienda plaga mihi insanabilis, illi mortifera, quam Reipub. imposuisset: semel perire tamen Iud. maluissem quã bis vincere. Erat enim altera eiusmodi contentio illa: vt neq3 victi neq3 victores Remp. tenere possemus. quid? si in prima contentione, vi tribunitia victus in foro cũ multis bonis viris concidissem? Senatum consules credo vocassent. quem totum de ciuitate delerant. ad arma vocarent. qui ne vestitu quidẽ defendi Rempublicam scissent. à tribuno pl. post interitũ dissidissent. qui eandem horam meæ pestis & suorum præmiorũ esse voluissent. Vnum enim mihi restabat illud: quod forsitan nouus nemo vir fortis, & acris animi magniq3 dixerit restitisses: repugnasses: mortẽ pugnans oppetisses: de quo te, te inquã, patria testor, & vos penates patrij q3 dij, me vestrarũ sedium templorumq3 causa, me propter salutẽ meorum ciuiũ, quæ mihi semper fuit mea carior vita, dimicationem eademq3 fugisse. Etenim si mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti hoc Iud. accidisset: vt multi ex multis locis prædones classibus eam nauem se oppressuros minitarentur: nisi me vnum sibi dedidissent: si id vectores negarent: ac mecum simul interire,

quàm



quàm me tradere hostibus mallent: iecissem me potius ipse in profundũ: vt cæteros conseruarẽ: quàm illos mei tam cupidos non modo ad certam mortẽ, sed in magnũ vitæ discrimen adducerẽ. Cum vero in hanc Reipublicæ nauem, ereptis senatui gubernaculis, fluitantẽ in alto tempestatibus seditionũ ac discordiarũ, armataq; tot classes, nisi ego vnus deditus essem, incursuræ viderentur: cũ proscriptio, cædes, direptio, denunciarentur: cum alij me suspicione periculi sui non defenderent: alij vetere odio bonorum incitarentur: aly inuiderent: aly obstare sibi me arbitrarentur: alij vlciscí dolorẽ suum aliquem vellent: alij rem ipsam publicã, atq3 hunc bonorum statum ociumq3 odissent, & ob hasce causas tot tamq3 varias me vnũ deposcerent: depugnarẽ potius cũ summo non dicã exitio, sed periculo certe vestro, liberorumq3 vestrorum? quam non id, quod etiam omnibus impendebat, vnus pro omnibus suscipere, ac subirem? victi essent improbi. at ciues. at ab eo priuato, qui sine armis Rempublicã etiam consul conseruarat: sin victi essent boni: qui superessent? non ad seruos videtis Rempublicã venturam fuisse? an mihi ipsi, vt quidã putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortem ne fugiebam? an erat res vlla? quam mihi magis optandã putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cũ gerebã, non mihi mos, non exiliũ ob oculos versabantur? non hac denique à me, tum tanquam fata, in ipsa re gerenda concinebantur? an erat mihi in tanto luctu meorũ, in tanta disiunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omniũ rerum, quas mihi aut natura aut fortuna dederat, vita retinenda? tã eram rudis? tã ignarus rerum? tam expers consilij, aut ingenij?

nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo quærendoq; cognoueram? nesciebam vitæ breuem esse cursum, gloriæ sempiternum? cum esset omnibus desinita mors: optandum esse, vt vita quæ necessitati deberetur: patriæ potius donata, quàm reseruata naturæ videretur? nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse: vt alij dicerent animos hominum, sensusq; morte restingui: alij autẽ tum maxime mentes sapientum ac fortium virorũ, cum è corpore excessissent, sentire, ac vigere? quorũ alterum fugiendum non esse, carere sensu: alterum etiã optandum, meliore esse sensu. denicq; cũ omnia semper ad dignitatẽ retulissem, nec sine ea quicquam expetendum esse homini in vita putassem: mortem, quã etiam virgines Athenis, regis opinor Erichthei filiæ, pro patria contempsisse dicuntur: ego vir consularis tantis rebus gestis timerem? præsertim cum eius essem ciuitatis, ex qua Q. Mutius solus in castra Porsenæ venisset, eumq; interficere proposita sibi morte conatus esset? ex qua P. Decius primum pater, post aliquot annos patria virtute præditus filius, se ac vitam suam instructa acie pro salute populi Romani, victoriaq; deuouisset? ex qua innumerabiles alij partim adipiscendæ laudis, partim vitandæ turpitudinis causa mortẽ in varijs, bellis æquissimis animis oppetissent? in qua ciuitate ipse meminissem patrem huius M. Crassi fortissimum virum, ne videret victorem viuus inimicum: eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem sæpe hostibus obtulisset? Hæc ego & multa alia cogitans, hoc videbam: si causam publicam mea mors peremisset: neminem vnquam fore, qui auderet, suscipere contra improbos ciues Reipublicæ salutem.

Itaq;



Itaq; nõ solum si vi interissem: sed etiam si morbo extinctus essem: fore putabam, vt exemplum Reipub. conseruandæ mecum simul interiret. quis.n. me unquã à senatu populoq; Romano, tanto bonorũ omnium studio nũc restituto, omnia adire pericula pro Rep. dubitabit? quod certe si essem interfectus, nunquã accidere potuisset, vt quisquã illã Reip. partẽ cũ sua minima inuidia auderet attingere. seruaui igitur Remp. discessu meo Iudices: cadẽ à vobis, liberisq; vestris, vastitatẽ, incendia, rapinas, meo dolore luctuq; depuli: & vnus Rẽp. bis seruaui: semel gloria: iterum ærumna mea. neq; enim hominẽ in hoc me inficiabor vnq;: vt me optimo fratre, charissimis liberis, fidissima coniuge, vestro cõspectu, patria, hoc honoris gradu, sine dolore caruisse glorier. quod si fecissem, quod à me beneficiũ haberetis? cũ pro vobis ea, quæ mihi essent vilia, reliquissem. hoc, meo quidẽ animo, summi in patriã amoris mei signũ esse debet certissimũ: quod cum abesse ab ea non possem sine summo dolore: hũc me perpeti, quàm illã labefactari ab improbis malui. memineram Iud. diuinum illum virum, atque ex ijs dẽ, quibus nos, radicitus natum ad salutẽ imperij huius C. Marium, summa senectute, cum prope vim iusto rum armorum profugisset, primo senile corpus paludibus occultasse demersum: deinde ad infirmorum ac tenuissimorum hominũ Minturnis misericordiã confugisse: inde nauigio perparuo, cũ omneis portus terras q; fugeret: in oras Africæ desertissimas peruenisse. atq; ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem, & ad Reip. statum reseruauit. ego qui (quemadmodũ multi in senatu me absente dixerunt) periculo Reipub. viuebam: quiq; ob eam causam consularibus literis

de senatus sententia exteris nationibus commendabar: nonné si meam vitã deseruissem: Remp. prodidissem? in quo quidẽ nũc me restituto viuit mecũ simul exemplum fidei publicæ exemplũ Reip. defendendæ. quod si immortale retinetur, quis non intelligit immortalẽ hãc ciuitatẽ futuram? nã externa bella regum, gentium, nationũ iam pridẽ ita extincta sunt: vt præclare cũ his agamus, quos pacatos esse patiamur: deniq; ex bellica victoria non fere quenquã est inuidia ciuiũ consecuta. domesticis malis, & audaciũ ciuium consilijs sæpe est resistendum, eorumq; periculo est in Rep. retinenda medicina: quam omnẽ lud. perdidissetis: si meo interitu senatui populoq; Ro. doloris sui de me declarandi potestas esset erepta. quare moneo vos adolescentes: atq; hoc meo iure præcipio: qui dignitatẽ, qui Rẽp. qui gloriã spectatis, ne si qua vos aliquando necessitas ad Remp. contra improbos ciues defendenda vocabit. seniores sitis, & recordatione mei casus à consilijs fortibus refugiatis. primũ non est periculum ne qui vnquam sint in ciuitate eiusmodi consules: præsertim si erit ys id, quod debetur, persolutũ: deinde nunquã iam, vt spero, quisquam improbus consilio & auxilio bonorum se oppugnare Rempublicã dicet, illis tacentibus: nec armati exercitus terrorẽ opponet togatis: neq; erit iusta causa ad portas sedenti imperatori, quare terrorẽ suum falso iactari opponiq; patiatur. nunquam enim erit tam oppressus senatus: vt ei ne supplicandi quidem, ac lugendi sit potestas. tam captus equester ordo: vt Equites Romani à consule relegentur. Quæ cum omnia, atque etiam multo alia maiora, quæ consulto prætereo, accidissent, videtis me tamẽ in pristinam meam dignitatem, breui temporis dolore interiecto



cto Reip. voce esse reuocatum. Sed vt reuertar ad illud, quod mihi in hac omni est oratione propositum: omnibus malis illo anno scelere consulum Remp. esse confectam: primum illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus: cum ego me è complexu patriæ, consessuq; vestro eripuissem: & metu periculi vestri, non mei furori hominis sceleri, perfidiæ, telis, minisq; cessissem: patriam q̃, quæ mihi erat charissima, propter ipsius patriæ charitatem reliquissem: cũ meum illum casum tam horribilem, tam grauem, tam repentinum, non solum homines, sed tecta vrbis ac templa lugerent: nemo vestrum fórum, nemo curiam, nemo lucem aspicere vellet: illo inquã ipso die, die dico? imo hora, atq; etiam puncto temporis eodem, mihi Reiq; publicæ pernicies, Gabinio, & Pisoni prouincia rogata est. Prò dy immortales custodes & conseruatores huius vrbis atq; imperij, quæ nam illa in Rep. monstra? quæ scelera vidistis? ciuis erat expulsus is: qui Rempub. ex senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat: & expulsus nõ alio aliquo, sed eo ipso crimine: erat autem expulsus sine iudicio, lapidibus, ferro, seruitio deniq; cõcitato: lex erat lata vastato, ac relicto foro, & sicarys seruisq; tradito: & ea lex, quæ ne ferretur, Senatus fuerat veste mutata. hac tanta perturbatione ciuitatis ne noctem quidẽ consules inter meũ discrimen, et eorũ prædam interesse passi sunt. statim me perculso, ad meum sanguinem hauriendum, & spirante etiam Repub. ad eius spolia detrahenda aduolauerunt. omitto gratulationes, epulas, partitionẽ ærary, beneficia, spem, promissa, prædam, lætitiã paucorũ luctu omnium: vexabatur vxor mea: liberi ad necem quærebãtur: gener, & Piso gener, à Pisonis cõsulis

pedibus supplex reiciebatur: bona diripiebantur: eaq; ad consules deferebantur: domus ardebat in palatio: consules epulabantur. quod si meis incõmodis lætabantur, vrbis tamẽ periculo commouerentur. Sed vt à mea causa iam recedam: reliquas illius anni pestes recordamini. sic enim facillime perspicietis, quantã vim omniũ remediorum à magistratibus proximis Resp. desiderarit. legum multitudinem, cum earum, quæ latæ sunt: tũ vero quæ promulgatæ fuerunt, dicã? nam latæ quidem sunt consulibus illis, tacentibus, immo vero approbantibus etiã, vt Censoria notatio, & grauissimum iudicium sanctissimi magistratus tolleretur de Republica: vt Collegia nõ modo illa vetera cõtra senatus consultũ restituerentur: sed ab vno gladiatore innumerabilia alia noua cõscriberentur: vt remissis semissibus & trientibus quinta propè pars vectigaliũ tolleretur: vt Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si Remp. prodidisset, pactus erat, Syria daretur: vt vni belluoni bis de eadẽre deliberandi esset potestas: vt rogata lege, legẽ ferret prouinciæ commutandæ. mitto eam legem: quæ omnia religionũ iura, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quæ sunt de iure, & de tempore legum rogandarum, vna rogatione deleuit: mitto omnẽ domesticam labem: etiam exteras nationes illius anni furore, conquassatas videbamus. lege Tribunitia Matris Magnæ Pessinuntius ille sacerdos expulsus, et spoliatus sacerdotio est: fanũq; sanctissimarum atq; antiquissimarum religionũ venditum pecunia grandi Brogitaro impuro homini, atq; indigno illa religione: præsertim cum ea sibi ille non colendi, sed violandi causa appetisset: appellati Reges à populo: qui id nunquam nec à senatu quidem postulassent: reducti

exules,



exules, Byzantium condemnati, tum, cũ indemnati ciues è ciuitate eiiciebantur: rex Ptolemæus, qui si nondum erat ipse à senatu socius appellatus: erat tamen frater eius regis: qui cum esset in eadem causa iam erat à Senatu honorem istum consecutus: eodem genere ijsdemq; maioribus, eadẽ vetustate societatis. deniq; erat Rex: sed nondum socius, at non hostis: pacatus, quietus, fretus imperio populi Romani, regno paterno atq; auito regali ocio perfruebatur. de hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus, est rogatum: vt sedens cum purpura & sceptro & illis insignibus regys præconi publico subiceretur: & imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consueuit: rex amicus, nulla iniuria commemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur. multa acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: tamen illi sceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud scio, an hoc recte proximum esse dicamus. Antiochum illum magnum maiores nostri magna belli contentione terra mariq; superatũ, intra montẽ Taurum regnare iusserunt: Asiam, qua illum mulctarunt, Attalo, vt is regnaret in ea, condonauerunt. cum Armeniorum Rege Tigrane graue bellum diuturnumq; gessimus: cum ille iniurijs in socios nostros inferendis, bello propè nos lacessisset. hic & ipse per se vehemens fuit: & acerrimum hostem huius imperij Mythridatem pulsum ponto opibus suis regnoq; defendit: & à Lucullo summo viro atq; imperatore pulsus. animo tamen hostili cum reliquis copijs suis in pristina mente mansit. hunc Cn. Pompeius, cum in suis castris supplicem abiectumq; vidisset: erexit, atq;

insigne

insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit: & imperatis certis rebus regnare iussit: nec minus & sibi & huic imperio glorioſum putauit: reſtitutum à se Regem, quàm conſtrictum videri. ∴ Tulit. geſſit: qui & ipſe hoſtis fuit populi Romani: & acerrimum hoſtem in regnum recipit: qui conflixit: qui ſigna contulit: qui de imperio penè certauit: regnat hodie: & amicitiæ nomen, ac ſocietatis, quod armis violarat, id precibus eſt conſecutus. Ille Cyprius miſer, qui ſemper ſocius ſemper amicus fuit: de quo nulla vnquam ſuſpicio durior aut ad ſenatũ, aut ad imperatores noſtros allata eſt: viuus, vt aiunt, eſt & videns cum victu ac veſtitu ſuo publicatus. En cur cæteri Reges ſtabilem eſſe ſuã fortunam arbitrentur? cum hoc illius funeſti anni perdito exemplo videant, per tribunum aliquem, & ſexcentas operas, ſe fortunis ſpoliari & regno omni poſſe nudari. At etiam eo negocio M. Catonis ſplendorem maculare voluerunt, ignari quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret. quæ in tempeſtate quieta eſt: & lucet in tenebris: & pulſa loco, manet tamen, atq; hæret in patria, ſplendetq; per ſeſe ſemper, neq; alienis vnquam ſordibus obſoleſcit. Non illi ornandũ M. Catonem, ſed relegandum: nec illi cõmittendum illud negociũ, ſed imponendũ putauerunt: qui in concione palàm dixerint: linguã ſe euelliſſe M. Catoni: quæ ſemper cõtra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet. Sentient vt ſpero breui tempore, manere libertatẽ illam: atq; hoc etiã, ſi fieri poterit, eſſe maiorẽ: quod cũ conſulibus illis M. Cato, etiã cum iam deſperaſſet aliquid authoritate ſua perficere poſſe: tamen voce ipſa ac dolore pugnauit: & poſt meum diſceſſum his Piſonem verbis

flens



flens meum & Reip. caſum vexauit: vt illum hominem perditiſſimum, atq; impudentiſſimum penè iam prouinciæ pœniteret. cur igitur rogationi paruit? quaſi vero ille nõ in alias quoq; leges, quas iniuſte rogatas putaret, iam ante iurarit. non offert ſe ille iſtis temeritatibus: vt cum Reip. nihil proſit: ſe ciue Remp. priuet. conſule me, cum eſſet deſignatus Tribunus plebis: obtulit in diſcrimen vitam ſuam: dixit eam ſententiam, cuius inuidiã, capitis periculo ſibi præſtandam videbat: dixit vehementer: egit acriter: ea quæ ſenſit, præ ſe tulit: dux, author, actor rerum illarum fuit: non quo periculum ſuum non videret: ſed in tanta Reip. tempeſtate nihil ſibi, niſi de patriæ periculis cogitandum putabat. conſecutus eſt ipſius Tribunatus. quid ego de ſingulari magnitudine animi eius, ac de incredibili virtute dicam? meminiſtis illum diem: cum templo à Collega occupato, nobis omnibus de vita eius viri, & ciuis timentibus, ipſe animo fortiſſimo venit in templum, & clamorem hominum authoritate, impetum improborum virtute ſedauit. adyt tum periculum, ſed adyt cũ cauſa: quæ quã ta fuerit, iã mihi dicere non eſt neceſſe. At ſi iſti Cypriæ rogationi ſceleratiſſimæ non paruiſſet: hæreret illa nihilominus in Rep. turpitudo. Regno enim iam publicato, de ipſo Catone erat nominatim rogatum. quod ille ſi repudiaſſet: dubitatis quin ei vis eſſet allata? cũ omnia acta illius anni per illum vnum labefactari viderentur? Atq; etiam hoc videbat, quoniam illa in Rep. macula regni publicati maneret: quam nemo iam poſſet eluere: quod ex malis bonum poſſit in Rep. peruenire: id vtilius eſſe per ſe conſeruari, quàm per alios. Atq; ille etiam ſi aliquapiã vi expelleretur illis temporibus

WBP
Opole

ex hac vrbe, facile pateretur. etenim qui superiore anno senatu caruisset: quo si tum veniret: me tamen socium suorum in Rep. consiliorum videre posset: is æquo animo tum me expulso, & meo nomine cum vniuerso senatu, tum sententia sua condemnata, in hac vrbe esse posset? ille vero eidem tempori, quo nos eius dē furori, eisdem Consulibus, eisdem minis, insidys, periculis cessit. luctum nos hausimus maiorē: dolorem ille animi nō minorem. his de tantis iniurijs in socios, in reges, in liberas ciuitates, consulum querela esse debuit. in eius magistratus tutela reges, atq; exteræ nationes semper fuerunt. ecquæ vox consulum vnquam est audita? quanquam quis auderet, si maxime quæri vellent, de Cyprio Rege quererentur: qui me ciuem nullo meo crimine, patriæ nomine laborantem non modo stantem non defenderunt, sed ne quidem iacentem protexerunt. cesseram, si alienam à me plebem fuisse vultis: quæ non fuit, inuidiæ: si quo moueri omnia videbantur, tempori: si vis susceperat, armis: si societas magistratuum, pactioni: si periculum ciuium, Reipublicæ. cur, cum de capite ciuis, non disputo cuiusmodi ciuis, & de bonis proscriptio ferretur: cum & sacratis legibus, & XII tabulis sanctum esset: vt neq; priuilegium irrogari, neq; de capite, nisi comitijs cēturiatis rogari: nulla vox est audita consulum? constitutumq; illo anno est, quantum in illis duabus huius imperij pestibus fuit: iure posse per operas concitatas quemuis ciuem nominatim tribuni plebis consilio ex ciuitate exturbari. Quæ vero promulgata illo anno fuerunt: quæ promissa multis: quæ conscripta: quæ sperata: quæ cogitata: quid dicā? qui locus orbis terræ iam non erat alicui destinatus? cuius negocij



negocij publici cogitari, optari, fingiq; procuratio potuit? quæ non esset attributa atq; descripta? quod genus imperij, quæ prouincia, quæ ratio aut auferendæ aut constandæ pecuniæ nō reperiebatur? quæ regio, oraue terrarum erat latior? in qua non regnū aliquod statueretur? quis autem Rex erat? qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendū quod habebat arbitraretur? quis prouinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat? damnatis de vi, restitutio, cōsulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti cōparabatur. hæc gemebant boni: sperabāt improbi: agebat Tribunus plebis: Consules adiuuabant. Hic aliquanto serius, quàm ipse vellet: Cn. Pompeius, inuitissimis ys, qui mentē optimi ac fortissimi viri suis consilys, ac victis terroribus à defensione meæ salutis auerterant: excitauit illam suam non insolitam, sed suspicione aliqua retardatam consuetudinem Reip. bene gerendæ. non est passus ille vir, qui sceleratissimos ciues, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras, atq; inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui seruitia virtute victoriaq; domuisset: qui omnibus bellis terra mariq; compressis, imperium populi Romani orbis terrarum terminis definisset: Remp. euerti scelere paucorum: quam ipse non sōlum consilijs, sed etiam sanguine suo sæpe seruasset. accessit ad causam publicam: restitit authoritate sua reliquis rebus: de præteritis quæstus est. fieri quædam ad meliorem spem inclinatio visa est. decreuit senatus frequens de meo reditu Cal. Iuny dissentiente nullo, referente L. Mummio, cuius in mea causa nunquā fides, virtusq; contremuit. Intercessit Ligus iste nescio qui, additamentum inimicorum meorū. res erat &

causa

causa nostra eo loci: vt erigere oculos, & viuere videretur. quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu sceleris Clodiani attigisset: quocunq; venerat, quod iudicium cunq; sibi erat, damnabatur: inueniebatur nemo, qui se suffragium de me tulisse confiteretur. discesserat ex Asia frater meus ~~magno squalore, sed multo etiam maiore mœrore.~~ huic ad vrbem venienti tota obuiam ciuitas cũ lachrymis gemituq; processerat: loquebatur liberius senatus: concurrebant equites Romani. Piso ille gener meus: cui fructum pietatis suæ, neque ex me neq; à populo Romano ferre licuit: à propinquo suo socerum suum flagitabat: omnia senatus reijciebat: nisi de me consules primo retulissent. quæ cum res iam manibus teneretur: & cum consules prouinciarum pactione libertatem omnem perdidissent: qui cum in senatu priuati, vt de me sententias dicerent flagitabantur: legem illi se Clodiam timere dicebant. cum hæc non possent iam diutius sustinere: initur consilium de interitu Cn. Pompeij. quo patefacto, ferroq; deprehenso, ille inclusus domi tandiu fuit: quandiu inimicus meus in Tribunatu. de meo reditu octo Tribuni promulgarunt. ex quo intellectum est, mihi absenti creuisse amicos: in ea præsertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos esse putaueram, non erant. sed eos voluntatem semper eandem, libertatem eandem non semper habuisse. nã ex nouem tribunis, quos tunc habueram: vnus me absente defluxit: qui cognomen sibi ex Aeliorũ imaginibus arripuit: quo magis nationis eius esse, quàm generis videretur. Hoc igitur anno magistratibus nouis designatis, cum omnes boni omnem spem melioris status in eorum fidem conuertissent: princeps P. Lentulus authoritate ac sententia



tia sua Pisone & Gabinio repugnantibus, causam suscepit: Tribunisq; plebis octo referentibus, præstantissimã de me sententiã dixit. qui cũ ad gloriam suam atq; amplissimã beneficij gratiam magis pertinere videret, causam illam integram ad suum consulatum reseruari: tamen rem talẽ per alios citius, quàm per se tardius conficimalebat. Hoc interim tempore P. Sestius iudex: designatus iter ad Cæsarem pro mea salute suscepit. quid egerit: quantum profecerit, nihil ad causam. equidem existimo, si ille, vt arbitror, æquus nobis fuerit, nihil ab hoc perfectum: sin iratior, non multum. sed tamen sedulitatem atq; integritatẽ hominis videtis. Ingredior iam in Sestij Tribunatum. nã hoc primum iter designatus Reipub. causa suscepit. pertinere & ad concordiam ciuium putauit: & ad perficiendi facultatẽ, animum Cæsaris à causa non abhorrere. abyt ille annus: respirasse homines videbantur, nondum re, sed spe Reip. recuperandæ. exierunt malis omnibus atq; execrationibus duo Vulturij paludati: quibus vtinã ipsis euenissent ea, quæ tum homines precabantur. neq; prouinciam Macedoniam cũ exercitu, neq; equitatum in Syria, & cohortes optimas perdidissemus. Ineunt magistratum Tribuni plebis: qui omnes de me promulgaturos confirmarant. ex his princeps emitur ab inimicis meis, is quẽ homines in luctu irridentes Gracchum vocabãt: quoniã id etiã fatum ciuitatis fuit: vt illa ex vepreculis extracta nitedula Rempub. conaretur arrodere. Alter vero non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gaui Oleli horreo: calatis grauis, in Calatinos ac Lælios insitus subito nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit. Veniunt calendæ Ianuary: vos hæc me-

lius scire potestis: equidem audita dico: quæ tũ frequentia Senatus, quæ expectatio populi, qui concursus legatorum ex Italia cuncta, quæ virtus, actio, grauitas P. Lẽtuli fuerit Consulis: quæ etiã Collegæ eius moderatio de me, qui cũ inimicitias sibi mecũ ex Reipub. dissensione susceptas esse dixisset: eas se Patribus Conscriptis dixit et temporibus, & Reipublicæ permissurum. Tum princeps rogatus sententiã L. Cotta, dixit id, quod dignissimum Reip. fuit: nihil de me actũ esse iure: nihil more maiorũ: nihil legibus: non posse quenquã de ciuitate tolli sine iudicio: de capite non modo ferri, sed ne iudicari quidem posse, nisi comitijs centuriatis. vim fuisse, illã flammam quassatæ Reipub. perturbatorumq; temporũ, iure, iudicijsq; sublatis, magna rerum permutatione impendente: declinasse me paululũ, & spe reliquæ tranquillitatis præsentes fluctus, tempestatemq; fugisse. quare cum absens non minus Rempublicam magnis periculis, quàm quodã tempore præsens liberassem: non restitui me solũ, sed etiã ornari à Senatu decere. disputauit etiam multa prudenter: ita de me illum amantissimum, & profligatissimum hostẽ pudoris & pudicitiæ scripsisse quæ scripserat: his verbis, rebus, sententijs: vt, etiamsi iure esset rogatũ, tamen vim habere non posset. quare me, qui nulla lege abessem: non restitui lege, sed reuocari Senatus authoritate oportere. hunc nemo erat, quin verissime sentire diceret. Sed post eum rogatus Cn. Pompeius approbata laudataq; Cottæ sententia dixit: sese ocij mei causa vt omni populari concitatione defungerer, censere, vt ad Senatus authoritatem Pop. quoque Ro. beneficium erga me adiungeretur. Cum omnes certatim, aliusq; alio grauius, atq; ornatius de mea salute dixisset,



set, fieretq; vlla varietate discessio )( surrexit, vt scitis, Attilius hic Gauianus: nec ausus est, cum esset emptus, intercedere: noctem sibi ad deliberandũ postulauit. Clamor Senatus, querelæ, preces, socer ad pedes abiectus. Ille se affirmare postero die moram nullam esse facturũ. Creditũ est: discessum est. Illi interea deliberatori merces, longa interposita nocte, duplicata est. Consecuti dies pauci omnino Ianuario mense, per quos Senatum haberi liceret: sed tamen actum nihil, nisi de me, cum omni mora, ludificatione, calumnia Senatus authoritas impediretur. Venit tandem consily de me agendi dies, VIII Cal. Feb. Princeps rogationis vir mihi amicissimus Q. Fabritius, templum aliquanto ante lucem occupauit. Quietus eo die Sestius, is qui est de vireus, actor hic defensorq; )( causæ meæ: nihil progreditur: cõsilia expectat inimicorũ meorum. quid illi? quorum cõsilio P. Sestius in iudiciũ vocatur: quo se pacto gerunt? cum forum, comitium, curiã, multa de nocte armatis hominibus, ac seruis plerisque occupauissent: impetum faciunt in Fabritium: manus afferunt: occidunt nonnullos: vulnerant multos. Venientem in forum virum optimũ & constantissimum M. Cispium Trib. pl. vi depellunt, cædẽ in foro maximã faciunt: vniuersiq; districtis gladijs, & cruentis in omnibus fori partibus fratrẽ meũ, virum optimum, fortissimum, meique amantissimũ oculis quærebant: voce poscebant. quorum ille telis libenter in tanto luctu ac desiderio mei, non repugnandi sed moriendi causa corpus obtulisset suum, nisi suam vitam, ad spem mei reditus reseruasset. subit tamen vim illam nefariam conscleratorum latronum: & cum ad fratris salutem à populo Ro. deprecandam ve-

nisset, )( pulsus è rostris in comitio iacuit: seq; seruorũ, & libertorum corporibus obtexit: vitamq; suã tum noctis & fugæ præsidio non iurisiudiciorumq; defendit. me ministis tum Iud. corporibus ciuium Tyberim repleri: cloacas referciri )(: è foro spongijs effundi sanguinem, vt omnes tantã illam copiam & tam magnificũ apparatum non priuatum aut plebeium, sed patriciũ & prætorium esse arbitrarentur: )( nihilq; neq; ante hoc tempus, neq; hocipsõ turbulentissimo die criminamini Sestium? At qui vis in foro versata est? certe. Quando enim maior? lapidationes persæpe vidimus. non ita sæpe: sed nimiũ tamen sæpe gladios: cædẽ vero tantã, tantos aceruos corporũ extructos, nisi forte illo Cinnano atq; Octauiano die, quis vnquã in foro vidit? Qua ex concertatione animorũ? nam ex pertinacia, aut cõstantia intercessoris oritur sæpe seditio, culpa atq; improbitate latoris, cõmodo aliquo imperitis aut largitione proposita. oritur ex concertatione magistratuũ: oritur sensim ex clamore primum, deinde aliqua discessione cõcionis: vix sero & raro ad manus peruenitur, nullo vero verbo facto, nulla cõcione aduocata, nulla lege, concitatã nocturnam seditionem quis audiuit? An verisimile est, vt ciuis Romanus, aut homo liber quisquã cum gladio in forum descenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, præter eos qui ab illo pestifero ac perdito ciue iam pridẽ Reipub. sanguine saginantur? )( Hic iam de ipso accusatore quæro: qui P. Sestium queiturr, cum multitudine in Tribunatu & cũ præsidio magno fuisse, num illo die fuerit? certe nõ fuit. Victa igitur est causa Reipub. & victa, non auspicijs, non intercessione, non suffragijs, sed vi, manus, ferro. Nam si obnunciasset Fabritio is Trib. pleb.



pleb. qui seruasse de cœlo dixerat, accepisset Resp. plagã: sed eam quã acceptam gemere posset. Si intercessisset Collega Fabritio, læsisset Rempublicã, sed Rempub. iure læsisset. Gladiatores tu nouitios, pro expectata ædilitate suppositos, cum sicarijs è carcere emissis ante lucẽ in forum immittas? magistratus templo ejcias? cædẽ maximam facias? forum purges? & cum omnia vi, armis, egeris: accuses eũ, qui se præsidio munierit? nõ vt te oppugnaret: sed vt vita suam posset defendere? Atqui nõ ex eo quidem tempore id egit Sestius: vt à suis munitus tuto in foro tum magistratũ gereret: Rempub. administraret. Itaq; fretus sanctitate Tribunatus, cum se non modo contra vim, & ferrum, sed etiam contra verba, atq; intercessionem legibus sacratis esse armatum putaret: venit in templum Castoris: obnunciauit consuli: cum subito manus illa Clodiana in cæde ciuium sæpe iam victrix, exclamat: incitatur: inuadit: inermẽ, atq; imparatum Tribunum alij gladijs adoriuntur: alij fragmentis septorum, & fustibus: à quibus hic multis vulneribus acceptis ac debilitato corpore & contrucidato se abiecit examinatus: neq; vlla alia re ab se mortẽ, nisi opinione mortis depulit. quem cum iacentem & concisum plurimis vulneribus extremo spiritu exanguẽ & confectum viderent: defatigatione magis & errore, quam misericordia & modo, aliquando cædere destiterunt. Et causam dicit Sestius de vi? quid ita? quia viuit. at id nõ sua culpa. plaga vna illa extrema defuit. quæ si accessisset, reliquum spiritũ exhausisset. accusa Lentidiũ. non percussit locũ: maledicito Sabino homini Reatino: cur tam temere exclamarit occisum, ipsum vero quid accusas? nũ defuit gladijs? nũ repudiauit? nũ vt gladiatoribus im-

perari solet, ferrum non recipit? an hæc ipsa vis est, non posse emori? an illa? quod tribunus plebis templũ cruentauit? an quod cũ esset ablatus, primum q3 respuisset, nõ se referri iussit? vbi est crimen, quod reprehenditis? Hic quæro Iudices: si illo die gens ista Clodia, quod facere voluit, effecisset: si P. Sestius, qui pro occiso relictus est, occisus esset: fuistis ne ad armaituri? fuistis ne vos ad patriũ illum animũ maiorum q3 virtutẽ excitaturi? fuistis ne aliquando Remp. à funesto latrone repetituri? an etiam tunc quiesceretis? cunctaremini? timeretis? cũ Remp. à facinorosissimis sicarys, & à seruis esse oppressam, atq3 occupatam videretis? cuius igitur mortẽ vlcisceremini: siquidem liberi esse, & habere Rempub. cogitaretis: de eius virtute viri quid vos loqui, quid sentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat, dubitandum putatis? At vero illi ipsi parricidæ, quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna: adeo vim facinoris sui perhorruerant: vt si paulo longior opinio mortis Sestij fuisset: Gracchum illũ suum transferendi in nos criminis causa occidere cogitarint. sensit rusticulus non incautus, neq3 enim homines nequam tacere potuerunt, suum sanguinem quæri ad restinguendam inuidiam facinoris Clodiani: mulioniam penulam arripuit: cum qua primũ Romam ad comitia venerat: messoria se corbe contexit. cum quærerẽt alij Numerium, alij Quintiũ, gemini nominis errore seruatus est. atq3 hoc scitis omnes, vsq3 adeo hominem in periculo fuisse: quoad Sestium scitum est viuere. quod nisi esset patefactum paulo citius, quàm vellem: non illi quidẽ morte mercenary sui transferre potuissent inuidiam in quos putabant: sed acerbissimi sceleris infamiam grato quodam scelere minuissent. Ac

Parricida.

a

21





situnc P. Sestius Iudices in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset: non dubito, quin, si modo esset in Rep. Senatus: si maiestas populi Romãi reuixisset: aliquando statua huic ob Rempub. interfecto in foro statueretur. Nec vero illorum quisquam, quos à maioribus nostris morte obita positos in illo loco, atq3 in rostris collocatos videtis: esset P. Sestio aut acerbitate mor-

b. tis, aut in Remp. animo præponendus: qui cum causam

21 ciuis calamitosi, causam amici, causam bene de Repub. meriti, causam Senatus, causam Italiæ, causam Reipub. suscepisset: cum q3 auspicys religioni q3 parens obnuncia ret, quod senserat: luce palàm à nefarys pestibus in deorum, hominum q3 conspectu esset occisus, sanctissimo in templo, sanctissima in causa, sanctissimo in magistratu. Eius igitur vitam quisquá spoliandam ornamentis esse dicet? cuius mortẽ ornandam monumento sempiterno putaretis? homines inquit emisti: coegisti: parasti. quid vti faceret? senatum obsideret? ciues indemnatos expelleret? bona diriperet? ædes incẽderet? tecta disturbaret? templa deorum immortalium inflammaret? tribunos pleb. ferro è rostris expelleret? prouincias quas vellet, quibus vellet, venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatos, in liberas ciuitates per legatos nostros reduceret? principem ciuitatis ferro obsessum teneret? hæc vt efficere posset: quæ fieri, nisi armis oppressa Repub. nullo modo poterant: iccirco credo manu sibi P. Sestius & copias comparauit. )( At nondum erat maturum, nondum res ipsa ad eiusmodi præsidia viros bonos compellebat: pulsi nos eramus, non omnino ista manu sola, sed tamen nõ sine ista: vos taciti mœrebamini. Captum erat forum anno superiore ædes Castoris,

Cã.

Occisio.

Dominalia.

Clamor.

tanq̃ arce aliqua, à fugitiuis occupata silebatur. omnia hominum cum egestate, tũ audacia perditorum, clamore, cõcursu, vi, manu gerebantur: perferebatis: magistratus templis pellebantur, aly omnino aditu ac foro prohibebantur: nemo resistebat: gladiatores ex Prætoris comitatu comprehensi, in Senatum introducti, confessi in vincula coniecti à Milone, missi à Serrano: mentio nulla, forum corporibus ciuium Romanorum constratum, cæde nocturna: nonmodo nulla noua quæstio, sed etiam vetera iudicia sublata: Tribunum plebis plus viginti vulneribus acceptis iacentẽ, moribundumq̃, vidistis: alterius Tribuni plebis, diuini hominis, dico enim quod sentio, & quod mecũ sentiũt omnes: diuina, insigni quadã, inaudita, noua magnitudine animi, grauitate, fide præditi, domus est oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano. & tu hoc loco laudas Milonem: & iure laudas, quem enim vnquam virum tã immortali virtute præditum vidimus? qui nullo præmio proposito, præter hoc, quod iam contritum, & contemptũ putatur: iudicium bonorum: omnia pericula, summos labores, grauissimas contentiones, inimicitias q̃, suscepit: qui mihi vnus ex omnibus ciuibus videtur re docuisse, nõ verbis: quid oporteat à præstantissimis virisin Repub. fieri: & quid necesse esset. oportere hominum audacium, euersorum Reipub. sceleri, legibus & iudicys resistere. si leges nõ valerent, iudicia non essent: si Respub. vi consensuq̃, audacium armis oppressa teneretur: præsidio & copys defendi vitam & libertatem necesse esse. hoc sentire, prudentiæ est: facere, fortitudinis: sentire vero, et facere, perfectæ cumulataq̃, virtutis. Adiyt ad Remp. tribunus plebis Milo: de cuius laude plura dicã: nõ quo aut ipse hæc dici,



dici, quàm existimari, malit: aut ego hunc laudis fructũ præsenti libenter impertiam: præsertim cum verbis consequi non possim: sed quod existimo si Milonis causam accusatoris voce collaudatam. probaro: vos in hoc crimine parẽ Sesty causam existimaturos.) (Adiyt igitur T. Annius ad causam Reip. sicut ciuẽ patriæ recuperare vellet Reip. ∴ tum simplex causa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordiæ. Collegas adiutores habebat. Consulis alterius summum studium, alterius animus penè placatus. De Prætoribus vnus alienus: Senatus incredibilis voluntas: Equitum Ro. animi ad causam excitati: erecta Italia: duo soli erant empti ad impediendum: qui si homines despecti & contempti tantam rem sustinere non potuissent, se causam quam susceperat nullo labore peracturum videbat. agebat authoritate, agebat consilio, agebat per summum ordinem, agebat exemplo bonorum ac fortium ciuium: quid Repub. quid se dignũ esset, quis ipse esset, quid sperare, quid maioribus suis reddere deberet, diligentissime cogitabat. Huic grauitati hominis, videbat ille gladiator se, si moribus ageret, parẽ esse non posse: ad ferrum, ad faces, ad quotidianã cædem, incendia, rapinas, se cum exercitu suo contulit: domum oppugnare, itineribus occurrere, vi lacessere & terrere cœpit. Non mouit hominem summa grauitate, summaq̃, constantia: sed quanquã dolor animi, innata libertas, prompta excellensq̃, virtus fortissimum virum hortabatur, vi vim oblatam præsertim sæpius, vt frangeret & refutaret: tanta moderatio fuit hominis, tantum consilium, vt contineret dolorem, neq̃, eadem se re vlciscereturr, qua esset lacessitus: sed illũ tot iam in funeribus Reip. exultantẽ ac tripudiantem,

legum, si posset, laqueis constringeret, descendit ad accusandum, quis vnquam tã proprie? Reipub. causa, nullis inimicitijs, nullis præmijs, nulla hominũ postulatione, aut etiam opinione id vnquam esse facturũ? fracti erant animi hominis: hoc enim accusante, pristini illius sui iudicij turpitudinem desperabat. Ecce tibi Consul Prætor Tr. pl. noua noui generis edicta proponunt. Ne reus adsit, ne citetur, ne quæratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum aut iudiciorum facere liceat. Quid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus, vi scelératorum hominum corroborata, legibus iudicijsq; sublatis? ceruices Trib. pl. priuato, præstantissimus vir, profligatissimo homini daret? an causam susceptam affligeret? an se domi contineret? & vinci turpe putauit, et deterreri: etiam eripi? reiecit. * vt quoniam sibi in illum legibus vti non liceret, illius vim neq; in suo, neq; in Rei publicæ periculo pertimesceret. )( Quomodo igitur in hoc genere præsidij comparati accusas Sestium? cum idem laudes Milonem? an qui sua tecta defendit: qui ab aris, foci: ferrũ flammamq; depellit: qui sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, in curia: qui vitæ præsidium comparat: qui vulneribus, quæ cernit quotidie toto corpore, monetur, vt aliquo præsidio caput, & ceruices, & iugulum ac latera tutetur: hunc de vi accusandum putas? quis enim vestrum Iud. ignorat, ita naturam rerum tuliſſe: vt quodam tempore homines, nondum neq; naturali, neq; ciuili iure descripto, fusi per agros ac dispersi vagarentur: tantumq; haberent, quantum manu ac viribus per cædẽ ac vulnera aut eripere aut retinere potuissent. qui igitur primi virtute, & consilio præstanti extiterunt: ij perspecto genere humanæ docilitatis atq; ingenij,



ingenij, dissipatos vnum in locum congregarunt: eosq; ex feritate illa ad iusticiam, atq; mansuetudinem transduxerunt. tum res ad communẽ vtilitatem continentes, quas publicas appellamus: tum conuenticula hominũ, quæ postea ciuitates nominauerunt: tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus: inuento & diuino & huma no iure mœnibus sepserunt. atq; inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tam interest: quàm vis, & ius horum vtro vti nolimus: altero est vtendum. vim volumus extingui? ius valeat necesse est: id est iudicia, quibus omne ius cõtinetur, iudicia displicẽt? aut nulla sunt? vis dominetur necesse est. hæc vident omnes. Milo & vidit: & fecit. vt ius experiretur: vim depelleret: altero vti voluit, vt virtus audaciã vinceret: altero vsus necessario est, ne virtus ab audacia vinceretur. Eademq; ratio fuit P. Sestij, si minus in accusando (neq; enim per omnes fuit idem necesse fieri) at certe in necessitate defendendæ salutis suæ, præsidioq; contra vim, & manũ comparando. nã quid ageret vir ad dignitatem & gloriam natus? agebat authoritate: agebat consilio: agebat per summum ordinem: agebat exemplo bonorũ ac fortium ciuium: quid Republica, quid se dignũ esset: quis esse ipse posset: quid sperare, quid maioribus suis reddere deberet: diligentissime cogitabat. O dij immortales, quem nam ostenditis exitum nobis? quã spem Reip. datis. quotus quisq; inuenietur tanta virtute vir? qui optimam quanq; causam Reip. amplectatur? qui bonis viris deseruiat? qui sõlidã laudẽ, veramq; quærat? )( cum sciat illa duo Reipub. pene fata, Gabiniũ & Pisonem, alterum haurire quotidie ex pacatissimis atq; opulentissimis Syriæ gazis innumerabile pondus auri: bellum

luminferre quiescentibus, vt eorum veteres illibatas q3 diuitias in profundissimum libidinum suarum gurgite profundat: villam ædificare in oculis omnium tantam, tugurium vt iam videatur esse illa villa quã ipse Trib. pl. pictam olim in concionibus explicabat, quo fortissimum ac summũ ciuem in inuidiam homo castus ac nõ cupidus vocaret? Alterũ Thracibus ac Dardanis primum pacẽ maxima pecunia vendidisse: deinde vt illi pecuniam conficere possent, vexandam his Macedoniã & spoliandam tradidisse: eundemq3 bona creditorum ciuium Rom. cum debitoribus Græcis diuisisse: cogere pecunias maximas à Dyrrhachinis, spoliare Thessalos, certam Achæis in annos singulos pecuniã imperauisse: neq3 tamen vllo in publico, aut religioso loco, signũ aut tabulã aut ornamentum reliquisse? Hos sic illudere, quibus omne supplicium atq3 omnis iure optimo pœna debetur: reos esse hos duos, quos videtis? Omitto iam Numerium, Serranum, Aelium quisquilias seditionis Clodianæ: sed tamen hi quoq3 etiã nunc volitant vt videtis: nec dum vos de vobis aliquid timebitis, illi vnquã de se pertimescẽt? Nam quid ego de Aedili ipso loquar, qui etiã diem dixit, et accusauit de vi Milonem? (Neq3 hic tamen vlla vnquam iniuria adducetur: vt eum tali virtute, tantaq3 firmitate animi se in Remp. fuisse pœniteat. sed qui hæc vident, adolescentes, quonã suas mentes conferent? ille qui monumenta publica, qui ædes sacras, qui A domos inimicorũ suorũ oppugnauit: excidit: incendit: 23 qui stipatus semper sicarys, septus armatis, munitus indicibus fuit: quorũ hodie copia redundat,) (qui & peregrinã manum facinorosorum concitauit, & seruos ad cædem idoneos emit, & in Tribunatu carcerem totum in

forum



forum effudit: volitat Aedilis, accusat eũ qui aliqua ex parte eius furorẽ exultantem repressit, hic qui se est tutatus sic, vt in priuata) (re deos penates suos, in Republica Tribunatus auspiciaq3 defenderet: accusare eum moderate, à quo ipse nefarie accusatur: per senatus authoritatẽ non est situs. Nimirũ hoc illud est, quod de me potissimum tu in accusatione quæsisti: quæ esset nostra natio optimatiũ. sic enim dixisti. Rem quæris præclarã inuentuti ad discendum: nec mihi difficilem ad perdocendũ. de qua pauca Iudices dicam: & vt arbitror, nec ab vtilitate eorum, qui audient, nec ab officio vestro, nec ab ipsa causa P. Sestij abhorrebit oratio mea. Duo genera semper in hac ciuitate fuerunt eorum qui versari in Republica atq3 in ea se excellentius gerere studuerunt. quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi, et esse voluerunt. qui ea, quæ faciebant, quæq3 dicebant: multitudini iucunda esse volebant, populares. qui autẽ ita se gerebant, vt sua consilia optimo cuiq3 probarentur, optimates habebantur. quis ergo optimus iste? quis? de numero si quæris, innumerabiles: neq3 enim aliter stare possemus. Sunt principes consilij publici sunt qui eorum sectam sequuntur, sunt maximorum ordinum homines, quibus patet Curia: sunt municipales rusticiq3 Romani, sunt negocia gerentes, sunt etiã libertini optimates, numerus vt dixi huius generis late, et varie diffusus est. Sed genus vniuersum, vt tollatur error, breui circunscribi & definiri potest. omnes optimaB tes sunt, qui neq3 nocentes sunt, nec natura improbi, nec 23 furiosi: nec malis domesticis impediti. Esto igitur vt hi sint, quam tu nationem appellasti: & qui integri sunt, et sani, & bene de rebus domesticis constituti. horũ qui vo-

luntati.

luntuti, commodis, opinioni in gubernanda Rep. seruiunt: defensores optimatum, ipsiq3 optimates grauissimi & clarissimi ciues nominantur, & principes ciuitatis. quid est igitur propositũ his Reip. gubernatoribus: quod intueri: & quo cursum suũ dirigere debeant? id quod est præstantissimum maximeq3 optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate ociũ. hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, summi viri & conseruatores ciuitatis putantur. neq3 enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita conuenit: vt ocio non prospiciant: neq3 vllũ amplexari ociũ, quod abhorreat à dignitate. huius autẽ ocioſæ dignitatis hæc fundamenta sunt: hæc membra: quæ tuenda principibus, & vel capitis periculo defendenda sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuũ, Senatus authoritas, leges, mos maiorũ, iudicia, iurisdictio, fides, prouinciæ, socij, imperij laus, res militaris, ærariũ. harum rerũ tot atq3 tantarum esse defensorem & patronum magni animi est, magni ingenij, magnæq3 constantiæ. )( Etenim in tanto ciuium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum pœnæ peccatorum suorũ conscij, nouos motus conuersionesq3 Reip. quærant: aut qui propter insitũ quendam animi furorem, discordijs ciuium ac seditione pascãtur, aut qui propter implicationẽ rei familiaris communi incendio malint, quã suo deflagrare. Qui cum authores sunt, & duces suorum studiorum, vitiorumq3 nacti, in Rep. fluctus excitantur: vt vigilandũ sit ys qui sibi gubernacula patriæ deposcerunt: enitendumq3 omni scientia, ac diligentia, vt conseruatis his, quæ ego paulo ante fundamenta ac mẽbra esse dixi, tenere cursum possint, & capere ocij illũ portum & dignitatis. )( Hanc ego viam



viam Iud. si aut asperam, atq3 arduã, aut plenã esse periculorum, aut infidiarum negẽ, mentiar: præsertim, cum id non modo intellexerim semper: sed etiã præter cæteros senserim. maioribus præsidijs & copijs oppugnatur Respub. quã defenditur: propterea quod audaces homines, & perditi, nutu impelluntur: & ipsi etiã sua sponte contra Remp. incitantur. boni nescio quo modo tardiores a sunt: & principijs rerum neglectis, ad extremum ipsa 24 denique necessitate excitantur: ita vt nonnunquã cunctatione ac tarditate, dum ocium volunt etiã sine dignitate retinere, ipsi vtrunq3 amittant. Propugnatores autẽ Reip. qui esse voluerunt, si leniores sunt, desciscunt: si timidiores, desunt: permanent illi soli, atq3 omnia Reip. causa perferunt. qui sunt tales, qualis pater tuus M. Scaure fuit: qui à C. Graccho vsq3 ad C. Marium, seditiosis omnibus restitit: quẽ nulla vnquã vis, nulla minæ, nulla inuidia labefecit. aut qualis Q. Metellus patruus matris tuæ: )( qui cum florentẽ hominem in populari ratione L. Saturninum Censor notasset: cumq3 insitiuum Gracchum contra vim multitudinis incitatæ censu prohibuisset, cumq3 in eam legẽ, quam non iure rogatã iudicarat, iurare vnus noluisset )( de ciuitate maluit, quã de sententia dimoueri. aut, vt vetera exempla, quorum est copia dignaq3 huius imperij gloria, relinquã: ne' ue eorum aliquẽ qui viuunt, nominẽ: qualis nuper Q. Catulus fuit: quem neq3 periculi tempestas, neq3 honoris aura potuit vnquam de suo cursu, aut spe, aut metu dimouere. Hæc imitamini per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. hæc ampla sunt: hæc immortalia: hæc diuina: hæc fama celebrantur: monumentis annalium mandantur: posteritati propagãtur.

Est

Est labor, non nego: pericula
Magna, fateor: multæ insidiæ sunt bonis, verissime dictum est.

Sed te, id quod multi inuideant, multiq; expetant,
Inscitia sit, inquit, postulare. si tu laborem summa cũ cura efferas, nullum. Idem alio loco dixit, quod excuperent improbi ciues,

Oderint, dum metuant. Præclara enim illa præcepta dederat iuuentuti: sed tamen hæc via, hæc ratio Reip. capessendæ hodie erat magis pertimescenda: cum multis in rebus multitudinis studium ad populi commodũ abutilitate Reip. discrepabat. Tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur: populus libertatem agi putabat suam: dissentiebant principes, & in salute optimatium temeritatem multitudinis, & tabellæ licentiam pertimescebant. Agrariam T. Gracchus legem ferebat: grata erat populo: fortunæ constitui tenuiorum videbantur: nitebantur contra optimates, quod & discordiã excitari videbant, & cum locupletes possessionibus diuturnis mouerentur, spoliari Rempublicam propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. iucundares plebi Romanæ: victus enim suppeditabatur large sine labore: repugnabant boni, quod & ab industria plebem ad desidiam auocari putabant, et ærarium exhauriri videbatur. Multa etiã nostra memoria, quæ consulto prætereo, fuerunt in ea contentione, vt popularis cupiditas à consilio principum dissideret. Nunc iã nihil est quod populus à delectis principibus dissentiat: nec flagitat rem vllam, neq; nouarum rerum est cupidus, & ocio suo, & dignitate optimi cuiusq;, & vniuersæ Reipub. gloria delectatur. Itaq; homines seditiosi ac turbulenti,



bulenti, quia nulla iam largitione P. R. concitare possunt: quod plebs perfuncta grauissimis seditionibus ac discordijs ocium malle videatur, conductas habent cõciones: neq; id agunt, vt ea dicant, aut ferant, quæ illi velint audire, qui in concione sunt: sed precio ac mercede perficiunt, vt quicquid dicant, id illi velle audire videantur. Num vos existimatis Gracchos aut Saturninũ, aut quenquã illorum veterum, qui populares habebantur: vllũ vnquam in concione habuisse conductũ? Nemo habuit: ipsa enim largitio, & spes commodi propositi, sine mercede vlla, multitudinẽ concitabat. Itaq; temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graues & honestos homines, sed populi iudicijs, atque omni significatione florebãt: his in theatro plaudebatur: hi suffragijs, quod cõtenderant, consequebantur: horum homines nomen, orationẽ, vultũ, incessum amabant. Qui autẽ aduersãbantur ei generi graues, & magni homines habebantur: sed valebant in Senatu multum, apud bonos viros plurimũ: multitudini iucundi non erant, suffragijs offendebatur sæpe eorum voluntas: plausum vero etiã si quis eorũ aliquando acceperat, ne quid peccasset, pertimescebat. Attamen si qua res erat maior, idem ille populus horum authoritate maxime commouebatur. )( Nunc, nisi me fallit, in eo statu ciuitas est: vt si operas conductorũ, remoueris: omnes idẽ de Repub. sensuri esse videantur. etenim tribus locis significari maxime populi Romani iudiciũ, ac voluntas potest, concione, comitijs, ludorum gladiatorumq; consessu. quæ concio fuit per hos annos? quæ quidem esset non conducta, sed vera: in qua populi Romani consensus perspici posset? habitæ sunt multæ de me à gladiato-

re scelerati ssimo conciones: ad quas nemo adibat incorruptus: nemo integer: nemo illum fœdũ vultum aspicere, nemo furialem vocẽ bonus audire poterat? Erant, erant illæ conciones perditorũ hominum necessario turbulentæ. habuit de eodẽ me P. Lentulus Consul concionẽ: cõcursus est P. R. factus: omnes ordines, tota in illa cõcione Italia constitit: egit causam summa cũ grauitate copiaq; dicendi, tanto silentio, tanta approbatione omnium: nihil vt vnquã videretur tã populare ad P. R. aures accidisse. productus est ab eo Cn. Pompeius: qui se nõ solum authorẽ meæ salutis, sed etiã supplicem P. R. exhibuit. huius oratio & pergrauis & grata in cõcione fuit. Sic contendo nunquã neq; sententiã eius authoritate, neque eloquentiam iucunditate fuisse maiorẽ. quo silentio sunt auditi de me cæteri principes ciuitatis? quos iccirco nõ appello hoc loco: ne mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata: si satis de omnibus, infinita esse videatur. cedo nunc eiusdẽ illius inimici mei de me eodẽ ad verum populũ in cãpo Martio concionẽ. quis non modo approbauit, sed non indignissimũ facinus putauit? illum non dicã loqui, sed viuere, ac spirare? quis fuit? qui non eius voce maculari Rempub? seq;, si cũ audiret, scelere astringi arbitraretur? Venio ad comitia )( siue magistratuũ placet, siue legum. Leges videmus sæpe ferri multas: omitto eas quæ feruntur ita, vix vt quini, & hi ex aliarũ tribubus, qui suffragiũ ferãt, reperiantur: )( de me, quẽ Tyrannum atq; emptorem libertatis esse dicebat: in illa ruina Reip. dicit se legẽ tulisse. quis est? qui, cũ contra me ferebatur, iniisse se suffragiũ confiteatur? cum autẽ de me eodẽ ex senatusconsulto comitys Centuriatis ferebatur, quis est? qui non profiteatur se affuisse, & suffragium de salute mea tulisse? vtra igitur causa popularis debet vi-

Cãagere?

Dicere?



deri? in qua omnes honestates ciuitatis, omnes ætates, omnes ordines vnà cõsentiunt? an in qua furiæ cõcitatæ tã quã ad sanus Reip. conuolãt? An si cubi aderit Gellius, homo & fratre indignus viro clarissimo atq; optimo Consule, & ordine equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit, id erit populare? )( est enim homo iste P. R. deditus: nihil vidi magis, qui cũ eius adolescẽtia in amplissimis honoribus summi viri L. Philippi vitrici florere potuisset, vsq; eò non fuit popularis, vt bona sõlus comesset. Deinde ex impuro adolescẽte & petulante, posteaq; rem paternã ab idiotarũ diuitys ad philosophorũ regulã perduxit: Græculum se atq; ociosum putari voluit: studio literarũ se subito dedidit. Nihil sanè à te inuabatur. anaguastæ, )( libelli etiã p vino sæpe oppignerabãtur. manebat insaturabile abdomen: copiæ deficiebant. Itaq; semper versabatur in spe rerũ nouarũ: ocio et tranquillitate Reip. cõsenescebat. Ecquæ seditio vnq; fuit, in qua nõ ille princeps? ecquis seditiosus, cui ille nõ familiaris? ecquæ turbulenta concio, cuius ille non concitator? cui bene dixit vnquã bono? bene dixit? immo, quẽ fortem & bonũ ciuẽ non petulantissime est insectatus? qui, vt credo, nõ libidinis causa, sed vt plebicola videretur, libertinã duxit vxorẽ: is de me suffragiũ tulit: is affuit: is interfuit epulis, & gratulationib. parricidarũ * in quo tamẽ est ne vllus cũ illo reo inimicus? est meus Suauiat9 )( quasi mea culpa bona p diderit: ita ob eã causam est mihi inimicus: quia nihil habet. Vtrũ ego tibi patrimoniũ eripui Gelli? an tu comedisti? qd tu meo periculo gurges ac vorago patrimonij helnabere? vt si ego Cõs. Rẽp. contrate, & gregales tuos defendissem: in ciuitate esse me nollet? te nemo tuorũ videre vult: omnes aditum, sermo-

Adolescens, Rom. docto. Ferrar. Mihi videtur &c. Sunt quæ grauiter cum bonis literis consentiant.

ἀ παρρησίας τὸν τόπον

Gellig gurges ac Vorago patrimonij.

nē, congressum tuum fugiunt: )( te sororis filius Posthumius adolescens grauis, senili iudicio notauit, cū in magno numero, tutorē liberis non instituit. Sed elatus odio, & meo & Reip. nomine: quorum ille vtri sit inimicior nescio: plura dixi, quàm dicendum fuit in furiosissimū atq; egentissimum caneonem. Illuc reuertor, contra me quid sit actum capta vrbe atq; oppressa, Gellium, Firmidium, Titium, eiusdē modi furias, illis mercenarijs gregibus duces & authores fuisse: cum ipse lator nihil ab horum turpitudine, audacia, sordibus abhorreret. At cū de dignitate mea ferebatur, nemo sibi nec valetudinis excusationē, nec senectutis satis iustā putauit: nemo fuit qui se nō Remp. mecum simul reuocare in suas sedes arbitraretur. Videamus nunc comitia magistratuū. Fuit collegium nuper tribunitium, in quo tres, qui minime, vehementer duo populares existimabantur: ex his populares non habebantur, quibus in illo genere conductarū concionum consistendi potestas nō erat: duo à P.R. Pretores video esse factos: & quantum sermonibus vulgi & suffragijs intelligere potui, præse P.R. ferebat, sibi illum in Tribunatu Cn. Domitij animum constantē & egregium, atq; Q. Anchary fidē ac fortitudinem etiā si nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse. Iā de C. Fannio quæ sit existimatio, videmus: quod iudicium po. Ro. in honoribus eius futurum sit, nemini dubiū esse debet. Quid populares illi duo, quid egerunt? alter, qui tamen se continuerat, tulerat nihil, senserat tantum de Rep. aliud atq; homines expectabant: vir & bonus & innocens, & bonis viris semper probatus: quòd parum videlicet intellexit in Tribunatu: quid vero populo probaretur, & quid illum esse populus Romanus, qui



quii in concione erat, arbitrabatur: non tenuit eum locū, in quē, nisi popularis esse voluisset, facillime peruenisset. Alter, qui ita se in populari ratione iactarat, vt auspicia, legem Heliam, Senatus authoritatem, Consulem, Collegas, bonorum iudicium, nihil putaret: Aedilitatē petiit cum bonis viris, & hominibus primis, sed non præstantissimis, opibus & gratia: tribum suā non tulit: Palatinam denique, per quā omnes illæ pestes vexare pop. Ro. dicebātur, perdidit: nec quicquā illis comitijs, quod boni viri vellent, nisi repulsam, tulit. Videtis igitur populum ipsum, vt ita dicam, iā non esse popularem, qui ita vehementer eos, qui populares habentur, respuat: eos autem qui ei generi aduersantur: honore dignissimos iudicet. Veniamus ad ludos: facit enim Iud. vester iste in me animorum oculorumq; cōtuitus, vt mihi iam licere putem remissiore vti genere dicendi. Comitiorum & concionum significationes interdū veræ sunt, non nūquam vitiatæ atq; corruptæ: theatrales gladiatorijq; cōsessus dicuntur omnino solere leuitate nonnullorum emptos plausus & exiles & raros excitare: attamen facile est, cum id fit, quem admodū, & à quibus fiat, & quid integra multitudo faciat, videre. Quid ego nunc dicā, quibus viris aut cui generi ciuium maxime applaudatur? neminem vestrum fallit: sit hoc sanè leue, quod non ita est, quoniā optimo cuiq; impertiatur: sed si est leue, homini graui leue est: ei vero qui pendet rebus leuissimis, qui rumore, & vt ipsi loquuntur, fauore populi tenetur & ducitur, plausum immortalitatem, sibilum mortē videri necesse est. Ex te igitur Scaure potissimum quæro, qui ludos apparatissimos magnificentissimosq; feceris, ecquis istorum populariū tuos ludos aspexerit?

ecquis se theatro, populoq; Romano commiserit? Ipse
ille maxime ludius, non solum spectator, sed actor &
acroama, qui omnia sororis embolia nouit: qui in cœ-
tu mulierum pro psaltria adducitur: nec tuos ludos a-
spexit in illo ardenti Tribunatu suo. nec vllos alios, nisi
eos à quibus vix viuus effugit. Semel inquã, se ludis ho-
mo popularis commisit omnino, cum in templo Virtu-
tis, honos habitus esset Virtuti: C. q; Mary conseruato-
ris huius imperij monumentũ municipij eius: & Reip.
defensori sedem ad salutẽ præbuisset: quo quidem tem-
re, quid populus Ro. sentire se ostenderit, utroq; in gene-
re, declaratum est. Primo, cũ audito Sen. Con. ore ipsi
atq; absenti Senatui plausus est ab vniuersis datus. De-
inde, cũ Senatoribus singulis spectatũ è Senatu redeun-
tibus. cum vero ipse qui ludos faciebat, Consul assedit,
stantes, & manibus passis gratias agentes, & lachryman
tes gaudio, suã erga me beneuolentiam ac misericordiã
declararunt. At cum ille furibundus incitata illa sua ve
cordi mente venisset, vix se populus Romanus tenuit:
vix homines odiũ suũ à corpore eius impuro atq; infan-
do represserunt: voces quidẽ, & palmarum intentus, &
maledictorum clamorem omnes profuderunt. Sed quid
ego pop. Rom. animum virtutemq; commemoro, liber-
tatẽ iam ex diuturna seruitute despicientis in eo homi-
ne, cui tum petenti iã Aedilitatem ne histriones quidẽ
coràm sedenti pepercerunt? Nam cum ageretur Toga-
ta, simulans, vt opinor, caterua tota, clarissima contentione in ore impuri hominis imminens concionata est.
Huic vitæ tuæ. & post principia atq; exitus vitiosæ vi-
tæ, sedebat exanimatus, & is qui antea cantorum con-
uicio

nicio conciones celebrare suas solebat, cantorũ ipsorum vocibus eiyciebatur. Et quoniã facta mentio est ludorũ, ne illud quidẽ prætermittam, in magna varietate sententiarum, nunquam vllũ fuisse locũ, in quo aliquid à poëta dictum cadere in tempus nostrũ videretur, quod aut populum vniuersum fugeret, aut non exprimeret ipse actor. Et quaso hoc loco lud. ne qua me leuitate ductum ad insolitum genus dicendi labi putetis: si de poëtis, de histrionibus, de ludis in iudicio loquar. Non sum tam ignarus Iudices causarũ, nõ tam insolens in dicendo, vt ex omni genere orationem aucuper, & omnes vndique flosculos carpam atq; delibẽ: scio quid grauitas vestra, quid hæc aduocatio, quid illi cõuentus, quid dignitas P. Sestij, quid periculi magnitudo, quid ætas, quid honos meus postulet: sed mihi sumpsi hoc loco doctrinã quandã iuuentuti, qui essent optimates. in ea explicanda demõstrandũ est, nõ esse populareis omneis eos, qui putentur. Id facillime consequar, si vniuersi populi iudiciũ verũ & incorruptũ, & si intimos sensus ciuitatis expressero. Quid fuit illud, quòd recenti nuncio de illo S. C. quod factũ est in templo Virtutis, ad ludos scenamq; perlato, consessu maximo, summus artifex, et mehercule semper partiũ in Rep. tanquã in scena optimatiũ flens, & recenti lætitia & misto dolore ac desiderio mei, egit aperte multo grauioribus verbis meã causam, quã egomet de me agere potuissem? summi enim poëtæ ingenium non solum arte sua, sed etiam dolore exprimebat.

Quam enim certo animo qui Remp. adiuuerit, stetit cum Achiuis.

Vobiscum me stetisse dicebat, vestros ordines demonstrabat, reuocabatur ab vniuersis.

Re dubia nec dubitauit vitam offerre, nec capiti pepercerit.

Hæc quantis ab illo clamoribus agebantur, cum iã omisso gestu verbis poetæ, & studio authoris, & expectationi nostræ plauderetur.

Summum amicum summo in bello.

(Nam illud ipse actor adiungebat amico animo: & quod fortassis homines propter aliquod desiderium approbabant.)

Summo ingenio præditum.

Tum illa quanto cum gemitu Po. Ro. ab eodem paulo post in eadem fabula sunt acta?

O pater.

Me me ille absentem, vt patrem deplorandũ putabat, quẽ Q. Catulus, quem multi alij sæpe in Senatu patrẽ patriæ nominarant: quanto cũ fletu de illis nostris incendijs, ac ruinis, cum patrem pulsum, patriã afflictam deploraret, domum incensam euersamq; sic egit, vt demonstrata pristina fortuna, cum sẽ conuertisset.

Hæc omnia vidi inflammari,

Fletum etiam inimicis atq; inuidis excitaret. Prò dij immortales, quid illa, quemadmodũ dixit idẽ? quæ mihi quidem ita & acta & scripta videntur esse, vt vel à Catulo, si reuixisset, præclare posse dici viderentur, is enim liberè reprehendere & accusare populi nonnunquam temeritatem solebat, aut errorem Senatus.

O ingratifici Argiui, inanes Graij, immemores beneficij.

Non erat illud quidẽ verum: nõ enim ingrati, sed miseri, quibus reddere salutem à quo acceperant, non liceret:



ret: nec vnus in quenquam vnquam gratior, quã in me vniuersi: sed tamen illud scripsit disertissimus poëta pro me: egit fortissimus actor, non solum optimus de me, cum omnes ordines demonstraret, Senatum, equites Rom. vniuersum populum Romanum accusaret,

Exulare sinitis, siuistis pelli, pulsum patimini.

Quæ tum significatio fuerit omnium, quæ declaratio voluntatis ab vniuerso populo Romano in causa hominis non popularis: equidem audiebamus: existimare facilius possunt, qui adfuerunt. Et quoniam me huc prouexit oratio: histrio casum meum toties collachrymauit, cum ità dolenter ageret causam meam, vt vox eius illa præclara, lachrymis impediretur. Neq; poëtæ, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eaq; Pop. Rom. non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobauit. Vtrum igitur hæc Aesopum potius pro me, aut Actium dicere oportuit, si pop. Rom. liber esset: an principes ciuitatis? Nominatim sum appellatus in Bruto, Tullius, qui libertatem ciuibus stabiliuerat. millies reuocatum est. Parum ne videbatur, pop. Rom. iudicare id à me, & à Senatu esse constitutum, quod perditi ciues sublatum per nos criminabantur? Maximũ vero pop. Rom. iudicium vniuerso consessu gladiatorio declaratum est: erat enim munus Scipionis, dignum et eo ipso & illo Q. Metello, cui dabatur. Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atq; omni genere hominũ celebratur, quo multitudo maxime delectatur: in hunc consessum P. Sestius Tribunus pleb. cum ageret nihil aliud in eo magistratu, nisi meã causam, venit, et se populo dedit, nõ plausus cupiditate, sed vt ipsi inimici nostri voluntatem vniuersi populi viderent: venit, vt sci

tis, ad columnam Mœniã tantus est ex omnibus spectaculis usq; à Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, vt nunquã maior consensio, aut apertior populi Romani vniuersi fuisse vlla in causa diceretur. Vbi erant tum illi concionum moderatores, legum domini, ciuium expulsores? alius ne est aliquis improbis ciuibus peculiaris populus, cui nos offensi inuisiq; fuerimus? Equidem existimo, nullum tempus esse frequentioris populi, quàm illud gladiatorium: neq; concionis vllius, neque vero vllorum comitiorum. Hæc igitur innumerabilis hominum multitudo, hæc populi Romani tanta significatio, sine vlla varietate vniuersi cum illis ipsis diebus de me actum iri putaretur: quid declarauit, nisi optimorum ciuium salutem & dignitatẽ populo Romano charam esse vniuersõ? At vero ille Tribunus plẽb. qui de me non patris, aui, proaui, maiorũ deniq; suorum omniũ, sed Græculorum instituto, concionem interrogare solebat: vellet ne me redire, et cum erat reclamatũ semiuiuis mercenariorum vocibus, pop. Rom. negare dicebat: is cum quotidie gladiatores spectaret, nunquam est conspectus: cum veniret emergebat subito, cum sub tabulas subrepserat: vt,

*Mater te appello,*

dicturus videretur. Itaq; illa via latebrosa, quà spectatum ille veniebat, Appia iam vocabatur. Qui tamẽ quoquo tempore conspectus erat, non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant. Videtis ne igitur quantum inter pop. Rom. & concionem intersit, dominos concionum omni odio pop. notari? quibus autem consistere in operarum concionibus non liceat, eos omni pop. Rom. significatione decorari?



rari? Tu mihi etiam M. Attilium Regulum cõmemoras? qui redire ipse Carthaginem suæ voluntate ad supplicium, quã sine his captiuis, à quibus ad Senatũ missus erat, Romæ manere malueri? & mihi negas optandum reditum fuisse, per familias comparatas & homines armatos? vim scilicet ego desideraui: qui dũ vis fuit, nihil egi, & quẽ, si vis nõ fuisset, nullares labefactare potuisset. Hunc ego reditum repudiarem? qui ita florens fuit, vt verear, ne quis me studio gloriæ putet idcirco exisse, vt ita redirem. quẽ enim vnquam Senatus ciuem, nisi me, nationibus exteris cõmendauit? Cuius vnquã propter salutem, nisi meam, Senatus publice socijs pop. Rom. gratias egit? de me vno P. C. decreuerunt, vt qui prouincias cum imperio obtinerent, qui Quæstores Legatiq; essent, salutem & vitam custodirent. In mea vna causa, post Romam conditam factum est, vt literis Consularibus ex Senatus consulto cuncta ex Italia, omnes qui Rempublicam saluam vellent, cõuocarentur: quod nunquam Senatus in vniuersæ Reip. periculo decreuit: id in vnius mea salute conseruanda decernendum putauit. Quem curia magis requisiuit? quem forum luxit? quem æque ipsa tribunalia desideraverunt? omnia discessu meo deserta, horrida, muta, plena luctus & mœroris fuerunt. quis est Italiæ locus, in quo non fixum sit in publicis monimentis studium salutis meæ, testimonium dignitatis? Nã quid ego illa de me diuina Senatus consulta commemorẽ? vel quod in tẽplo Iouis Opt. Max. factum est, cũ vir is: qui tripertitas orbis terrarũ oras atq; regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notauit, de scripto sententia dicta, mihi vni testimoniũ patriæ conseruatæ dedit. cuius sententiã ita frequentissimus Senatus

natus secutus est vt vnus dissentiret hostis, idq; ipsum tabulis publicis mandaretur ad memoriã posteri temporis sempiternam, vel quod est postridie decretum in curia, populi ipsius Romani, & eorum qui ex municipijs conuenerãt, admonitu, ne quis de cœlo seruaret: ne quis moram vllam afferret: si quis aliter fecisset: eum planè euersorem Reip. fore: idq; Senatum grauissime laturũ: & vt statim de eius facto referretur. Qua grauitate sua cũ frequens Senatus nonnullorũ scelus audaciam q; tardasset, tum illud addidit, nisi diebus quinq;, quibus agi de me potuisset, non esset actum, redirem in patriam dignitate omni recuperata. Decreuit eodẽ tempore Senatus, vt ys, qui ex Italia tota salutis meæ causa conuenerant, agerentur gratiæ: atq; vt idẽ ad res redeuntes vt venirent, rogarentur. Hæc erat studiorũ in mea salute contentio: vt hi qui à Senatu de me rogabantur, eidẽ Senatui pro me supplicarent. Atq; ita in his rebus vnus est solus inuentus, qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palàm dissideret: vt etiã Q. Metellus Cos. qui mihi vel maxime ex magnis contentionibus Reipub. fuisset inimicus, de mea salute retulerit: qui excitatus cum summa authoritate P. Seruily, quadam grauitate dicendi, cum ille omnes prope ab inferis euocasset Metellos, et ad illius generis, quod sibi cum eo commune esset, dignitatem, propinqui sui mentem à Clodianis latrocinijs reflexisset: cum q; eum ad domestici exempli memoriam, & ad vnũ dictũ citius Metelli casum vel glorioſum, vel grauem conuertisset, collachrymauit: vt vir egregius, ac vere Metellus, totum q; se P. Seruilio dicenti etiam tum tradidit: nec illam diuinã grauitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere:

&



& mecum absens beneficio redyt in gratiam. Quod certe, si est aliquis sensus in morte præclarorum virorum, cum omnibus Metellis, tum vero vni viro fortissimo, & præstantissimo ciui, gratissimum fratri suo fecit, socio laborum, periculorum, consiliorum meorum. Reditus vero meus qui fuerit, quis ignorat? quem admodum mihi aduenienti tanquam totius Italiæ, atq; ipsius patriæ dexteram porrexerint Brundusini? cum ipsis Nonis Sextilibus idem dies aduentus mei fuisset, reditus qui natalis: idem charissimæ filiæ, quam ex grauissimo tum primũ desiderio luctuq; conspexi: idem etiam ipsius coloniæ Brundusinæ, idem vt scitis: cum q; me domus eadẽ optimorum & doctissimorum virorum L. Flacci & patris, & fratris eius lætissima accepisset, quæ proximo anno mœrens receperat, & suo præsidio periculoq; defenderat: cum q; itinere toto vrbes Italiæ festos dies aduentus mei videbantur agere: via multitudine Legatorum vndiq; missorũ celebrabantur: ad vrbem accessus incredibili hominum multitudine, & gratulatione florebat: iter à porta in Capitoliũ ascensus, domum reditus erat eiusmodi, vt summa in lætitia illud dolerem: ciuitatem tam gratam, tam miseram atq; oppressam fuisse. Habes igitur quod ex me quæsisti, qui essent optimates: non est natio, vt dixisti, quod ego verbũ agnoui: est enim illius à quo vno maxime P. Sestius se oppugnari videt: hominis eius, qui hanc nationem deleri et concidi cupiui: qui C. Cæsarem mitem hominẽ & à cæde abhorrentem sæpe increpuit, sæpe accusauit: cum affirmaret illum nunquã dum hac natio viueret, sine cura futurum: nihil profecit de vniuersis: de me agere non destitit: me oppugnauit: primum per iudicem Vectium, quem in cõcione de me

& de

& de clariſſ. viris interrogauit. In quo tamen eos ciues coniunxit eodẽ periculo et crimine, vt à me inierit gratiam, quod me cum amplissimis & fortissimis viris congregauit. Sed postea mihi nullo meo merito, nisi quod bonis placere cupiebam, omnes est insidias sceleratissime machinatus. Ille ad eos, à quibus audiebatur, quotidie aliquid defecti afferebat: ille hominem mihi amicissimum Cn. Pompeium monebat, vt meam domum metueret, atq; à me ipso caueret: ille se sic cum inimico meo copularat, vt illum meæ proscriptionis, quam adiuuabat Sext. Clodius, homo his dignissimus quibus cum viuit, tabulam esse: se scriptorem diceret: ille vnus ordinis nostri, discessu meo, luctu vestro palàm exultauit: de quo ego cum quotidie rueret, verbum feci Iud. nunquã: neq; putaui, cum omnibus machinis ac tormentis, vi, exercitu, copijsq; oppugnarer, de vno sagittario me queri conuenire: acta mea sibi ait displicere, quis nescit? qui legem eam contemnat, quæ dilucide vetat gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus sit, dare. In quo eius temeritatem satis mirari Iudices non queo: facit apertissime contra legem: facit is qui neq; elabi, ex iudicio iucunditate sua neq; emitti gratis potest: neq; opibus & potentia leges ac iudicia perfringere: quæ res hominem impellit, vt sit tam intemperans ista nimia gloriæ cupiditate? familiam gladiatoriam credo nullus est speciosam, nobilem, gloriosam. norat studia populi, videbat clamores & concursus futuros. Hac expectatione elatus homo flagrans cupiditate gloriæ, tenere se non potuit, quin hos gladiatores induceret, quorum esset ipse pulcherrimus. Si eam ob causam peccaret, & pro recenti pop. Rom. in se beneficio, populari studio elatus, tamen

Facere?



tamen ignosceret nemo. Cum vero ne de venalibus quidem homines electos, sed ex ergastulis emptos, nominibus gladiatorijs ornarit, & sortito alios Samnites, alios prouocatores fecerit: tanta licentia, tanta legum contemptione non habitura sit exitum, pertimescit? Sed habet defensiones duas: primum, Do, inquit, bestiarios: lex est scripta de gladiatoribus, festiue: accipite aliquid etiã acutius. Dicit se non gladiatores, sed vnum gladiatorem dare: & totam Aedilitatem in munus hoc transtulisse. Praclara Aedilitas, vnus leo, ducenti bestiarij. Verum vtatur hac defensione: cupio eum suæ causæ considere. Solet enim Trib. pleb. appellare, & vi iudicium disturbare, cum diffidit: quem non tam admiror, quod meam legem cõtemnat hominis inimici, quam quod se statuit omnino Consularẽ legem nullam putare. Aciliam, Didiã, Liciniã, Iuniã contempsit: etiam'ne eius, quẽ sua lege, et suo beneficio ornatum, munitũ, armatum solet gloriari, C. Cæsaris legẽ de pecunijs repetundis non putat esse legem? & aiunt alios esse qui acta Cæsaris rescindant, cũ hac optima lex, & ab illo socero eius, & ab hoc assecla neglegatur? Et cohortari ausus est accusator in hac causa vos Iudices: vt aliquando essetis seueri: aliquando medicinã adhiberetis Reip? non ea est medicina, cum sanæ parti corporis scalpellũ adhibetur, atq; integræ: carnificina est ista, & crudelitas. hi medentur Reip. qui execant pestẽ aliquam, tanquã strumã ciuitatis. Sed vt extremum habeat aliquid oratio mea: & vt ego ante dicendi finẽ faciam, quàm vos tam attente audiendi: concludã illud de optimatibus, eorumq; principibus, ac Rei publicæ defensoribus: vosq; adolescentes, & qui nobiles estis ad maiorũ vestrorũ imitationem excitabo: & qui

ingenio,

ingenio, & virtute nobilitatem potestis consequi: ad eã rationem, in qua multi homines noui & honore & gloria floruerunt, cohortabor. hæc est vna via, mihi credite, & laudis, & honoris, & dignitatis: à bonis viris, & sapientibus, bene à natura constitutis, laudari, et diligi: nosse descriptionem ciuitatis à maioribus nostris sapientissime constitutam: qui cum Regum potestatem non tulissent: ita magistratus annuos creauerunt: vt consilium b senatus Reip. præponerent sempiternum: deligerentur au 2 tem in id consilium ab vniuerso populo: aditusq; in illũ summum ordinem omnium ciuium industria ac virtute pateret. Senatũ Reipublicæ custodẽ, præsidem, propugnatorem collocauerunt. huius ordinis vti authoritate magistratus, & quasi ministros grauissimi consilij esse voluerunt: Senatum autẽ ipsum proximorum ordinũ splendore confirmari: plebis libertatem & commoda tueri atq; augere voluerunt. hæc qui pro virili parte defendunt, optimates sunt. cuiuscunq; sint ordinis qui autem præcipue suis ceruicibus tanta munia, atq; Remp. sustinent: ij semper habiti sunt optimatum principes, authores, & conseruatores ciuitatis. Huic hominum generi fateor vt ante dixi, multos aduersarios, inimicos, inuidos esse: multa proponi pericula: multas inferri insidias: magnos esse experiundos, & subeundos labores. sed mihi omnis oratio est cum virtute, non cum desidia: cum dignitate, nõ cum voluptate: cum ijs qui se patriæ, qui suis ciuibus, qui laudi, & gloriæ, non qui somno, & conuiuijs, & delectationi natos arbitrantur. Nam si qui voluptatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris, et cupiditatum lenocinijs dediderunt: missos faciant honores: ne attingant Rempublicã: patiantur viros labore, se ocio

suo perfrui. qui autem bonam famam bonorum, quæ vere sola gloria nominari potest, expetunt: alijs ocium quæ rere debent, & voluptates, non sibi. sudandum est his, p communibus cõmodis: adeundæ inimicitiæ: subeundæ a sæpe pro Rep. tempestates: cũ multis audacibus, improbis, nonnunquã etiam potentibus, dimicandum. Hæc audiuimus de clarissimorum virorũ consilijs, & factis: hæc accepimus, hæc legimus. neq; eos in laude positos videmus: qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionẽ? aut qui largitione cæcarunt mẽtes imperitorum: aut qui fortes, & claros viros, & bene de Rep. meritos in inuidiam aliquã vocauerũt. leueis hos semper nostri homines, & audaces, & malos, & pernicioſos ciues putauerunt. at vero qui horũ impetus repressẽrũt, & conatus: qui authoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi, consilijs audacium restiterunt: ij graues, ij principes, ij duces, ij authores huius ordinis, & dignitatis atq; impery, semper habiti sunt: )( Ac ne quis ex nostro, aut aliquorum præterea casu hanc vitæ viam pertimescat, vnus in hac ciuitate, quẽ quidem ego possim dicere, præclare vir de Rep. meritus L. Opimius, indignissime concidit: cuius monimentũ celeberrimum in foro, sepulchrũ desertissimũ in litore Dyrrhachino relictũ est. Atq; hunc tamen flagrantẽ inuidia propter interitum C. Gracchi, semper ipse pop. Ro. periculo liberauit: alia quædam ciuem egregium iniqui iudicij procella peruertit: cæteri vero aut repentina vi perculsi ac tempestati populari, per populum tamen )( ipsum recreati sunt, atq; reuocati: aut omnino inuulnerati inuiolatiq; vixerunt. At vero ij, qui senatus consilium, qui authoritatem bonorum, qui instituta maiorum neglexe-

runt: & imperitæ aut concitatæ multitudini iucũdi esse voluerunt: omnes ferè Reip. pœnas, aut præsenti morte, aut turpi exilio dependerunt. Quod si apud Athenienses homines Græcos longè à nostrorum hominũ grauitate disiunctos nõ deerant, qui Remp. contra populi temeritatem defenderent: cum omnes qui ita facerent, è ciuitate eyicerentur: si Themistoclẽ illũ conseruatorẽ patriæ non deterruit à Rep. defendenda, nec Milciadis calamitas, qui illam ciuitatem paulo ante seruarat: nec Aristidis fuga: qui vnus omnium iustissimus fuisse traditur: )( si postea summi eiusdem ciuitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiæ leuitatisq; popularis, tamen suã Remp. illam defenderunt: )( quid nos tandẽ facere debemus? primum in ea ciuitate nati: vnde orta mihi grauitas & magnitudo animi videtur: tum in tanta gloria insistentes: vt omnia humana leuiora videri debeant: deinde ad eam Remp. tuendam aggressi: quæ tanta dignitate est: vt eã defendẽtem occidere non aliud sit: quam oppugnantẽ rerũ potiri. Homines Græci, quos antea nominaui: inique à suis ciuibus damnati, atq; expulsi, tamẽ quia sunt de suis ciuitatibus bene meriti: tanta hodie gloria sunt, nõ in Græcia sõlum, sed etiã apud nos, atq; in cæteris terris: vt eos, à quibus illi oppressi sunt, nemo nominet: horum calamitatem dominationi illorũ omnes anteponant. quis Carthaginensium pluris fuit Annibale consilio, virtute, rebus gestis? qui vnus nobiscũ tot Imperatoribus nostris per tot annos de imperio, de gloria decertauit. hunc sui ciues è ciuitate eiecerunt. nos etiam hostem literis nostris & memoria videmus esse celebratũ. Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Halas, Decios, Curios, Fabricios,



cios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios: qui hanc Remp. stabiliuerunt: quo equidẽ in deorum immortalium cœtu ac numero repono. amemus patriã: pareamus Senatui: cõsulamus bonis: præsentis fructus negligamus: posteritati & gloriæ seruiamus: id esse optimũ putemus, quod erit rectissimũ: speremus, quæ volumus: sed quod acciderit, feramus: cogitemus deniq; corpus virorũ fortiũ, magnorumq; hominum esse mortale: animi vero motus & virtutis gloriã sempiternam: neq; hanc opinionẽ sit in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus: cuius corpore ambusto vitam eius, & virtutẽ immortalitas excepisse dicitur: minus existimemus eos, qui hanc tantã Remp. suis consilijs aut laboribus aut auxerint, aut defenderint, aut seruarint, esse immortalem gloriã consecutos. Sed me repente Iudices, de fortissimorum, & clarissimorum ciuium dignitate, & gloria dicentem, et plura etiam dicere parantẽ, horum aspectus in ipso cursu orationis repressit. video P. Sestium meæ salutis, vestræ authoritatis, publicæ causæ defensorem, propugnatorem, authorẽ, reum: video hunc prætextatum eius filium oculis lachrymantibus me intuentem: video Milonem vindicẽ libertatis vestræ, custodem salutis meæ, subsidium afflictæ Reipublicæ, extinctorem domestici latrocinij, repressorem cædis quotidianæ, defensore templorum atq; tectorum, præsidium Curiæ, sordidatum, & reum: video P. Lentulum, cuius ego patrem deum ac parentem statuo fortunæ, ac nominis mei, & fratris, rerumq; nostrarum, in hoc misero squalore & sordibus: cui superior annus idem & virilẽ patris, & prætextatam populi iudicio togam dederit: hunc hoc anno in hac toga, rogationis iniustissi-

mæ ſubitam acerbitatem pro patre fortiſſimo, & clariſſimo ciue deprecantẽ. atq; hic tot & talium ciuium ſqualor, hic luctus, hæ ſordes ſuſceptæ ſunt propter vnum me, quia me defenderunt: quia meum caſum, luctumq; doluerunt: quia me lugenti patriæ, flagitanti Senatui, poſcenti Italiæ, vobis omnibus orantibus reddiderũt. quod tantum eſt in me ſcelus? quid tantopere deliqui illo, illo die? cum ad vos indicia, literas, cõfeſſiones cõmunis exitij detuli? cum parui vobis? Ac ſi ſceleſtum eſt amare patriam: pertuli pœnarũ ſatis. euerſa domus eſt: fortunæ vexatæ: diſſipati liberi: raptata coniunx: frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore, volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorũ. ego pulſus aris, focis, diis penatib9, diſtractus à meis, carui patria: quã, vti leuiſſime dicam, certe texerã: pertuli crudelitatem inimicorum, ſcelus infidelium, fraudem inuidorum. Si hoc non eſt ſatis. quod hæc omnia deleta videntur reditu meo, multo mihi, multo inquam Iudices præſtat, in eandem illam recidere fortunã: quàm tantã importare meis defenſoribus, & conſeruatoribus calamitatem. an ego in hac vrbe eſſe poſſum, his pulſis, q̃ me huius vrbis compotem fecerũt? non ero: non potero eſſe Iudices: neq; hic vnquã puer, qui his lachrymis qua ſit pietate declarat, amiſſo patre ſuo propter me, me ipſum incolumem videbit: nec quotieſcunq; me viderit, ingemiſcet: ac peſtem ſuã & patris ſui ſeſe dicet videre. ego vero vos in omni fortuna, quæcunq; erit oblata, cõplectar: nec me abiys, quos meo nomine ſordidatos videtis: vnqua vlla fortuna diuellet: neq; hæ nationes, quibus me Senatus cõmendauit: quibus de me gratias egit: hunc exulem propter me ſine me videbunt. Sed hæc dy immortales, qui me ſuis



me ſuis templis aduenientem receperunt, ſtipatam ab illis viris: & P. Lentulus Conſul, atq; ipſa Reſp. qua nihil eſt ſanctius, veſtræ poteſtati Iudices commiſerunt. vos hoc iudicio omnium bonorum mentes confirmare, improborum reprimere poteſtis: vos his ciuibus vti optimis, vos me reficere, & renouare Remp. poteſtis. Quare vos obteſtor atq; obſecro, vt ſi me ſaluum eſſe voluiſtis: eos conſeruetis per quos me recuperauiſtis.

# IN VATINIVM. ORATIO XXXIIII.

Si tua tantũmodo Vatini quid indignitas postularet, spectare voluissem: feciseẽ id, quod his vehementer placebat: ut te cuius testimoniũ, propter turpitudinẽ vitæ, sordesq; domesticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterẽ. nemo enim horum aut ita te refutandum, vt grauem aduersarium, aut ita rogandum, vt religiosum testẽ arbitrabatur. sed fui paulo in te intemperantior fortasse quàm debui: odio enim tui, in quo & si omnes, propter tuũ in me scelus, superare debeo, tamen ab omnibus penè vincor: sic sum incitatus, vt cũ te non minus contemnerẽ, quàm odissem: tamen vexatum potius, quàm despectum vellẽ dimittere. quare ne tibi hũc honorem à me haberi forte mirere: quod interrogem, quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignũ putet: nulla me ad id causa impulisset, nisi vt ferocitatem istam tuam comprimerem, & audaciam frangerem: & loquacitatem paucissimis interrogationibus irretitam retardarem. etenim debuisti Vatini, etiam si falsò venisses in suspicionem P. Sestio, tamen mihi ignoscere: si in tanto hominis de me optime meriti periculo, & tempori eius, & voluntati parere voluissem. sed hesterno pro testimonio esse mẽtitum, cum affirmares nullum tibi omnino cum Albinouano sermonem, non modo de Sestio accusando, sed nulla vnquam de re fuisse, paulo ante imprudens indicasti: qui & T. Claudium tecum communicasse, & à te consilium P. Sesty accusandi petisse: & Albinouanum, quem antea vix tibi notum esse dixisses: domum tuam venisse: multa tecum locutum, dixeris: demiq; conciones P. Sesty scriptas, quas neq; nosset, neq; reperire posset: te Albinouano dedisse, easq; in hoc iudicio esse recitatas. In quorũ altero es confessus, à te accusatores esse instructos, & subornatos. in altero inconstantiam tuã cum leuitate, tum etiam periurio implicatã, refellisti: cum quem alienissimum à te esse dixisses: eum domi tuæ fuisse: quem prænaricatorem ab initio iudicasses: ei te, quos rogasset, ad accusandum libros dixeris dedisse. Nimium es vehemens feroxq; natura. non putas fas esse verbũ ex ore exire cuiusquam: quod non iucundum, & honorificum ad aures tuas accedat. venisti iratus omnibus: quod ego, simul ac te aspexi: priusquam loqui cœpisti: cum ante Gellius, nutricula seditiosorum omnium, testimoniũ diceret, sensi, atq; prouidi. repente enim te, tanquam serpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliste. vt mihi renouatus ille tuus in te veterẽ meum amicum: sed tamen tuum familiarem defenderim. cum in hac ciuitate oppugnatio soleat, qua tu nunc vteris: nonnunquam defendi: nonnunquam vituperari. Sed quæro à te, cur C. Cornelium non defenderem? num legem aliquam Cornelius contra auspicia tulerit? num Heliam? num Fusiã legem neglexerit? num Consuli vim attulerit? num armatis hominibus templum tenuerit? num interfessorem vi deiecerit? num religiones polluerit? ærarium exhauserit? Rempub. compilarit? tua sunt, tua sunt hæc omnia. Cornelio eiusmodi nihil obiectum est. codicem legisse dicebatur: defendebatur testibus. Collegis suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi. constabat tu-

men Cornelium consilium illo die dimisisse: intercessio-
ni paruisse: tu vero, cui Cornelij defensio displicet: quam
causam ad patronos tuos, aut quod os afferes? quibus
iam præscribis, quanto illis probro futurum sit, si te de-
fenderint: cum tu mihi Cornelij defensionem in maledi-
ctis obijciendam putaris. attamen hoc Vatini memento:
paulo post istã defensionem meam, quam tu bonis viris
displicuisse dicis: me cum vniuersi populi Ro. summa vo
luntate, tum optimi cuiusq; singulari studio magnificen
tissime post hominum memoriam Consulem factum: o-
mniaq; ea me prudenter viuendo consecutũ esse: quæ tu
impudenter vaticinando sperare te sæpe dixisti. Nam
quod mihi discessum obiecisti meum: & quod horum,
quibus ille dies acerbissimus fuit, qui idem tibi lætissi-
mus, luctum & gemitum renouare voluisti: tantum ti-
bi respondeo: me, cum tu cæteraq; Reip. pestes armorum
causam quæreretis: & cum per meum nomen fortunas
locupletum diripere, sanguinem principum ciuitatis
exorbere, crudelitatem vestram, odium q; diuturnum,
quod in bonos iam inueteratum habebatis, saturare cu-
peretis: scelus & furorem vestrum cedendo maluisse
frangere, quàm resistendo. Quare peto à te, vt mihi igno-
scas Vatini: cum patriæ pepercerim, quam seruaram:
& si ego te perditorem, & vexatorem Reipublicæ fe-
ro: tu me conseruatorem & custodem feras. deinde eum
viri discessum increpas: quem vides omnium ciuiũ de-
siderio, ipsius deniq; Reipub. luctu esse reuocatum. At
enim dixisti non mea, sed Reip. causa homines de meo re
ditu laborasse. quasi vero quisquam vir excellenti ani-
mo in Remp. ingressus, optabilius quicquam arbitra-
retur: quàm se à suis ciuibus Reip. causa diligi. scilicet



aspera mea natura: difficilis aditus: grauis vultus: super
ba responsa: insolens vita: nemo humanitatem, nemo
consuetudinem meam, nemo consilium, nemo auxiliũ
requirebat: cuius desiderio, vt hæc minima dicam, fo-
rum mœstum, muta Curia, omnia deniq; bonarum ar-
tiũ studia siluerunt. Sed nihil sit factum mea causa: o-
mnia illa Senatus cõsulta, populi iussa, Italiæ totius, con
clarum societatum, collegiorum omniũ decreta de me,
Reip. causa esse facta fateamur. quid ergo homo imperi-
tissime solidæ laudis ac veræ dignitatis, præstantius mi-
hi potuit accidere? quid optabilius ad immortalitatem
gloriæ, atq; ad memoriam mei nominis sempiternam?
quàm omnes hoc ciues meos iudicare: ciuitatis salutem
cum vnius mei salute esse coniunctam? quod quidẽ ego
tibi reddo tuum. nam vt tu me charum esse dixisti, sena
tui populoq; Romano, non tam mea causa, quã Reip. no
mine: sic ego te, quanquã sis omni duritate atq; immani
tate teterrimus: tamen dico esse odio ciuitati, non tam
tuo, quàm Reip. nomine. atq; vt aliquando ad te veniã:
de me hoc sit extremum. quid quisq; nostrum de seipso
loquatur: non est sanè, non est requirendum: boni viri
iudicent: id est maximi momenti & ponderis. duo sunt
tempora: quibus nostrorum ciuiũ spectentur iudicia de
nobis: vnum honoris: alterum salutis. honos talis Po-
puli Romani voluntate paucis est delatus, ac mihi salus
tanto studio ciuitatis nemini reddita. de te autem ho-
mines quid sentiant: in honore experti sumus: in salute
expectamus. Et vt me cum homine vno non solum im-
pudentissimo atq; infimo conferam: de te ipso homine
& arrogantissimo & mihi inimicissimo, quæro Vatini:
vtrũ tandem putes, huic ciuitati, huic Reip. huic vrbi,

his

his templis, ærario, curiæ, viris his quos vides, horum
bonis, fortunis, liberis, ciuibus, cæteris deniq; deorum
immortalium delubris, auspicijs, religionibus, melius
fuisse & præstabilius, me ciuem in hac ciuitate nasci, an
te? cum mihi hæc responderis, aut ita impudenter: vt
manus à te homines vix abstinere possint: aut ita dolen-
ter, vt aliquando ista ilia, quæ sunt inflata, rumpantur:
tum memoriter respondeto ad ea, quæ de te ipso rogaro.
atq; illud tenebrosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ
patiar latere. licet impune per me parietes in adolescen-
tia perfoderis, vicinos compilaris: matrem verberaris:
habeat hoc præmium tua indignitas: vt adolescentiæ
turpitudo, obscuritate, & sordibus tuis obtegatur. quæ-
sturam petisti cum P. Sestio: cum hic nihil loqueretur,
nisi quod agebat: tu de altero Consulatu gerendo te di-
ceres cogitare. quæro abs te teneas ne memoria: cum P.
Sestius Quæstor sit cunctis suffragijs factus: tunc te vix
inuitis omnibus non populi beneficio, sed Consulis, ex-
tremum adhæsisse? in eo magistratu, cum tibi magno
clamore aquaria prouincia sorte obtigisset: missus ne fu-
à me consule Puteolos: vt inde aurum exportari, argen-
tumq; prohiberes? in eo negocio, cum te non custodem
ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces
missum putares: cumq; omnium domos, apothecas,
naues, furacissime scrutarere: homines q; negocia gerentes iudicijs iniquissimis irretires: mercatores è naui e-
gredientes terreres: conscendentes morarere: teneas m
memoria, tibi in conuentu Puteolis manus esse allatas
ad me consulem Puteolanorum querelas esse delatas
post quæsturam, exieris ne legatus in vlteriorem Hi-
spaniam C. Cosconio Proconsule? cum illud iter Hispa-
nienſe



b nienſe pedibus ferè confici soleat: aut si quis nauigare ve-
31 lit, certa sit ratio nauigandi, veneris ne in Sardiniam?
atq; inde in Africam? fueris ne, quod sine Senatus C. ti-
bi facere non licuit, in regno Hiempsalis? fueris ne in re-
gno Mastaneso si? veneris ne ad fretum per Mauritani-
am? quem scis vnquam Legatum Hispanienſem in illã
prouinciam istis itineribus peruenisse? factus es Tri-
bunus plebis. quid enim te de Hispanienſibus flagitijs
tuis, sordidissimisq; furtis interrogem? quæro abs te
primum, quod genus improbitatis & sceleris, in eo ma-
gistratu prætermiseris? Ac tibi iam inde præscribo: ne
tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore per-
misceas. ego te, quæcunq; rogabo, de te ipso rogabo: neq;
te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis tenebris ex-
traham: omniaq; mea tela sic in te conijcientur: vt ne-
mo per tuum latus, quod soles dicere, saucietur. in tuis
pulmonibus, & visceribus hærebunt. Et quoniã omniũ
rerum magnarum à dijs immortalibus principia du-
cuntur: volo vt mihi respondeas tu, qui te Pythagori-
cum soles dicere: & hominis doctissimi nomen tuis im-
manibus, & barbaris moribus prætendere: quæ tanta
pranitas te mentis tenuerit? qui tantus furor? vt cum in
audita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum ani-
mas elicere, cum puerorum extis deos manes mactare
soleas: auspicia, quibus hæc vrbs condita est: quibus o-
mnis Resp. atq; imperium tenetur, cõtempseris: initioq;
Tribunatus tui Senatui denunciaris, tuis actionibus
Augurũ responsa, atq; eius Collegij arrogantiam impe-
dimento non futuram? secundum ea quæro, seruaris ne
in eo sidem? num quando tibi moram attulerit, quo mi-
nus consilium aduocares, legem q; ferres: quod eo die sci-
res

res de cœlo esse seruatum? Et quoniam hic locus vnus est: quem tibi cum Cæsare communem esse dicas: seiungam te ab illo, non solum Reipub. causa: verum etiam Cæsaris: ne qua ex tua summa indignitate labes illius dignitati aspersa videatur. Primum quæro num tu Senatui causam tuam permittas, quod facit Cæsar? deinde quæ sit authoritas eius, qui se alterius facto non suo defendat? deinde, erumpet enim aliquando ex me vera vox: & dicam sine cunctatione, quod sentio, si iam violentior aliqua in re C. Cæsar fuisset: si eum magnitudo contentionis, studium gloriæ, præstans animus, excellens nobilitas aliquò impulisset: quod in illo viro & tum ferendum esset: & maximis rebus quas postea gessit, obliterandum: id tu tibi furcifer sumes? & Vatinij latronis ac sacrilegi vox audietur, hoc postulantis, vt idem sibi concedatur, quod Cæsari? sic enim ex te quæro: Tribunus plebis fuisti. sciunge te à Consule. collegas habuisti viros forteis nouem. ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas de cœlo seruare: quos irridebas: quos priuatos esse dicebas. de quibus duos prætextatos sedentes vides, te ædilitiam prætextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse. tertium scis, ex illo obsesso, atq; afflicto Tribunatu, Consularem authoritatem, hominem esse adolescentem consecutum. reliqui sex fuerunt: ex quibus partim planè tecum sentiebant: partim mediũ quendam cursum tenebant. omnes habuerunt leges promulgatas. in his multas meus necessarius, etiam de mea sententia, C. Cosconius iudex noster: quem, tu disrumperis, cum ædilitium vides: volo vti mihi respondeas: nũ quis ex toto collegio legem sit ausus ferre, præter vnum te? quæ tanta in te fuit audacia? quæ tanta vis? vt cum

tui



b. tui nouem collegæ sibi timendum esse duxerint: id vnus
32 tu emersus è cœno, omniũ facile omnibus rebus infimus, contemnendum, despiciendũ, irridendũ putares? num quem post vrbem conditam scias Tribunum plebis egisse cum plebe: cum constaret seruatum esse de cœlo? simul etiãillud volo vti respondeas: cum te Tribuno plebis esset etiãtum in Rep. lex Helia & Fusia: quæ leges sæpenumero tribunitios furores debilitarũt, et represserunt: quas contra præter te nemo vnquam est facere conatus: quæ quidem leges anno post sedentibus in templo duobus non Consulibus, sed proditoribus huius ciuitatis, ac pestibus, vna cum auspicijs, cum intercessionibus, cum omni iure publico conflagrauerũt: ecquando dubitaris contra eas leges cum plebe agere, & consilium conuocare? num quẽ ex omnibus Tribunis Pl. quicunq; seditiosi fuerint: tãaudacem audieris fuisse: vt vnquam contra legem Heliam aut Fusiam consilium conuocaret? quæro etiãillud ex te: conatus ne sis, volueris ne, deniq; cogitaris? est enim res eiusmodi, vt si tibi in mentẽ modo venit: nemo sit, qui te vllo cruciatu esse indignum putet, cogitaris ne, in illo tuo intolerabili non regno, nam cupis id audire, sed latrocinio, augur fieri pro Q. Metello? cum vt quicunq; te aspexisset: duplicem dolorem gemitumq; susciperet: & ex desiderio clarissimi & fortissimi ciuis, & ex honore turpissimi atq; improbissimi. adeone non labefactatam Remp. te Tribuno, neq; conquassatam ciuitatem, sed captã hanc vrbem, atq; euersam putares? vt augurẽ Vatinium ferre possemus? Hoc loco quæro, si id quod concupieras, Augur factus esses: in qua tua cogitatione nos, qui te oderamus, vix dolorem ferebamus: illi autem, quibus erat in delitijs: vix

risum

risum tenebant. sed quæro, si ad cætera vulnera, quibus
putasti Rempub. deleri: hanc quoq; mortiferam plagam
inflixisses Auguratus tui: vtrum decreturus fueris id,
quod Augures omnes vsq; à Romulo decreuerunt: Io-
ue fulgente cum populo agi nefas esse? an quia tu semper
sic egisses, auspicia fueris Augur dissoluturus? Ac ne diu
tius loquar de auguratu tuo, quod inuitus facio: vt re-
corder ruinas Reipublicæ: neq; enim tu vnquam, si ante
non modo maiestate horũ, sed etiam vrbe, te Augurem
fore putasti: veruntamen vt somnia tua relinquam: ad
scelera veniam: volo vti mihi respondeas: cum M. Bibu
lũ Consulem non dicã bene de Rep. sentientem: ne tu mi
hi homo potens irascare, qui ab eo dissensisti: sed hominẽ
certe nusquam progredientem, nihil in Rep. molien-
tem, tantum animo ab actionibus tuis dissentientem,
cum eum tu consulem in vincula duceres: & à tabula
Valeria Collegæ tui mitti iuberent: feceris ne ante ro-
stra pontem continuatis tribunalibus? per quem con-
sul populi Ro. moderatissimus, & constantissimus, sub-
lato auxilio, exclusis amicis, vi perditorum hominum
incitata, turpissimo miserrimo q; spectaculo non in car-
cerem, sed ad supplicium & ad necem duceretur? qua
ro nunquis ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit? vt
sciamus vtrum veterum facinorum sis imitator: an in-
uentor nouorum? idemq; tu, cum his atq; huiusmodi
consilys ac facinoribus, nomine C. Cæsaris clementissi-
mi, atq; optimi viri, scelere vero atq; audacia tua, M.
Bibulũ foro, curia, templis, locis publicis omnibus expu-
lisses: inclusum domi contineres: cumq; nõ maiestate im-
perij, non iure legum, sed ianua præsidio & parietum
custodijs Consulis vita tegeretur, miseris ne viatorẽ? qui

M. Bibulum



M. Bibulum domo vi extraheret? vt quod est in priua-
tis semper seruatũ: id te Tribuno plebis Consuli, domus
exilium esse non posset. simulq; mihi respõdeto: tu qui
nos, qui de communi salute consentimus, Tyrannos vo-
cas: fueris ne non Tribunus plebis, sed intolerandus ex
cœno nescio quo, atq; ex tenebris Tyrannus? qui primũ
eam Remp. quæ auspicys inuentis constituta est: ijsdem
auspicys sublatis conarere peruertere. deinde sanctissi-
mas leges, Heliam & Fusiam dico, quæ in Gracchorum
ferocitate, & in audacia Saturnini, et in colluuione Dru
si, & in contentione Sulpicy, & in cruore Cinnano, &
inter Syllana arma vixerunt: solus conculcaris, & pro
nihilo putaris. qui Consulem morti obieceris: inclusum
obsederis: extrahere ex suis tectis conatus sis. qui eo in
magistratu, nõ emerseris ex mẽdicitate: sed etiã diuitijs
nos iã tuis terreas. fueris ne tanta crudelitate? vt delectos
viros, & principes ciuitatis tollere, & delere tua rogatio-
ne conareris? cum L. Vectium, qui in Senatu confes-
sus esset, se cum telo fuisse: Cn. Pompeio summo & cla-
rissimo ciui, suis manibus necem afferre voluisse: in con-
cionem produxeris in dicem in rostris: in illo inquã au-
gurato templo ac loco collocaris: quo authoritatis exqui-
rendæ causa cæteri Tribuni plebis principes ciuitatis ꝑ-
ducere consueuerunt: ibi tu indicẽ Vectium linguam
et vocem suam, sceleri & menti tuæ præbere voluisti: di-
xerit ne L. Vectius in concione tua rogatus à te, se au-
thores, & impulsores, & socios habuisse scelerisillius, eos
viros: quibus è ciuitate sublatis, quod tu eo tempore mo-
liebare: ciuitas stare non posset. M. Bibulum, cuius
inclusione contentus non eras: interficere volueras:
spoliaueras Consulatu: patria priuare cupiebas: L. Lu-

cullum, cuius tu rebus gestis, quod ipse ad imperatoria laudes à puero videlicet spectaras, vehementius inuidebas: Curionem, perpetuum hostem improborum omnium, authorem publici consilij, libertate communi tuenda maxime liberum, cũ filio principe iuuentutis, cum Repub. coniunctiore etiam, quàm ab illa ætate postulandum fuit, delere voluisti: L. Domitium, cuius dignitas & splendor perstringebat credo oculos Vatinij, quẽ tu propter commune odiũ in bonos oderas, in posterum autem propter omnium spem, quæ de illo est, atq; erat: ante aliquanto timebas: L. Lentulum hunc iudicem nostrum flaminem Martialem, quod erat eo tempore Gabinij tui competitor, eiusdẽ Vectij indicio opprimere voluisti. qui sit tum illam labem, pestemq; vicissit: quod & tuo scelere non licuit: Resp. victa non esset. huius etiã filiũ eodem indicio, & crimine ad patris interitum aggregare voluisti. Paulum, qui tũ Quæstor Macedoniam obtinebat, quem ciuẽ? quẽ virum? qui duos nefarios patriæ proditores, domesticos hostes, legibus exterminarat: hominẽ ad conseruandam Remp. natũ, in idem Vectij indicium, atq; in eundem hunc numerũ congregasti: quid ego de me querar? qui etiam gratias tibi agere debeo: quod me ex fortissimorum ciuium numero seiungendum non putasti? sed qui fuit ille tantus furor tuus? vt cum iam Vectius ad arbitrium tuũ peroraſſet: & ciuitatis lumina notasset: descendisset q; de rostris: eum repente reuocares: colloquerere, Populo Romano videte? deinde interrogares, ecquosnam alios posset nominare? inculcaris ne etiam, vt C. Pisonem generum meum nominaret? qui in summa copia optimorũ adolescentium, pari continentia, virtute, pietate reliquit

Adolescens?

nemi-



neminem. item q; M. Laterensem hominem dies, atq; noctes de laude, & de Rep. cogitantẽ? promulgaris ne impurissime & perditissime hostis, quæstionẽ de tot amplissimis & talibus viris? indici Vectio præmia amplissima? quibus rebus omnium mortaliũ non voluntate, sed conuicio repudiatis, fregerísne in carcere ceruices ipsi illi Vectio? ne quod indiciũ corrupti indicij extaret: eiusq; sceleris in teipsum quæstio flagitaretur? Et quoniã crebro vsurpas: legẽ te de alternis consilijs reyciendis tulisse: vt omnes intelligant te ne recte quidẽ facere sine scelere potuisse: quæro, cũ lex esset æqua promulgata initio magistratus: multas etiã alias tulisses: expectarísne cum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum, Q. Claudiũ? & posteaquam ille est reus factus, statim tuleris in eum, qui tuã post legẽ reus factus esset: vt homo consularis exclusus miser puncto temporis spoliaretur beneficio, & æquitate legis tuæ? dices familiaritatẽ tibi fuisse cum Q. Maximo. præclara defensio facinoris tui. nam Maximi quidẽ summa laus est, sumptis inimicitijs, suscepta causa, quæsitore, consilioq; delecto, cõmodiorem inimico suo contentionem reiectionis dare noluisse: nihilq; Maximus fecit alienũ aut sua virtute, aut illius viris clarissimis Paulis, Maximis, Africanis: quorum gloriam huius virtute renouatã non modo speramus, verũ etiam iam videmus. tua fraus, tuum maleficium, tuũ scelus illud est: te id quod promulgasse misericordiæ nomine, ad crudelitatis tempus distulisse. At nunc quidem C. Antonius hac vna re miseriam suã consolatur: quod imagines patris, & fratris sui, fratrisq; filiam, non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit quàm videre. Et quoniam pecu-

niam aliorum despicis: de tuis diuitijs intolerantissime gloriaris: volo vti mihi respondeas: feceris ne fœdera Tribunus pl. cum ciuitatibus, cum Regibus, cum Tetrarchis? erogaris ne pecunias ex ærario tuis legibus? eripueris ne partes illo tẽpore charissimas, partim à Cæsare, partim à publicanis? quæ cum ita sint, quæro ex te: sis ne ex pauperrimo dies factus in illo ipso anno? quo lex lata est de pecunijs repetundis acerrima? vt omnes intelligere possent, à te non modo nostra acta, quos Tyrannos vocas: sed etiam amicissimi tui legem esse contemptam. apud quem tu etiam nos criminari soles: qui illi sumus amicissimi: cum tu ei contumeliosissime totiens maledicas: quotiens illi affinem te esse dicis. Atq; illud etiam scire ex te cupio: quo consilio, aut qua mente feceris? vt in epulo Q. Ary familiaris mei cum toga pulla accumberes? quem vnquam videris? quẽ audieris? quo exemplo, quo more feceris? dices supplicationes te illas nõ probasse. optime. nullæ fuerint supplicationes. vidésne me nihil de anni illius causa, nihil de eo quod tibi cũ summis viris commune esse videatur: sed de tuis proprijs sceleribus ex te quærere? nulla supplicatio fuerit. cedò quis vnquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum est funebre: vt munus sit funeris: epulæ quidem ipsæ dignitatis. Sed omitto epulum populi Ro. festum diem: argento, veste, omni apparatu ornatuq; visendo: quis vnquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnauit cũ toga pulla? cui de balneis exeũti, præter te, toga pulla vnquam data est? cum tot hominũ millia accumberent: cum ipse epuli dominus Q. Arius albatus esset: tu in templũ Castoris te cum C. Fidulo atrato, cæterisq; tuis furijs funestum intulisti. quis tum non ingemuit? quis non doluit

Reipub.



Reipub. casum? qui sermo alius in illo epulo fuit? nisi hãc tantam & tam grauem ciuitatem subiectam esse nõ modo furori, verum etiam irrisioni tuæ? hunc tu morem ignorabas? nunquam epulũ videras? nunquã puer aut adolescens inter cœcuos fueras? Fausti adolescentis nobilissimi, paulo ante ex epulo magnificẽtissimo famem illam veterem tuam non expleras? quẽ accumbere atratum videras? dominum cũ toga pulla & eius amicos ante conuiuium? quæ te tanta tenuit amentia? vt tũ nisi id feciss es, quod fas non fuit: nisi violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos ciuium, morem veterem, eius, qui te inuitarat, authoritatem: parum putares testificatum esse, supplicationes te illas non putare? Quæro illud etiã ex te quod priuatus admisisti: in quo certe iam tibi dicere non licebit, cum clarissimis viris causam tuam esse coniunctam: postulatus ne sis lege Licinia & Iulia? edixerit ne C. Memmius Prætor ex ea lege, vt adesses die tricesimo? cum is dies venisset, feceris ne, quod in hac Repub. non modo factũ ante nunquam est: sed in omni memoria sit omnino inauditũ? appellaris ne Tribunos plebis, ne causam diceres? leuius dixi: quanquam idipsum esset, & nouum, & non ferendum: sed appellaris ne nominatim pestem illius anni? furiam patriæ? tempestatem Reipublicæ Clodium? qui tamen, cum iure, cũ more, cum potestate iudicium impedire non posset: redijt ad illam vim, & furorem suum: ducemq; se militibus tuis præbuit. in quo ne quid à me dictum in te potius putes, quàm abs te esse quæsitum: nullum onus imponã mihi testimony. quæ mihi breui tempore ex eodem isto loco video esse vel dicenda, seruabo: teq; non arguam: sed, vt in cæteris rebus feci, rogabo. Quæro ex te Va-

tini: nunquis in hac ciuitate post vrbem conditam Tribunos plebis appellarit: ne causam diceret? nunquis reus in Tribunal sui quæsitoris ascenderit? eumq; vi deturbarit? subsellia dissiparit? vrnas deleuerit? easq; demiq; omnes res in iudicio disturbando cõmiserit? quarum rerũ causa iudicia sunt constituta? scias ne tũ fugisse Memmium? accusatores esse tuos, de tuis tuorumq; manibus ereptos? Iudices quæstionum de proximis tribunalibus esse depulsos? in foro, in luce, inspectante populo Romano quæstionẽ magistratus, morem maiorũ, leges, iudices, reũ, pœnam esse sublatam? hæc omnia scias ne diligentia )( C. Memmi publicis tabulis esse notata atque testata? Atqui, illud etiam quæro, quod postea quã es postulatus, ex legatione redieris, ne quis te iudicia defugere arbitraretur: teq; cũ tibi vtrum velles licuerit, dictitaris causam dicere maluisse, quî consentaneum fuerit, cum legationis perfugio vti noluisses, appellationem improbissima te ad auxiliũ nefariũ confugisse? Et quoniam legationis tuæ facta mentio est, )( volo etiam audire de te: quo tandem Senatus consulto legatus sis? de gestu intelligo, quid respondeas: tua lege dicis. es ne igitur patriæ certissimus parricida? sperarásne id? vt Patres Conscripti ex Repub. funditus tollerentur? ne hoc quidem Senatui relinquebas? quod nemo vnquam admisit: vt Legati ex eius ordinis authoritate legarentur? adeo ne tibi sordidum consiliũ publicum visum est? adeo afflictus Senatus? adeo misera & prostrata Respublica? vt non nuncios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilij authores, non ministros muneris prouincialis Senatus more maiorum delegare possit? eripueras Senatui prouinciæ decernendæ potestatem,

Parricida



statem, Imperatoris deligendi iudicium, ærarij dispensationem: quæ nunquam sibi populus Romanus appetiit: qui nunquam hæc à summi consilij gubernatione auferre conatus est. age, factum est horum aliquid in alijs, raro: sed tamen factum est, vt populus deligeret Imperatorem. quis Legatos vnquã audiuit sine Senatus cõsulto? ante te nemo. post te continuo fecit idẽ in duobus
b. prodigijs Reip. Clodius. quo etiam maiore es malo macturus: quod non solum facto tuo, sed etiam exemplo Reip. vulneraſti: neq; tantum es improbus ipse, sed etiam alios docere voluisti. Atq; illud etiam audire à te cupio: quare, cum ego legem de ambitu ex Senatus consulto tulerim: sine vi tulerim, saluis auspicijs tulerim, salua lege Helia & Fusia: tu eam esse legem non putes? præsertim cum ego legibus tuis, quoquo modo latæ sint, paream? )( cũ mea lex diluci de vetet, biennio, quo quis petat, petiturúsne sit gladiatores dare? nisi ex testamẽto præstituta die: quæ tanta in te sit amentia, vt in ipsa petitione gladiatores audeas dare? nũ quem putes illius tui certissimi gladiatoris similem Trib. pleb. posse reperiri, qui sit interponat, quo minus reus mea lege fias? Ob hasce omnes res scias, te seuerissimorum hominum, Sabinorum, fortissimorum virorum, Marsorum & Pelignorum, tribulium tuorum iudicio notatum. nec post Romam conditam præter te tribulem quenquam tribum Sergiam perdidisse? Ac si hæc omnia contemnis ac despicis: quod ita tibi persuaseris, vt palàm dictitas, te dijs hominibúsque inuitis, amore in te incredibili quodam C. Cæsaris, omnia, quæ velis, consecuturum: ecquid audieris? ecquis nam tibi dixerit? C. Cæsarem nuper Aquileiæ, cum de quibusdam es-

set mentio facta: dixisse C. Alsium præteritum permoleste tulisse: quod in homine summam fidem probitatemq; cognosceret: grauiterq; etiã se ferre, Prætorẽ aliquem esse factũ, qui à suis rationibus dissensisset? tum quæsisse quendam, de Vatinio, quem admodum ferret. ipsum respondisse: Vatinium in tribunatu gratis nihil ficisse, qui omnia in pecunia posuisset: honore animo æquo carere debere. quod si ipsẽ, qui te suæ dignitatis augendæ causa, periculo tuo, nullo suo delicto ferri præcipitem est facile passus, tamen te omni honore indignissimũ iudicat: si te vicini, si affines, si tribules ita oderũt: vt repulsam tuam triumphũ suum duxerint: si nemo respicit, quin ingemiscat: nemo mentionẽ facit, quin execretur: si vitant: fugiunt: audire de te nolunt: cũ viderint, tanq; auspiciũ malum detestantur: si cognati respuũt: tribules execrantur: vicini metuũt: affines erubescũt: strumæ denig; ab ore improbo demigrarunt: & alijs iã se locis collocarunt: si odium publicum pop. Senatus, vniuersorũ hominum: quid est quamobrẽ Prætura potius exoptes, quàm mortem? præsertim cũ popularem te velis esse, neq; vlla in re populo gratius facere possis? Sed vt aliquãdo audiamus: quàm copiose mihi ad interrogata respondeas: concludã iam interrogationẽ meam: teq; in extremo pauca de ipsa causa rogabo. Quæro quæ tanta in te vanitas, tanta leuitas fuerit? vt in hoc iudicio T. Anniũ ijsdẽ verbis laudares: quibus eũ laudare & boni viri, & boni ciues consueuerunt? cum in eundẽ nuper ab eadẽ illa deterrima furia, productus ad pop. cupidissime falsum testimoniũ dixeris? An erit hæc optio & potestas tua? vt cũ Clodianas operas & facinorosorũ hominum & perditorũ manum videris: Milonem dicas id, quod in concione dixisti Gladiatori-



diatoribus, & Bestiarys obsedisse Rempublicã? cum autem ad tales viros veneris: nõ audeas ciuẽ singulari virtute, fide, constantia, vituperare? sed cum T. Anniũ tantopere laudes: & clarissimo viro nonnullam laudationem tua labeculam aspergas: in illorũ enim numero mauult T. Annius esse, qui à te vituperantur: verum etiã quæro, cum in Republica administranda T. Annio cum P. Sestio consiliorum omnium societas fuerit, (id quod nõ solum bonorum, verũ etiam improborum iudicio declaratum est: est enim vterq; reus ob eandem causam, & eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu vnum improbiorem esse, quàm te nonnunquam soles confiteri: alter tuis consilijs, illo tamen adiuuante. quæro quî possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disiungere? Extremum illud est, quod mihi abs te responderi velim: cũ multa in Albinouanum de præuaricatione diceres: dixeris ne, nec tibi placuisse, nec oportuisse Sestium de vi reum fieri: quauis lege, quouis crimine accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, causam Milonis fortissimi viri, coniunctam cum hoc existimari? quæ pro me à Sestio facta sint, bonis esse grata. Non coarguo inconstantiam orationis ac testimony tui. Quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas plurimis verbis testimonium dixisti: qui cum autem eius causam periculumq; coniungas, eum summis laudibus extulisti? Sed hoc quæro, num P. Sestium qua lege accusandum omnino fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? aut si te in testimonio consuli nolis, ne quid tibi authoritatis à me tributum esse videatur, dixeris ne in eum testimonium de vi, quem negaris reum omnino de vi fieri debuisse.

# PRO M. CAELIO.
## ORATIO XXXV.

SI quis Iudices forte nunc adsit ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis nostræ: miretur profecto, quæ sit tanta atrocitas huiusce causæ: quod diebus festis, ludisq; publicis, omnibusq; negocijs forensibus intermissis, vnũ hoc iudicium exerceatur. nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur: vt eo neglecto ciuitas stare non possit. idem cum audiat esse legem, quæ de seditiosis, sceleratisq; ciuibus, qui armati Senatũ obsederint, magistratibus vim attulerint, Remp. oppugnarint, quotidie quæri iubeat: legem non improbet: crimen quod versetur in iudicio requirat. cum audiat nullum facinus, nullam audaciam, nullã vim in iudicium vocari: sed adolescentem illustri ingenio, industria, gratia accusari ab eius filio: quem ipse in iudicium & vocet & vocarit: oppugnari autem hunc opibus meretricijs: Atracini illius pietatem non reprehendat: muliebrem libidinem comprimendam putet: vos laboriosos existimet: quibus ocioſis ne in communi quidem ocio liceat esse. etenim si attendere diligenter, existimare vere, de omni hac causa volueritis, sic constituetis Iudices: nec descensurum quenquã ad hanc accusationem fuisse: cui vtrum vellet, liceret: nec cum descendisset, quicquam habiturum spei fuisse: nisi alicuius intolerabili libidine, & nimis acerbo odio niteretur. sed ego Atracino humanissimo atq; optimo adolescenti, meo necessario ignosco: qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel ætatis. si voluit accusare: pietati tribuo. si iussus



fuis est necessitati. si speravit aliquid, pueritiæ. cæteris non modo nihil ignoscendum, sed etiam acriter est resistendum. Ac mihi quidem videtur Iudices hic introitus defensionis, adolescentiæ M. Cælij maxime convenire: vt ad ea, quæ accusatores deformandi huius causa, detrahendæ, spoliandæq; dignitatis gratia dixerunt, primum respondeam. Obiectus est pater varie: quod aut parum splendidus ipse: aut parum pie tractatus à filio diceretur. de dignitate Cælius notis, ac maioribus natu, etiam sine mea oratione tacitus facile ipse respondet. quibus autem propter senectutem, quod iam diu minus in foro nobiscum versatur, non æque est cognitus, hi sic habeant: quæcunq; in equite Ro. dignitas esse possit, quæ certe potest esse maxima: eam semper in M. Cælio habitam esse summam: hodieq; haberi, non solum à suis, sed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de causa esse notus. Equitis Ro. autem esse filium, criminis loco poni ab accusatoribus: neq; ijs iudicantibus oportuit: neq; defendentibus nobis. Nam quod de pietate dixistis, est quidem ista nostra existimatio: sed iudiciũ certe parentis. quid nos opinemur: audietis ex iuratis. quid parentes sentiant: lachrymæ matris, incredibilisq; mœror, squalor patris, & hæc præsens mœsticia, quam cernitis, luctusq; declarat. Nam quod est obiectum: municipibus esse adolescentẽ non probatum suis: neminem vnquam non præsenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm M. Cælio: quem absentem in amplissimum ordinem cooptarunt: & ea non petenti detulerunt: quæ multis petentibus denegarunt: idem q; nunc lectissimos viros, & nostri ordinis, & equites Ro. cum legatione ad hoc iudicium, & cum grauissima atq; ornatissima laudatione

laudatione miserunt. Videor mihi iecisse fundamenta defensionis meæ: quæ firmissima sunt, si nitantur iudicio suorum. neq; enim vobis satis commendata huius ætas esse posset: si non modo parenti tali viro, verum etiam municipio tam illustri, ac tam graui displiceret. equidē, vt ad me reuertar: ab his fontibus profluxi ad hominum famam: & meus hic forensis labor, vitæq; ratio dimanauit ad existimationem hominum paulo latius commendatione ac iudicio meorum. Nam quod obiectum est de pudicitia: quodq; omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisq; celebratū est: id nunquam tam acerbe ferret M. Cælius: vt eum pœniteat non deformem esse natum. sunt etenim ista maledicta perualgata in omnes, quorum in adolescentia forma & species fuit liberalis. sed aliud est maledicere: aliud accusare. accusatio crimen desiderat: rem vt definiat: hominē vt notet: argumento probet: teste confirmet. maledictio autem nihil habet propositi, præter contumeliam: quæ si petulantius iactatur, conuitiū: si facetius: vrbanitas nominatur. quā quidem partem accusationis admiratus sum, & moleste tuli potissimum esse Atracino datam. neq; enim decebat: neq; ætas illa postulabat: neq; id, quod animaduertere poteratis: pudor patiebatur optimi adolescentis in tali illum oratione versari. vellem alius ex vobis robustioribus, hunc maledicendi locū suscepisset: aliquanto liberius, & fortius, & magis more nostro refutaremus istā maledicendi licentiam. tecum Atracine agam lenius: quod & pudor tuus moderatur orationi meæ: & meum erga te, parentemq; tuum beneficium tueri debeo. illud tamen te esse admonitū volo. primum qualis es, talem te esse existimes: vt quantum a rerum turpitudine abes: tantum te à verborum libertate seiungas. deinde vt ea in alterum ne dicas: quæ cum tibi falsò responsa sint, erubescas. quis est enim, cui via ista non pateat? qui isti ætati, non possit, quàm velit petulanter, etiam si sine vlla suspicione, at non sine argumento maledicere? sed istarum partium, culpa est eorum, qui te agere voluerunt: laus pudoris tui: quod ea te inuitum dicere videbamus: ingenij: quod ornate politeq; dixisti. verum ad istam omnem orationem breuis est defensio. nam quoad ætas M. Cæly dare potuit isti suspicioni locum: fuit primum ipsius pudore, deinde etiam patris diligentia, disciplinaq; munita. qui vt huic virilem togam dedit: nihil dicam hoc loco de me: tantū sit, quantum vos existimatis: hoc dicam: hunc à patre continuo ad me esse deductum. nemo hunc M. Cælium in illo ætatis flore vidit: nisi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Crassi castissima domo: cum artibus honestissimis crudiretur. Nam quod Catilinæ familiaritas obiecta Cælio est: longe ab ista suspicione abhorrere debet. hoc enim adolescente scitis Catilinam consulatum mecum petiisse. ad quē si accessit, aut si à me discessit vnquā: quanquam multi boni adolescentes illi homini nequā, atq; improbo studuerunt: tum existimetur Cælius Catilinæ nimium familiaris fuisse. At enim postea scimus, & vidimus esse hunc in illius amicis. quis negat? sed ego illud tempus ætatis, quod ipsum sua sponte infirmū aliorū libidine infestum est, id hoc loco defendo. fuit assiduus mecum Prætore me: non nouerat Catilinam: Africam tum Prætor ille obtinebat. secutus est annus: causam de pecunijs repetundis Catilina dixit. mecū erat hic: illi ne aduocatus

aduocatus quidē venit vnquam. deinceps fuit annus quo ego Consulatum petiui : petebat Catilina mecum. nunquam ad illum accessit: à me nunquam recessit. tot igitur annos versatus in foro sine suspicione, sine infamia, studuit Catilinæ iterum petenti. quem ergo ad finem putas custodiendam illam ætatem fuisse? nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga, constitutus: et vt exercitatione ludoq; campestri tunicati vteremur. eademq; erat, si statim mereri stipendia ceperamus, castrensis ratio, ac militaris. qua in ætate, nisi qui se ipse, sua grauitate & castimonia, & cum disciplina domestica, tum etiā naturali quodam bono defenderet: quoquomodo à suis custoditus esset : tamen infamiam veram effugere non poterat. sed qui prima illa initia ætatis integra atq; inuiolata præstitisset: de eius fama ac pudicitia, cum is iam se corroborauisset, ac vir inter viros esset : nemo loquebatur. studuit Catilinæ, cum iam aliquot annos esset in foro Cælius. & multi hoc idem ex omni ordine, atq; ex omni ætate fecerunt. habuit enim ille, sicuti meminisse vos arbitror: permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. vtebatur hominibus improbis multis : & quidē optimis se viris deditum esse simulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam industriæ quidam stimuli ac laboris. flagrabāt vicia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. neq; ego vnquam fuisse tale monstrum in terris vllum puto, tam ex contrarys diuersisq; inter se repugnantibus naturæ studys cupiditatibusq; conflatum. quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis



quis tetrior hostis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effusior? illa vero Iud. in illo homine mirabilia fuerunt: comprehendere multos amicitia: tueri obsequio: cum omnibus communicare quod habeat : seruire temporibus suorum omnium: pecunia, gratia, labore corporis, scelere, etiam si opus esset audacia, versare suam naturam, & regere ad tempus: atq; huc & illuc torquere, & flectere. cū tristibus seuere, cum remissis iucunde, cum scitis grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose viuere. hac ille tam varia, multipliciq; natura, cum omneis omnibus ex terris homines improbos audacesq; collegerat: tū etiam multos forteis viros & bonos, specie quadam virtutis assimulatæ tenebat. neq; vnquam ex illo delendi huius imperij tam sceleratus impetus extitisset: nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis & patientiæ radicibus niteretur. quare ista conditio Iudices respuatur: nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat. Est enim commune cum multis & cum quibusdam etiam bonis. me ipsum, me inquam quondam penè ille decepit: cum & ciuis mihi bonus, & optimi cuiusq; cupidus, & firmus amicus, & fidelis videretur. cuius ego facinora oculis prius, quàm opinione, manibus ante, quàm suspicione deprehendi. cuius in magnis cateruis amicorum si fuit etiam Cælius : magis est, vt ipse moleste ferat errasse se: sicut & nonnunquam in eodem homine me quoq; erroris mei pœnitet: quàm vt istius amicitiæ crimen reformidet. atq; à maledictis pudicitiæ, ad coniurationis inuidiam oratio est vestra delapsa. posuistis enim, atq; id tamen

tamen titubanter & stricte, coniurationis hunc propter amicitiam Catilinæ participem fuisse: in quo non modo crimen non hærebat: sed vix deserti adolescentis cohærebat oratio, qui enim tantus furor in Cælio? quod tantum aut in moribus, naturaq; vulnus, aut in re, atq; fortuna? vbi denique in ista suspicione est Cælij nomen auditum? nimium multa de re minime dubia loquor hoc tamen dico: nonmodo si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset: nunquam coniurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset. quod haud scio an de ambitu et de criminibus istius sodalium ac sequestrium, quoniam huc incidi, similiter respondendum putem. nunquam enim tam Cælius amens fuisset: vt se isto infinito ambitu commaculasset: ambitus alterũ accusaret, neq; enim eius facti in altero suspicionem quæreret: cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret. nec si sibi semel periculũ ambitus subeundum putaret: ipse alterum iterum ambitus crimine accersiret: quod quanquam nec sapienter, & me inuito facit: tamẽ est eiusmodi cupidus: vt magis insectari alterius innocentiam, quàm de se timide cogitare videatur. nam quod æs alienum obiectum est, sumptus reprehensi, tabulæ flagitatæ. videte quàm pauca respondeam. tabulas, qui in patris potestate est, nullas confecit: versuram nunquam omnino fecit vllam. Sumptus vnius generis obiectus est habitationis. triginta millibus dixistis eum habitare. nunc demam intelligo P. Clodij insulam esse venalem: cuius hic in ædiculis habitet decem, vt opinor, millibus: vos autem dum illi placere vultis: ad tempus ei mendacium vestrum accommodauistis. reprehendistis, à patre quod semigrarit. quod quidem iam in hac ætate minimè reprehendendum est. qui cũ ex Reipub. causa, esset mihi quidem molestam, sibi tamen gloriosam victoriã consecutus: & per ætatem magistratus petere posset: non modo permittente patre, sed etiã suadente, ab eo semigrauit. & cum domus patris à foro longe abesset: quo facilius & nostras obire domos, & ipse à suis coli posset: conduxit in Palatio, non magno, domum. quo loco, possum dicere id quod vir clarissimus M. Crassus, cum de aduentu Regis Ptolomæi quæreretur, paulo ante dixit. Vtinam ne in nemore Pelio. ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret. nam nunquã hera errans hanc molestiam nobis exhiberet, Medea animo ægra, amore sæuo saucia. sic enim Iudices reperietis: quod cum ad id loci venero, ostendam: hanc Palatinam Medeam, migrationemq;, huic adolescenti causam siue malorum omnium, siue potius sermonum fuisse. quam obrẽ illa, quæ ex accusatorum oratione præmuniri iam & fingi intelligebam, fretus vestra prudentia Iud. non pertimesco. Aiebant enim fore testem Senatorem: qui se Pontificijs comitijs pulsatum à Cælio diceret. à quo quæram, si prodierit: primum cur statim nihil egerit? deinde sid queri, quàm agere maluerit: cur productus à vobis potius, quàm ipse per se? cur tanto post potius, quàm continuo, queri maluerit? si mihi ad hæc acute, vrbaneq; responderit: tum quæram denique, ex quo iste fiuit Senator emanet? nam ipse orietur & nascetur ex se: fortasse vt soleo commouebor. sin autem, vt rivulus accersitus, & ductus ab ipso capite accusationis vestræ, letabor: cum tanta gratia, tantisq; opibus accusatio vestra nitatur: vnum Senatorem solum esse, qui

vobis gratificari vellet, inuentum. Nec tamen illud genus alterũ nocturnorum testium pertimesco. est enim dictum ab illis: fore qui dicerent, uxores suas redeuntes à cœna attrectatas esse à Cælio. graues erũt homines: qui hoc iurati dicere audeant: cum sit his consitendum, nũquam se ne congressu quidem, & constituto cœpisse de iis iniuriis experiri. Sed totum genus oppugnationis huius Iud. & iam prospicitis animis: & cum inferretur, propulsare debebitis. non enim ab iisdem accusatur M. Cælius, à quibus oppugnatur, palam in eum tela iaciuntur: clàm subministrantur. neq; id ego dico: vt inuidiosum sit in eos: quibus glorioſum hoc etiam esse debet, fungũtur officio: defendunt suos: faciunt quod viri fortissimi solent: læsi dolent: irati efferuntur: pugnant lacessiti. sed vestræ sapientiæ tamen est Iudices: non si causa iusta est viris fortibus oppugnandi M. Cælium: ideo vos quoque causam putare esse iustã alieno dolori potius, quàm vestræ fidei consulendi. quæ sit multitudo in foro, qui genera, quæ studia, quæ varietas hominum videtis: ex hac copia quàm multos esse arbitramini: qui hominibus potentibus, gratiosis, diſertis cum aliquid eos velle arbitrentur, vltro se offerre soleant: operam nauare, testimonium polliceri. hoc ex genere si qui se in hoc iudicium forte proiecerint: excluditote eorum cupiditatem Iud. sapientia vestra: vt eodem tempore huius saluti, & religioni vestræ, & contra periculosissimas hominum potentias conditioni omnium ciuium prouidisse videamini. Equidem vos abducam à testibus: neq; huius iudicij veritatem, quæ mutari nullo modo potest: in voluntate testium collocari sinam: quæ facillime fingi, nullo negocio flecti, ac detorqueri potest. argumentis agemus: signis omni luce clariorib⁹ crimina refellemus: vt cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit. atq; illam partẽ causæ facile patior grauiter, & ornate à M. Crasso peroratam: de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, & de bonis Pallæ. vellem dictum esset ab eodem etiam de Dione. de quo ipso tamen, quid est quod expectetis? quod is qui fecit, aut non timet, aut etiam fatetur? etenim reus, qui dictus est & adiutor fuisse & consciꝰ, P. Ascitius, is iudicio est liberatus. quod igitur est huiusmodi crimen? vt qui commisit, non neget: qui negauit, absolutus sit: id hic pertimescat? qui non modo à facto, verum etiam à conscientiæ suspicione abfuit? & si Ascitio causa plus profuit, quàm nocuit inuidia: huic oberit tuum maledictum: qui istius facti non modo nõ suspicione, sed ne infamia quidem est aspersus? At præuaricatione est Ascitius liberatus. perfacile est isti loco respondere, mihi præsertim, à quo illa causa defensa est. sed Cælius optimam causam Ascity esse arbitratur: cuiusmodi autem sit: à sua putat esse seiunctam. neq; solum Cælius, sed etiam adolescentes humanissimi & doctissimi reclissimis studijs, atq; optimis artibus præditi, Titus, Casiusq; Copony: qui ex omnibus maxime Dionis mortem doluerunt: qui cum doctrinæ studio, atq; humanitatis, tum etiam hospitio Dionis tenebantur. habitabat is apud L. Luceiũ vt audistis: fuerat ei cognitus Alexandriæ. quid aut hic, aut summo splendore præditus frater eius, de M. Cælio existimet, ex ipsis, si producti erũt, audietis. Ergo hæc remouentur: vt aliquando in quibus causa nititur, ad ea veniamus. animaduerti enim Iudices audiri à vobis meum familiarem L. He-

rennium perattente. In quo & si magna ex parte ingenio eius, & dicendi genere quodam tenebamini: tamen nonnunquã verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio, ad animos vestros sensim ac leniter accederet. dixit enim multa de luxuria: multa de libidine: multa de vicys iuuentutis: multa de moribus: qui in reliqua vita mitis esset: & in hac suauitate humanitatis, qua propè iam delectantur homines, versari posset iucunde sõleret: fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister: obiurgauit M. Cælium, secut neminem vnquam parens: multa de incontinentia intemperantiaq; disseruit. quid quæritis Iudices? ignoscebam vobis attente audientibus: propterea, quod ege-met tã triste illud, & tam asperum genus orationis horreham. ac prima pars fuit illa: quæ me minus mouebat fuisse meo necessario Bestiæ Cælium familiarem: cœnasse apud eum: ventitasse domum: studuisse Prætura. nunme hæc mouent, quæ perspicue falsa sunt. etenim eos vnum cœnasse dicit: qui aut absunt: aut quibus necesse est idem dicere. neq; vero illud me commouet: quod sibi in Lupercis sodalem esse Cælium dixit. fera quædam sodalitas, & planè pastoricia atq; agrestis germanorum Lupercorũ: quorum coitio illa syluestris ante est instituta, quàm humanitas atq; leges. siquidem non modo nomina deferunt inter se sodales: sed etiam cõmemorant sodalitatem in accusando: vt ne, si quis id forte nesciat, timere videatur. Sed hæc omittam. ad illa quæ me magis mouerunt respondebo. deliciarũ obiurgatio fuit longa: & ea lenior, plusq; disputationis habuit quam atrocitatis: quo etiam audita est attentius. nam P. Clodius amicus meus cum se grauissimè vehementissimeq; iactaret: & omnia inflammatus ageret tristissimis verbis: voce maxima: tametsi probabã eius eloquentiam: tamen nõ pertimescebã. aliquot enim in causis eum videram frustra litigantẽ. tibi autem Balbe respondebo. primum precario, si licet, si fas est defendi à me eũ, qui nullum conuiuium renuerit: qui vnguenta sumpserit: qui Baias viderit. Equidem multos & vidi in hac ciuitate, & audiui, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitæ, & extremis vt dicitur digitis attigissent: sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent: emersisse aliquando, & se ad frugem honã. vt dicitur recepisse: graueisq; homines atq; illustreis fuisse: datur enim concessu omniũ huic aliquis ludus ætati: & ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates? quæ si ita erumpunt: vt nullius vitã labefactent: nullius domum euertant: faciles & tolerabiles haberi solent. Sed tu mihi videbare ex communi infamia iuuentutis aliquam inuidiã Cælio velle conflare. itaq; omne illud silẽtium, quod est orationi tuæ tributum, fuit ob eã causam: quod vno reo proposito de multorum vitys cogitabamus. facile est accusare luxuriẽ. dies iam me deficiet: si quæ dicii in eam sententiã possunt, conor exprimere. de corruptelis, de adulteryis, de proteruitate, de sumptibus, immensa oratio est: vt tibi reũ neminem, sed vicia proponas: res tamen ipsa & copiosè & grauiter accusari potest. sed vestræ sapientiæ est Iudices: non abduci ab reo: nec quos aculeos habeat seueritas grauitasq; vestra: cũ eos accusator erexerit in rẽ, in vicia, in mores, in tempora: emittere, in hominem, & in reum. cum is nũc in crimine, sed multorũ vicio sit in quodda odium inuidiosum vocatus. Itaque seueritati tuæ, vt oportet, ita

respondere non audeo. erat enim meum deprecari vacationem adolescentiæ, veniamq; petere: non inquam audeo. perfugijs non vtor ætatis: concessa omnibus iura dimitto: tantum peto, vt si qua est inuidia cõmunis huic tempore æris alieni, petulantiæ, libidinum iuuentutis quã video esse magnam, ne huic aliena peccata, ne ætatis ac temporum vicia noceant. Atq; ego idem, qui hæc postulo: quin criminibus, quæ in hunc proprie conferuntur: diligentissime respondeam, non recuso. Sunt autem duo crimina, auri & veneni: in quibus vna atq; eadem persona versatur. Aurum sumptum à Clodia: venenum quæsitum, quod Clodiæ daretur, dicitur: omnia sunt alia non crimina, sed maledicta iurgij petulantis magis, quàm publicæ quæstionis. adulter, impudicus, sequester, conuicium est, non accusatio. nullum est enim fundamentũ horum criminum: nulla sedes: voces sunt contumelioſæ, temere ab irato accusatore, nullo authore, missæ. horum duorum criminũ video fontem: video authorem: video certum nomen & caput. auro opus fuit: sumpsit à Clodia: sumpsit sine teste: habuit quã diu voluit. maximũ video signum cuiusdũ egregiæ familiaritatis. necare eandem voluit: quæsiuit venenũ: sollicitauit quos potuit: parauit locũ: constituit: attulit. magnum rursum odiũ video cum crudelissimo dissidio extitisse. res est omnis in hac causa nobis Iudices cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiã nota. de qua ego nihil dicã, nisi depellendi criminis causa. sed intelligo pro tua præstanti prudentia Cn. Domiti cum hac fabulam esse nobis: quæ si se aurũ Cælio cõmodasse non dicit: si venenum ab hoc sibi paratũ esse non arguit, petulanter facimus: si matrem familias, secus quam matronarum



narum sanctitas postulat, nominamus. sin ista muliere remota, nec crimen vllum, nec opes ad oppugnandum Cælium illis relinquentur: quid est aliud quod nos patroni facere debeamus? nisi vt eos qui insectantur, repellamus? quod quidem facerem vehementius: nisi intercederent mihi inimicitiæ cũ istius mulieris viro. fratrẽ dicere volui, semper hic erro. nunc agam modice: nec longius progrediar: quàm me mea fides, & causa ipsa coget: neq; enim muliebres vnquã inimicitias mihi gerendas putaui: præsertim cum ea: quã omnes semper amicã omnium potius, quàm cuiusquam inimicã putauerunt. sed tamen ex ipsa quæram prius, vtrum me secũ seuere, & grauiter, & prisce agere malit: an remisse, ac leniter, & vrbane, sine illo austero more ac modo: aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbaris illis, non hac barbula, qua ista delectatur: sed illa horrida, quam in statuis antiquis, & imaginibus videmus: qui obiurget mulierem, & pro me loquatur: ne ista mihi forte succenseat. Existat igitur ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimũ Cæcus ille. mininum enim dolorẽ capiet, qui istam non videbit. qui profecto si exiterit: sic aget: & sic loquetur. mulier quid tibi cũ Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cũ alieno? quid, aut tã familiaris huic fuisti: vt aurum cõmodares? aut tam inimica: vt venenum timeres? non patrem tuum videras? non patruum? non auũ, proauum, atauũ audieras Consules fuisse? non denique, modo te Q. Metelli matrimoniũ tenuisse sciebas, clarissimi & fortissimi viri, patriæq; amantissimi? qui simulac pedelimine exulem attigit: omnis ppe ciuis virtus, gloria, dignitas peruasit? cui cũ ex amplis-

simo genere in familiã clarissimam nupsisses: cur tibi C
lius tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui fa
miliaris? nihil horum. quid igitur fuit, nisi quædam te
meritas ac libido? nonné te, si nostræ imagines viriles n
cõmouebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia
æmulã domestic æ laudis, in gloria muliebri esse adm
nebat? non virgo illa Vestalis Claudia, quæ patrẽ com
plexa triumphantem ab inimico Tribuno plebis, de cur
ru detrahi passa nõ est? cur te fraterna vicia potius, qui
bona paterna, & auita, & vsq; à nobis cũ in viris, tum
etiam in fœminis repetita mouerunt? ideo ne ego pacem
Pyrrhi diremi? vt tu amorũ turpissimorum quotidie f
dere ferires? ideo aquã adduxi? vt ea tu inceste vterer
ideo viã muniui? vt eã tu alienis viris comitata celebr
res? Sed quid ego Iudices ita graue personam induxi
vt & verear, ne se idem Appius repente conuertat, &
Cælium incipiat accusare illa sua grauitate censori
sed videro hoc posterius: atq; ita Iudices, vt vel seuer
simus disceptatoribus M. Cælij vitam me probaturum
esse confidã. tu modo mulier (iã enim ipse tecũ nulla p
sona introducta loquar) si ea quæ facis, quæ dicis, qu
insimulas, quæ moliris, quæ arguis, probare cogitas: ra
tionẽ tant æ familiaritatis, & tant æ consuetudinis, tant
coniunctionis reddas, atq; exponas necesse est. accusa
res quidem libidines, amores, adulteria, Baijs acta ci
uiuia, commessationes, cantus, Symphonias, nauigia iu
ctant: ydemq; significãt, nihil se te inuita dicere. quæ tu
quoniã mente nescio qua effrenata, atq; præcipiti in fo
rum deferri iudicium q; voluisti: aut diluas oportet, &
falsa esse doceas: aut nihil neq; crimini tuo neq; testim
nio credendum esse, fateare. sin autem vrbanis me age
mauis:



mauis: sic agam tecum: remouebo illum senem durum
ac penè agrestem: ex hisq; tuis sumam aliquem, ac po
tissimum minimum fratrem tuum: qui est in isto gene
re vrbanissimus: qui te amat plurimum: qui propter
nescio quam credo timiditatem, & nocturnos quosdam
inanes metus, tecum semper, pusio cum maiore sorore cu
bitauit. eum putato tecũ loqui. quid tumultuaris soror?
quid insanis? quid clamore exorsa, verbis paruam rem
magnam facis? vicinum adolescentulum aspexisti: can
dor huius te, & proceritas, vultus, oculiq; perpulerunt:
sæpius videre voluisti: fuisti nonnunquam in ysdem hor
tis visa nobilis mulier: illum filium familias patre par
ca cienaci habere tuis copijs deuinctum non potes: cal
citrat: respuit: non putat tua dona esse tanti. confer te
alio. habes hortos ad Tyberim: ac diligenter eo loco præ
parasti: quo omnis iuuentus natandi causa venit. hinc
licet conditiones quotidie legas. cur huic, qui te sper
nit, molestæ es? Redeo nunc ad te Cæli vicissim ac
mihi authoritatem patriam, seueritatemq; suscipio. sed
dubito quem patrem potissimum sumam. Cæcilia
num ne aliquem, vehementem atq; durum? Nunc e
nim demũ mihi animus ardet: nunc meum cor cum u
laturis. Aut illum. O infelix. O sceleste ferrei sunt isti
patres. ego ne quid dicam? ego ne quid velim? ego ne?
quæ tu omnia tuis fœdis factis facis: vt nequicquam
velim. vix ferenda diceret talis pater. cur te in istam
vicinitatem meretriciam contuleris? cur illecebris co
gnitis non refugisti? cur alienam vllam mulierem no
sti? dede, ac disyce, per me licebit. si egebis, tibi dolebit:
mihi sat est, qui ætatis quod reliquum est, oblectem
meæ huic tristi, ac decrepitæ seni responderet Cælius: si

nulla cupiditate inductum de via decessisse. quid signi? nulli sumptus, nulla iactura, nulla versura. at fuit fama? quotus quisq; istam effugere potest in tam maledica ciuitate? vicinũ eius mulieris miraris male audisse: cuius frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit? leni vero & clementi patri cuiusmodi est ille, fores effregit: restituentur: discidit vestem, resarcietur. Cælij causa est expeditissima. quid enim esset? in quo se facile non defenderet? nihil iam in istam mulierem dico. sed si esset aliqua dissimilis istius: quæ se omnibus peruulgaret: quæ haberet palàm decretum semper aliquem, cuius in hortos, domum, Baias, iure suo libidines omnium commearent: quæ etiam aleret adolescentes: & parsimoniam patrum suis sumptibus sustentaret: si vidua libere, proterua petulanter, diues effuse, libidinosa meretricio more viueret, adulterum ego putarem: si quis hanc paulo liberius salutasset? dicet aliquis: hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendauit, & tradidit? vt in amore, & voluptatibus adolescentiã suam collocaret? & hanc tu vitam, atq; hæc studia defenderes? Ego si quis Iud. hoc robore animi, atq; hac indole virtutis, ac continentiæ fuit: vt respueret omneis voluptates, omnemq; vitæ suæ cursum in labore corporis, atq; in animi contentione conficeret: quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectarent: nihil in vita expetendum putaret: nisi quod esset cum laude & honore, & cum dignitate coniunctum: hunc mea sententia diuinis quibusdam bonis instructum, atq; ornatum puto. Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios,

omnesq;



omnesq;, eos, qui hæc ex minimis tanta fecerunt. verum hæc genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur. chartæ quoq; quæ illam pristinam seueritatem continebant, absoluerunt: neq; solum apud nos, qui hanc sectam rationemq; vitæ, re magis, quam verbis secuti sumus: sed etiam apud Græcos doctissimos homines: quibus, cum facere non possent, loqui tamen, & scribere honeste, & magnifice licebat: alia quædam mutatis græciæ temporibus præcepta exstiterunt. itaq; aly voluptatis causa omnia sapientes facere dixerũt: neq; ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt. alij cum voluptate dignitatem coniungendam putauerunt: vt res maxime inter se repugnantes dicendi facultate coniungerent. illud vnum cum labore ad laudem directum iter qui probauerunt, prope iam soli in scholis sunt relicti. multa enim nobis blandimenta natura ipsa genuit: quibus sopita virtus conueniret: & interdum insultas vias adolescentiæ lubricas ostendit: quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix posset: & multarum rerum iucundissimarum varietatem dedit: qua non modo hæc ætas, sed etiam iam corroborata caperetur. quamobrem si quem forte inueneritis: qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum: non odore vllo, non tactu, non sapore capiatur: excludat auribus omnem suauitatem: huic homini, ego fortasse, & pauci, deos propitios, plerisq; autem iratos putabunt. Ergo hæc de secta via, & inculta, atq; intercluſa iam frondibus & virgultis relinquatur. detur aliquid ætati: sit adolescentia liberior. non omnia voluptatibus denegentur: non semper superet vera illa, & directa ratio: vincat aliquã

do

do cupiditas voluptasq; rationem: dummodo illa in hoc
genere præscriptio, moderatioq; teneatur: parcat iuuen-
tus pudicitiæ suæ: ne spoliat alienam: ne effundat patri-
monium: ne fœnore trucidetur: ne incurrat in alterius do-
mum, atq; famam: ne probrum castis, labẽ integris, in
famiam bonis inferat: ne quem interimat: ne interfit in
sidijs: scelere careat: postremo cum paruerit voluptā-
tibus: dederit aliquid temporis ad ludũ etatis, atq; ad
inanes hasce adolescentiæ cupiditates: renocet se aliqui-
do ad curãrei domesticæ, rerforensis, Reipublicæ: vt ea,
quæ ratione antea non perspexerat: satietate abiecisse,
experiendo cõtempsisse, videatur. Ac multi & nostra, et
patrũ, maiorumq; memoria Iud. summi homines et cla-
rissimi ciues fuerunt: quorum cũ adolescentiæ cupiditā-
tes deferbuissent: eximiæ virtutes, firmata iam ætate, ex-
titerunt. ex quibus neminem mihi necesse est nomina-
re, vosmet vobiscum recordamini. nolo enim cuiusquā
fortis atq; illustris viri, ne minimum quidem erratum
cum maxima laude coniungere. quod si facere vellem,
multi à me summi, atq; ornatissimi viri prædicarentur:
quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim
profusa luxuries, magnitudo æris alieni, sumptus, libi-
dines, nominarentur: quæ multis postea virtutibus ob-
tecta, adolescentiæ qui vellet excusatione defenderet.
at vero in M. Cælio (dicam enim iam confidentius de
studijs eius honestis: quædam autem vestra quadam fa-
tus sapientia libere confiteri) nulla luxuries reperietur:
nulli sumptus: nullum es alienum: nulla conuiuiorum
ac lustrorum libido. quod quidem vicium ventris, &
gutturis non modo non minuit ætas hominibus, sed etiã
auget. amores autem, & hæ deliciæ quæ vocantur: quæ

firmiore



firmiore animo præditis diutius molestæ non solent esse,
mature enim & celeriter defloresc unt, nunquam hunc
occupatum impeditumq; tenuerunt. audistis cum pro se
diceret: audistis antea, cum accusaret: defendendi cau-
sa hec, non gloriandi loquor, genus orationis, facultatẽ,
copiam sententiarum, atq; verborum, quæ vestra pru-
dentia est, perspexistis. atq; in eo non solum ingenium
elucere eius videbatis: quod sæpe etiam si industria non
alitur: valet tamen ipsum suis viribus: sed inerat, nisi
me propter benevolentiam forte fallebat, oratio & bo-
nis artibus instituta, & cura & vigilijs elaborata. Atq;
scitote Iud. eas cupiditates, quæ objciuntur Cælio: atq;
hæc studia, de quibus disputo: non facile in eodem ho-
mine esse posse. fieri enim non potest vt animus libidi-
ni deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia
copia, inopia etiam nonnunquam impeditus: hoc, quic-
quid est, quod nos facimus in dicendo: non modo agen-
do, verum etiam cogitando, possit sustinere. an vos aliã
causam esse vllam putatis? cur in tantis præmijs elo-
quentiæ, tanta voluptate dicẽdi, tanta laude, tanta gra-
tia, tanto honore, tam sint pauci semperq; fuerint, qui
in hoc labore versentur? omittendæ sunt omnes volu-
ptates: relinquenda studia delectatione: ludus, iocus, con
uiuium, sermo etiam penè omnium familiarium de-
serendus. quæ res in hoc genere homines à labore stu-
dioq; dicendi deterret: non quo aut ingenia deficiant,
aut doctrina puerilis. An hic, si sese isti vitæ dedisset:
Consularem hominem admodum adolescens in iudi-
cium vocauisset? hic si laborẽ fugeret, si obstrictus volu-
ptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur? ap-
peteret inimicitias? in iudicium vocaret? subire periculum

lum capitis? ipso inspectante populo Ro. tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret? nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominũ fama? nihil Baiæ deniq; ipsæ loquuntur? illæ vero non loquuntur solum, verum etiam personant: huc vnius mulieris libidinem esse prolapsam: vt ea non modo solitudinem ac tenebras, atque hæc flagitiorum tegumenta non quærat: sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate, & clarissima luce lætetur. verum, si quis est, qui etiam meretricys amoribus interdictum iuuentuti putet: est ille quidem valde seuerus: negare non possum: sed abhorret non modo ab huius seculi licentia, verum etiam à maiorum consuetudine atq; concessis. quando enim hoc non factum est? quando reprehensum? quando non permissum? quando deniq; fuit, vt quod licet, non liceret? hic ego rem iam definiam: mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam. Si qua non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati: palamq; se in meretricia vita collocarit: virorum alienissimorum conuiuijs vti instituerit: si hoc in vrbe, si in hortis, si in Baiarum illa celebritate fecerit: si deniq; ita sese gerere, non incessu solum, sed ornatu, atq; comitatu, non flagrantia oculorum, non libertate sermonis. sed etiam complexu, osculatione, aquis, nauigatione, conuiuijs: vt non solum meretrix, sed etiam procax videatur: cum hac si quis adolescens forte fuerit: vtrum hic tibi L. Herenni adulter, an amator? expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluisse videatur? Obliuiscor iam iniurias, Clodia: depono memoriam doloris mei: quæ abs te crudeliter in meos me absente facta sunt, neglego: ne sint hæc in te dicta, quæ dixi: sed ex te ipsa requiro:



ro: quoniam & crimen accusatores abs te, & testem eius criminis te ipsam dicunt se habere: si qua mulier sit huiusmodi: qualem ego paulo ante descripsi: tui dissimilis, vita institutoq; meretricio: cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis: num tibi perturpe aut flagitiosum esse videatur? ea si tu non is, sicut ego malo: quid est: quod obijciunt Cælio? sin eam te volunt esse: quid est, cur nos crimen hoc, si tu contemnis, pertimescamus? quare nobis da viã, rationem q; defensionis. nam aut pudor tuus defendet nihil à M. Cælio petulantius esse factum. aut impudentia & huic & cæteris magnam ad se defendendum facultatem dabit. Sed quoniam emersisse iam è vadis, & scopulos præterecta videtur oratio mea: perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. duo sunt enim crimina, vna in muliere summorum facinorum, auri, quod sumptum à Clodia dicitur: & veneni, quod eiusdem Clodiæ necandæ causa parasse Cælium criminantur. aurum sumpsit vt dicitis: quod L. Luceij seruis daret: per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Luceium habitabat, necaretur. magnum crimen vel in Legatis insidiandis, vel in seruis ad hospitem domi necandum sollicitandis: plenum sceleris consilium: plenum audaciæ. quo quidem in crimine primum illud requiram. dixerit ne Clodiæ quam ad rem aurum tum sumeret? an non dixerit? si non dixit: cur dedit? si dixit: eodem conscientiæ scelere se deuinxit. tu ne aurum ex armario tuo promere ausa es? tu ne Venerẽ illam tuam spoliatricem spoliare ornamẽtis? caterum cum scires quantũ ad facinus aurum hoc quæreretur: ad necem scilicet Legati, ad L. Luceij sanctissimi hominis atq; integerrimi labem sceleris sempiterni:

terni: huic facinori tanto tua mens liberalis conscia, tua domus popularis ministra, tua deniq; hospitalis illa Venus adiutrix esse non debuit. vidit hoc Balbus: facinoris tantum celatum esse Clodiam dixit, atq; ita Cælium ad illam attulisse: se ad ornatum ludorum aurum quærere. Si tam familiaris erat Clodiæ, quàm tu esse vis: cur de libidine eius tam multa dicis: dixit profecto quo vellet aurum. si tam familiaris non erat: non dedit. ita verum tibi Cælius dixit: O immoderata mulier: sciens tu aurum ad facinus dedisti? si non est ausus dicere non dedisti. Quid ego nunc argumentis huic crimini, quæ sunt innumerabilia, resistam? possum dicere mores M. Cælij longissime à tanti sceleris atrocitate esse disiunctos: minime esse credendum homini tam ingenioso, tamq; prudenti, non venisse in mentem rem tanti sceleris ignotis alienisq; seruis non esse credendam. possum etiam illa, & cæterorum patronorum, & meæ consuetudine ab accusatore perquirere. vbi sit congressus cum seruis Lucei Cælius? qui ei fuerit aditus? si per se: qua temeritate? si per alium: per quem? possum omnes latebras suspicionum peragrare dicendo: non causa, non locus, non facultas, non conscius, nõ perficiendi, non occultandi maleficij spes, non ratio vlla, non vestigium maximi facinoris reperietur. sed hæc quæ sunt oratoris propria: quæ mihi non propter ingenium meum, sed propter hanc exercitationem, vsumq; dicendi fructum aliquem ferre potuissent: cum à me ipso laborata proferri videretur, breuitatis causa relinquo omnia. habeo enim Iudices, quem vos socium vestræ religionis, iurisq; iurandi facile esse patiemini: L. Luceium grauissimum hominem & sanctissimum, testem: qui tantum facinus

in famam



in famam atq; fortunas suas. neq; non audisset illatum à Cælio, neq; neglexisset, neq; tulisset. An ille vir illa humanitate præditus, illis studijs, artibus, atq; doctrina illius ipsius periculum, quem propter hæc ipsa studia diligebat: negligere potuisset? & quod facinus in alienũ hominem illatum seuere acciperet: id omisisset curare in hospite? quod per ignotos actum cum comperisset doleret: id à suis tentatum esse negligeret? quod in agris locisue publicis factum reprehenderet: id in vrbe ac suæ domi cœptum esse leuiter ferret? quod in alicuius agresti periculo nõ prætermitteret: id homo eruditus in insidijs doctissimi hominis dissimulandum putaret? Sed cur diutius vos Iudices teneo? ipsius iurati religionẽ authoritatemq; percipite, atq; omnia diligenter testimonij verba cognoscite. Recita testimonium Luceij. Quid expectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipsam causam pro se & veritatem posse mittere? hæc est innocentiæ defensio: hæc ipsius causæ oratio: hæc vna vox veritatis. in crimine ipso nulla suspicio est, & in re nihil est argumenti: in negocio, quod actum esse dicitur, nullum vestigium sermonis, loci, temporis: nemo testis, nemo cõscius nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex infami, ex crudeli, ex facinorosa, ex libidinosa domo: domus autem illa, quæ tentata scelere isto nefario dicitur: plena est integritatis, officij, religionis: ex qua domo recitatur vobis iureiurando deuincta authoritas: vt res minime dubitanda in contentione ponatur: vtrũ temeraria procax irata mulier finxisse crimen: an grauis, sapiens, moderatusq; vir religiose testimonium dixisse videatur. Reliquum est igitur crimen de veneno. cuius ego neq; principium inuenire, neq; euoluere exitum

possum. quæ fuit enim causa, quamobrem isti mulieri v
nenum vellet dare Cælius? ne aurum redderet? num
petiuit? ne crimen hæreret? nunquis obiecit? nũquis de
nig3 fecisset mentionem? si hic nemini nomen detulisset?
quin etiam Herennium dicere audistis, verbo se mole-
stum non fuisse futurum Cælio: nisi iterum eadem de
suo familiari absoluto nomen hic detulisset. credibile e
igitur tantum facinus, ob nullam causam esse commis-
sum? & vos non videtis fingi sceleris maximi crimen
vt alterius causa sceleris suscipiendi fuisse videatur
cui denig3 commisit? quo adiutore vsus est? qu
socio? quo conscio? cui tantum facinus? cui se? cui salu-
tem suam credidit? seruis ne mulieris? sic enim obi-
ctum est. & erat tam demens hic: cui iam vos ingeni
certe tribuitis: etiam si cætera inimica oratione detrahi-
tis: vt omneis suas fortunas alienis seruis committeret
at quibus seruis? refert enim magnopere id ipsum. h
ne quos intelligebant non communi conditione seruitu-
tis vti: sed licentius, liberius, familiarius cũ domina
uere? quis enim hoc nõ videt Iudices? aut quis hoc ig
rat: in eiusmodi domo, in qua materfamilias meret
cio more viuat: in qua nihil geratur, quod foras profer
dũ sit: in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denig
audita vicia, atq3 flagitia versentur: hic seruos non e
seruos: quibus omnia cõmittantur: per quos gerantur
qui versentur ysdẽ in voluptatibus: quibus occulta cre
dantur: ad quos aliquantum etiã ex quotidianis sum-
ptibus ac luxuria redundet. Id igitur Cælius non vid
bat? si enim tã familiaris erat mulieris, quàm vos vi
tis: istos quoq3 seruos familiares esse domin scieba
ei tanta consuetudo, quanta à vobis inducitur, nõ er

qua

Credere. Seruj. Gancian.

Veneficium. Positionis?

que cum seruis potuit familiaritas tanta esse? ipsius autẽ veneni quæratio fingitur? vbi quæsitum est? quemad-modum paratum? quo pacto? cui? quo in loco traditũ? habuisse aiunt domi: vim q3 eius esse expertam in seruo quodã ad rem ipsã parato. cuius perceleri interitu, esset ab hoc comprobatum venenum. Prò dij immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut conni-netis, aut præsentis fraudis pœnas in diem reseruatis? vidi enim, vidi, & illum hausi dolorem vel acerbissimũ in vita: cum Q. Metellus abstraheretur è sinu, gre-mioq3 patriæ: cumq3 illi vir, qui se natum huic imperio putauit: tertio die postquam in Curia, in Rostris, in Re-pub. floruisset: integerrima ætate, optimo habitu, maxi-mis viribus eriperetur indignissime bonis omnibus, atq3 vniuersæ ciuitati, quo quidem tempore ille moriens, cũ iam cæteris ex partibus oppressa mens esset, extremum sensum ad memoriam Reipub. reseruabat: cum me in-tuens flentem significabat interruptis, atq3 morientibus vocibus, quanta impenderet procella vrbi: quanta tem-pestas ciuitati: & cum parientem sæpe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis: crebro Catulum, sæpe me, sæpissime Remp. nominabat: vt non tam se e-mori, quam spoliari suo præsidio cum patriam, tũ etiam me doleret. quem quidem virum si nulla vis repentini sceleris sustulisset: quo nam modo ille furenti fratri suo patrueli Consulari restitisset: qui Consulem incipien-tem furere, atq3 conantem sua se manu interfecturum, audiente Senatu dixerit? Ex hac igitur domo progres-sa talis mulier, de veneni celeritate dicere audebit? non ipsam domum metuet: ne quam vocẽ eliciat: at non parietes conscios, non noctem illam funestam ac luctuo-

Metus Dom.

ſam perhorreſcet? Sed reuertar ad crimen. Sed enim hæc facta illius clariſſimi ac fortiſſimi viri mentio, & vocem meam fletu debilitauit, & mentem dolore impediuit. ſed tamen venenum vnde fuerit, quemadmodũ paratum ſit, non dicitur. datum eſſe hoc aiunt P. Licinio prudenti adoleſcenti, & bono, Cælij familiari: conſtitutum factũ eſſe cum ſeruis, vt venirent ad balneas Xenias: eodẽ Licinium eſſe venturum, atq; iys veneni pyxidẽ traditurum. Hic primum illud requiro: quid attinuerit illud ferri in eum locum conſtitutum? cur illi non ad Cælium domum venerint? ſi manebat tanta illa conſuetudo Cælij cum Clodia: tantaq; familiaritas: quid ſuſpicionis eſſet? ſi apud Cælium mulieris ſeruus viſus eſſet? Sin autem iam ſuberat ſimultas: extincta erat conſuetudo: diſſidium extiterat: hinc illæ lachrymæ mirum: & hæc cauſa eſt horũ omnium ſcelerum, atq; criminum. Immo inquit cũ ſerui ad dominã rem iſtam & maleficium Cælij detuliſſent: mulier ingenioſa præcepit ſuis: vt omnia Cælio pollicerentur. ſed vt venenum cum à Licinio traderetur manifeſto cõprehendi poſſet: conſtitui locũ iuſſit balneas Xenias: vt eo mitteret amicos, qui delitеſcerent. deinde repente, cum veniſſet Licinius: venenum traderet: proſilirent: hominem q; comprehenderent. Quæ quidem omnia Iudices perfacilem rationem habent reprehendendi. cur enim balneas publicas potiſſimum conſtituerat? in quibus non inuenio quæ latebra togatis hominibus eſſe poſſit: nã ſi eſſent in veſtibulo balnearum, non laterent: ſin ſe in intimum cõ iycere vellent: nec ſatis commode calceati & veſtiti id facere poſſent, & fortaſſe non reciperentur. niſi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris



ris facta erat balneatori. Atq; equidem vehementer expectabam, quinã iſti viri boni, teſtes huius manifeſto deprehenſi veneni dicerentur. nulli enim ſunt adhuc nominati: ſed non dubito quin ſint pergraues: qui primum ſint talis fœminæ familiares: deinde eam prouinciã ſuſceperint, vt in balneas contruderentur: quod illa niſi à viris honeſtiſſimis ac pleniſſimis dignitatis, quàm velit ſit potens, nunquã impetrauiſſet. Sed quid ego de dignitate iſtorum teſtiũ loquor? virtutem eorum diligentiã q; cognoſcit: in balneis delituerunt. teſtes egregios. deinde temere proſilierunt. homines grauitati deditos. ſic enim fingunt: cum Licinius veniſſet: pyxidẽ teneret in manu: conaretur tradere: nondũ tradidiſſet: tum repente euolaſſe iſtos præclaros teſtes ſine nomine. Licinium autem cum iã manum ad tradendum pyxidem porrexiſſet, retraxiſſe, atq; illo repentino hominũ impetu ſe in ſuam conieciſſe. O magna vis veritatis: quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraq; fictas omnium inſidias, facile ſe per ſeipſam defendat. verum hæc tota fabella veteris, & plurimarũ fabularum poëtæ, quàm eſt ſine argumento? quàm nullum inuenire exitum poteſt? quid enim iſti tot viri? nam neceſſe eſt fuiſſe nõ paucos: vt & comprehendi Licinius facile poſſet, & res multorum eſſet oculis teſtatior. cur Licinium de manibus amiſerunt? qui minus enim Licinius comprehendi potuit: cũ ſe retraxit, ne pyxidẽ traderet: quàm ſi non retraxiſſet? erant enim illi poſiti, vt cõprehenderent Licinium: vt manifeſto Licinius teneretur, aut cum reciperet venenũ: aut cum tradidiſſet. hoc fuit totum conſilium mulieris: hæc iſtorum prouincia, qui rogati ſunt. quos quidem tu quamobrẽ temere proſiluiſſe

dicas, atq; ante tempus, non inuenio. fuerant hoc rogati: fuerant ad hanc rem collocati: vt venenum, vt insidiæ, facinus deniq; ipsum vt manifesto comprehenderetur. potuerunt ne meliori tempore prosilire? quàm cum Licinius venisset? cum in manu teneret veneni pyxidem? quæsi cum iam erat tradita seruis: euasissent subito ex balneis mulieris amici, Licinium q; comprehendissent. imploraret hominum fidem: atq; à se illam pyxidem traditam pernegaret. quē quomodo illi reprehenderēt? vidisse se dicerent? primum ad se reuocarent maximi facinoris crimen. deinde id se vidisse dicerent: quod quo loco collocati fuissent, non potuissent videre. tempore igitur ipso se ostenderunt: cum Licinius venisset: pyxidem expediret: manum porrigeret: venenum trāderet. mimi ergo est iam exitus, non fabulæ: in quo cū clausula non inuenitur: fugit aliquis è manibus: deinde scabella concrepant: aulæum tollitur. quæro enim cur Licinium titubantem, hæsitantem, cedentem, fugere conantem, mulieraria manus ista de manibus emiserit? cur non comprehenderint? cur non ipsius cōfessionem multorum oculis, facinoris deniq; voce tanti sceleris crimen expresserint? an timebant, ne tot vnum, valentes imbecillum, alacres, perterritum, superare non possent? nullū argumentum in re: nulla suspicio in causa: nullus exitus criminis reperietur. Itaq; hæc causa ab argumētis, à coniectura, ab ijs signis, quibus veritas illustrari solet, ad testes tota traducta est. quos quidem ego testes Iud. non modo sine vllo timore, sed etiam cū aliqua spe delectationis expecto. prægestit animus iam videre, primum lautos iuuenes mulieris beatæ ac nobilis familiares: deinde fortes viros ab imperatrice in insidys, atque



quein præsidio balnearum locatos. ex quibus requiram quonam modo latuerint? aut vbi? alueus ne ille, an equus Troianus fuerit? qui tot inuictos viros muliebre bellum gerentes tulerit ac texerit? illud vero respondere cogā, cur tot viri ac tales, hunc & vnum & tam imbecillum, quàm videtis: non aut stantem cōprehenderunt, aut fugientem consecuti sint? qui se nunquam profectò, si istum in locū processerint, explicabunt. quàm volent in conuiuijs faceti, dicaces, nonnunquā etiam ad vinum diserti sint: alia fori vis est: alia triclinij: alia subsiliorum ratio: alia lectorum: non idem iudicū, conuiuatorum q; conspectus: lux deniq; longe alia est solis, & lychnorum. Quamobrem excutiemus omnes istorū delitias, omnes ineptias, si prodierint. sed si me audiant: nauent aliam operam: aliam ineant gratiam: in alijs se rebus ostentent: vigeant apud istam mulierem venustate: dominentur sumptibus: hæreant: iaceant: seruiant: caput vero innocentis, & fortunis parcant. adsunt serui illi de cognatorum nobilissimorū, & clarissimorū hominum sententia manumissi. tandē aliquid inuenietis: quod ista mulier de suorum propinquorum, fortissimorum virorum sententia atq; authoritate fecisse dicatur. Sed scire cupio quid habeat argumenti ista manumissio? in qua aut crimē est Cælio quæsitum, aut quæstio subleuata, aut multarum rerum conscijs seruis cum causa præmium persolutū. At propinquis placuit. cur non placeret? cum rem tute ad eos non ab alijs tibi allatam, sed à te ipsa compertam deferre diceret? hic etiam miramur si illā cōmenticiam pyxidē obscenissima sit fabula consecuta. nihil est, quod in eiusmodi mulierem nō

Res. cadere videatur. audita, & peruulgata, et percelebrata sermonibus res est. percipitis animis Iud. iam dudũ quid velim, vel potius quid nolim dicere. quod etiam si est factum, certe à Cælio non est factum. quid enim attinebat? est enim ab aliquo fortasse adolescente non tam insulsè, quàm non verecundo. sin autem est fictum: non illud quidem modestũ, sed tamen non est infacetum mendacium. quod profectò nunquam hominum sermo, atque opinio comprobasset: nisi omnia, quæ cũ turpitudine aliqua dicerentur: in istam quadrare apte viderentur. dicta est à me causa Iud. & perorata. iam intelligitis quã tum iudicium sustineatis: quanta res sit commissa vobis. de vi quæritis. qua lex ad Imperium, ad maiestatẽ, ad statum patriæ, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus armata dissensione ciuium Reipub. penè extremis temporibus tulit: quæq; lex sedata illa flãma Consulatus mei, fumantis reliquias coniurationis extinxit: hac enim lege Cælij adolescentia non ad Reipub. pœnas, sed ad mulieris libidines & delicias deposcitur. Atq; hoc etiam loco M. Camurti & Ceserni dãnatio prædicatur. O stultitiã, stultitiã ne dicã, an impudentiam singularem? audetis ne cum ab ea muliere veniatis: facere istorum hominum mentionem? audetis ne excitare tanti flagitij memoriã? nõ extinctam illam quidem, sed repressam vetustate? quo enim illi crimine peccatoq; perierunt? nempe, quod eiusdem mulieris dolorem, & iniuriam Vecliano nefario sunt stupro persecuti. ergo vt audiretur Vecly nomen in causa. vt illa vetus Afrania fabula reficaretur: iccirco Camurti, & Ceserni est causa renouata? qui quanquam Lege de vi certe non tenebantur: eo maleficio tamen erant

Mendacium. Conclusio Cæ. Pœna deposcio. Aggressio.

implicati: vt ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. M. vero Cælius cur in hoc iudicium vocatur? cui rei proprium quæstionis crimen obijcitur: nec vero aliquid eiusmodi: quod sit à lege seiunctum: & cum vestra seueritate coniunctum. cuius prima ætas dedita disciplinis fuit, ysq; artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendã Rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem. His autem fuit amicitijs maiorum natu: quorum imitari industriã continentiamq; maxime velit: his æqualium studijs, vt eundem, quem optimi ac nobilissimi, petere cursum laudis videretur. cum autem paulum iam roboris accessisset ætati: in Africam profectus est, Q. Pompeio proconsuli contubernalis castissimo viro atq; omnis officij diligentissimo: in qua prouincia cum res erant, & possessiones paternæ: tum etiam vsus quidam prouincialis, non sine causa à maioribus huic ætati tributus. discessit illinc Pompeij iudicio probatissimus: vt ipsius testimonio cognoscetis. voluit vetere instituto, eorum adolescentium exemplo, qui post in ciuitate summi viri, & clarissimi ciues extiterunt: industriam suam à populo Rom. ex aliqua illustri accusatione cognosci. vellem alìò potius eum cupiditas gloriæ detulisset: sed abijt huius tempus querelæ. accusauit C. Antonium collegam meum: cui misero præclari in Remp. beneficij memoria nihil profuit: nocuit opinio maleficij cogitati. postea nemini concessit æqualium, plus vt in foro, plus vt in negocijs versaretur, causisq; amicorum: plus vt valeret inter suos gratia. quæ nisi vigilantes homines, nisi sobrij, nisi industrij consequi non possunt: omnia labore & diligentia est cõsecutus. In hoc flexu quasi ætatis, nihil enim occultabo fretus huma-

Prima ætas. Vita. Labor, Diligentia

nitate ac sapientia vestra: fama adolescentis paulum hæsit ad metas, noticia noua mulieris, & infelici vicinitate, & insolentia voluptatum. quæ cum incluſe diutius, & prima ætate compreſſæ, & constrictæ fuerunt: subito se nonnunquam profundunt atq; eyciunt vniuersæ. quæ ex vita, vel dicam quo ex sermone, nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur: verum ex eo, quicquid erat, emersit: totumq; se eiecit atq; extulit: tantumq; abest ab illius familiaritatis infamia: vt eiusdem nunc ab sese inimicitias, odiumq; propulset. atq; vt iste interpositus sermo deliciarum desidiæq; moreretur: fecit mehercule inuito & multum repugnante, sed tamen fecit: nomen amici mei de ambitu detulit quem absolutum insequitur: renocat: nemini nostrũ obtemperat: est violentior quàm vellem. sed ego non loquor de sapientia: quæ non cadit in hanc ætatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam. quæ studia iam in his ætatibus nostris contractiora esse debeant: in adolescentia vero, tanquam in herbis, significant quæ virtutis maturitas, & quanta fruges industriæ sint futuræ. etenim semper magno ingenio adolescentes refrenandi potius à gloria, quàm incitandi fuerunt. amputanda plura sunt illi ætati: siquidem efflorescit ingenij laudibus: quàm inserenda. quare si cui nimium efferbuisse videtur huius vel in suscipiendis, vel in gerendis inimicitijs vis, ferocitas, pertinacia: si quem etiam minorum horum aliquid offendit: si purpuræ genus, si amicorum caterua, si splendor, si nitor: iam ista deferbuerit: iam ætas omnia, iam res, iam dies mitigarit. Conseruate igitur Reipub. Iud. ciuẽ bonarum artium, bonarum partium, bonorum virorum.

Voluptates. Sapientia. Adolescentia. Ciuis.



ram. promitto hoc vobis, & Reip. spondeo: si modo nos ipsi Reip. satisfecimus: nunquam hunc à nostris rationibus seiunctum fore. quod cum fretus nostra familiaritate promitto: tum quod durissimis sc ipse legibus iam obligarit. Non enim potest qui hominem Consularem, quod ab eo Remp. violatam diceret, in iudicium vocarit: ipse in Repub. ciuis esse turbulentus, non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum: ipse impune vnquã esse largitor. habet à M. Cælio Respub. Iud. duas accusationes vel obsides periculi, vel pignora voluntatis. Quare oro obtestorq; vos Indices: vt qua in ciuitate paucis diebus his Sex. Clodius absolutus sit: quẽ vos per bienniũ aut ministrum seditionis, aut ducẽ vidistis: qui ædes sacras, qui censum populi Romani, qui memoriam publicam, suis manibus incendit: hominem sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum: qui Catuli monumentum afflixit: meam domum diruit: mei fratris incendit: qui in palatio atq; in vrbis oculis seruitia ad cædem & inflammandam vrbẽ incitauit: in hac ciuitate ne patiamini illũ absolutum muliebri gratia, M. Cælium libidini muliebri condonatum: ne eadem mulier cum suo coniuge, & fratre, turpissimum latronem eripuisse, & honestissimum adolescentem oppressisse videatur. quod cum huius vobis adolescentiam proposueritis: constituite vobis ante oculos huius etiam miseri senectutem: qui hoc vnico filio nititur: in huius spe requiescit: huius vnius casum pertimescit: quem vos supplicem vestræ misericordiæ, seruum potestatis, abiectum non tam ad pedes, quàm ad mores sensusq; vestros, vel recordatione parentum vestrorum, vel liberorum iucunditate

Turbulentus. obsides fidei Pignora voluntatis. Inquinatus. Sex. Clodius. Abijcere.

cunditate sustentate : vt in alterius dolore vel pietati, vel indulgentiæ vestræ seruiatis. nolite Iudices, aut hũc iam natura ipsa occidentem velle maturius extingui vulnere vestro, quàm suo fato: aut hunc nunc primum florescentem firmata iam stirpe virtutis, tanquam turbine aliquo aut subita tempestate peruertere. conseruate parenti filium: parentem filio: ne aut senectutem iam propè desperatam contempsisse, aut adolescentiam plenã spei maximæ, non modo vos non aluisse: sed etiam perculisse, atq; afflixisse videamini. quem si vobis, si suis, si Reip. conseruatis: addictum, deditum, obstrictum vobis, ac liberis vestris habebitis: omniumq; huius nerorum, ac laborum vos potissimum Iud. fructus uberes, diuturnosq; capietis.

PRO



## PRO L. CORNELIO BALBO. ORATIO XXXVI.

SI authoritates patronorum in iudicijs valerent : ab amplissimis viris L. Cornelij causa defensa est: si usus, à peritissimis : si ingenia, ab eloquentissimis : si studia, ab amicissimis, & cum beneficijs cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. quæ sunt igitur meæ partes? authoritatis tantæ, quantam vos in me esse voluistis: usus mediocris: ingeny minime voluntati paris. nam cæteris, à quibus est defensus, hunc debere plurimum video. ego quantum ei debeam, alio loco ostendam. Principio orationis hoc oppono, me omnibus qui amici fuerint saluti meæ, & dignitati, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at prædicanda & habenda certe satis esse facturum. Quæ fuerit hesterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo Iudices, quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur. nihil enim vnquam audiui: quod mihi de iure subtilius dici videretur: nihil de memoria, de more, de exemplis acutius: nihil peritius de fœderibus: nihil illustriore authoritate, de bellis: nihil de Rep. grauius: nihil de ipso modestius: nihil de causa & crimine ornatius. vt mihi iam verum videatur illud esse: quod nonnulli literati ac studijs doctrinisq;editi, quasi quiddam incredibile dicere putabantur: eũ. qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset: omnia quæ facere vellet, facillime tractare. quæ enim in L. Crasso potuit homine nato ad dicendi singularem

quandam

quandam facultatem, si hanc causam ageret, maior esse vbertas, varietas, copia? quàm fuit in eo, qui tantum potuit impertire huic studio temporis: quantum ipse à pueritia vsq; ad hanc ætatem à continuis bellis & victorys conquieuit? quo mihi difficilior est hic extremus perorandi locus. etenim ei succedo orationi: quæ non præteruecta sit aures vestras: sed in animis omnium penitus insederit: vt plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quàm non modo ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis. sed mos est gerendus non modo Cornelio: cuius ego voluntati in eius periculis nullo modo deesse possum: sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudicy, sui beneficij, voluit me esse, vt apud eosdem vos Iudices nuper in alia causa fierim, & prædicatorem, & authorem. Mihi quidem hoc dignum reo videtur: hoc deberi huius excellentis viri præstantissimæ gloriæ: hoc proprium esse vestri officy: hoc satis esse causæ: vt quod feciſſe Cn. Pompeiũ constet: id omnes & licuiſſe concedant. nam verius nihil est: quàm quod hesterno die dixit ipse L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare: vt nullius in delicti crimen vocaretur. non enim furatus esse ciuitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse: non irrepsisse in censum dicitur. vnum obijcitur: natum esse Gadibus: quod negat nemo. cæterum accusator fatetur, hunc in Hispania durissimo bello cum Q. Metello, cum C. Memmio, & in classe, & in exercitu fuisse: & vt Pompeius in Hispaniã venerit, Memmiumq; habere Quæstorem cœperit: nunquam à Memmio discessisse: Carthaginem esse profectum: acerrimis illis prælys & maximis Sucronensi & Durienſi interfuisse: cum Pompeio



peio ad extremum belli tempus fuisse. hæc sunt prælia Cornelij: talis in Remp. nostram labor, assiduitas, dimicatio. virtus digna summo imperatore: spes pro periculis præmiorum. præmia quidem ipsa non sunt in eius facto, qui adeptus est: sed in eius, qui dedit. Donatus igitur est ab eis causas à Cn. Pompeio ciuitate. id accusator non negat, sed reprehendit: vt in Cornelio causa ipsius probetur: pœna quæratur. in Pompeio causa lædatur: pœna sit nulla. sic famam, sic innocentissimi hominis fortunas, præstantissimi imperatoris factum condemnari volunt. Ergo in iudicium caput Cornelij, factum Pompeij vocatur. hunc enim in ea ciuitate, in qua sit natus: honestissimo loco natum esse concedis: & ab ineunte ætate relictis rebus suis omnibus in nostris bellis, nostris cum imperatoribus esse versatũ: nullius laboris, nullius obsessionis, nullius prælij expertem fuisse. hæc sunt omnia cum plena laudis, tum propria Cornely: nec in his rebus crimen est vllum. vbi igitur est crimen? quod eũ Pompeius ciuitate donauit. huiusce ne crimẽ? minime. nisi honos ignominia putanda est. cuius igitur? re vera nullius. actione accusatoris eius vnius, qui donauit. qui si adductus gratia minus idoneũ hominem præmio affecisset: qui etiã si virum bonũ, sed non ita meritũ, si denig; aliquid quod non contra ac liceret factum diceretur, sed contra atq; oporteret: tamẽ esset omnis eiusmodi mali reprehensio à vocis Iudices repudianda. Nunc vero quid dicitur? quid ait accusator feciſſe Pompeium? quod ei facere non licuerit. quod grauius est: quã si id factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet. est enim aliquid, quod non oportuit, etiam si licet: quicquid vero non licet, certe nõ oportet.

tet. Hic ego nunc coner sic agere Iudices: non esse fas dubitari: quin quod Cn. Pompeiũ fecisse constitit: id non solum decuisse, sed etiam debuisse fateamur. Quid enim abest huic homini: quod si adesset, iure hoc tribui & concedi putaremus? vsus ne rerum? qui pueritiæ tempus extremum principium habuit bellorum atq; imperiorum maximorum: cuius plerig; æquales minus sæpe castra viderunt, quàm hic triumphauit: qui tot habet triumphos: quot oræ sunt partesq; terrarum: tot victorias bellicas: quot sunt in rerum natura genera bellorum. An ingenium? cum etiam ipse casus euentusq; rerum, non duces, sed comites eius consiliorum fuerint: in quo vno ita summa fortuna cum summa virtute certauit: vt omniũ iudicio plus homini quã decet, tribueretur. An pudor? an integritas? an religio in eo? an diligentia vnquam requisita est? quem prouinciæ nostræ, quem liberi populi, quem reges, quem exteræ gentes, castiorem, moderatiorem, sanctiorem: non modo viderunt, sed aut sperando vnquã, aut optando cogitauerunt? Quid dicam de authoritate? quæ tanta est: quanta in his tantis virtutibus ac laudibus esse debet. cui S.P.Q.R. amplissimæ dignitatis præmia dedit non postulanti imperia, verum etiam recusanti. Huius de facto Iudices ita queri, vt id agatur, licuerit ne ei facere, quod fecit. an vero non dicã non licuerit, sed nefas fuerit. contra fœdus enim, id est, contra populi Romani religionem & fidẽ fecisse dicitur: nõ turpe populo Romano? nonne vobis est? Audiui hoc de parente meo puer: cũ Q. Metellus L. F. causam de pecunys repetũdis diceret: ille ille vir, cui patriæ salus dulcior quã conspectius fuit: qui de ciuitate decedere, quam de sententia maluit: hoc igitur causam dicente, cũ ipsius tabulæ circunferentur inspiciendi nominis causa: fuisse iudicẽ ex illis Equitibus Romanis grauissimis viris neminẽ: quin remoueret oculos: & se totũ auerteret: ne forte quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam verum ne an falsum esset, videretur. non Cn. Põpey decretum iudicium de consilij sententia pronunciatum recognoscemus? cum legibus conferemus? cum fœderibus, quorum acerbissima diligentia est, pertendemus? Athenis aiunt, cum quidam apud eos, qui sanctè grauiterq; vixisset, & testimonium dixisset publice: & vt mos Græcorum est, iurandi causa ad aras accederet: una voce omnes Iud. ne is iuraret, reclamasse. cũ Græci homines spectati viri noluerint religione videri potius, quã veritate fidem esse constrictam: nos etiã in ipsa religione & legũ, & fœderum conseruanda qualis fuerit Cn. Pompeius, dubitabimus? vtrum enim inscientem vultis contra fœdera fecisse, an scientem? si scientem: O' nomen nostri imperij: O' populi Romani excellens dignitas: O' Cn. Pompeij sic late longeq; diffusa laus: vt eius gloriæ domicilium cõmunis imperij finibus terminetur: O' nationes, vrbes, populi, reges, Tetrarchæ, Tyranni, testes Cn. Pompeij non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace: vos deniq; mutæ regiones imploro, & scla terrarum vltimarũ: vos maria, portus, insulæ, littoraq;, quæ est enim ora? quæ sedes? qui locus? in quo non extent huius cum fortitudinis: tũ vero humanitatis, tum animi, tum consilij impressa vestigia? Hunc quisquam incredibili quadam atq; inaudita grauitate, virtute, constantia præditum, fœdera scientẽ neglexisse, violasse, rupisse, dicere audebit? Gratificatur mihi gestu accusator: nescientem Cn. Pompeium fecisse si-

gnificat. quasi vero leuius sit cum in tãta Rep. versere: & maximis negocijs præsis, facere aliquid, quod scias nõ licere, an omnino nescire quid liceat. Etenim cum in Hispania bellũ acerrimum & maximum gesserat: quo iure Gaditana ciuitas esset, nesciebat? An cuius linguã populi nõ nosset: interpretationem fœderis nõ tenebat? Igitur quisquam Cn. Pompeium ignorasse dicere audebit, quod mediocres homines, quod nullo vsũ, nullo studio militari præditi, quod librarioli deniq; scire profitentur? equidem cõtrà existimo Iudices? cũ in omni genere, ac varietate artium, etiam illarum, quæ sine summo ocio non facile discuntur, Cn. Pompeius excellat: singularem quandam laudẽ, & præstabilem esse scientiam in fœderibus, pactionibus, cõditionibus: populorũ, regum, exterarum nationũ, in vniuerso deniq; belli iure, atq; pacis. nisi forte ea, quæ nos liberi docent in vmbra, & ocio: ea Cn. Pompeium, neq; cum requiesceret, literæ, neq; cum rem gereret, res ipsa docere potuerunt. Atq; vt ego sentio Iudices causa dicta est temporis magis. ego nõ huius inquam generis iudicij plura dicam. est enim huius sæculi labes quædam, & macula, virtuti inuidere: velle ipsum florem dignitatis infringere. etenim si Cn. Pompeius ab hinc annos quingentos fuisset, is vir, à quo Senatus adolescentulo atq; Equite Romano sæpe communis salutis auxilium expetisset: cuius res gestæ omnes gentes cum clarissima victoria terra marq; peragrassent: cuius tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri: quem Populus Romanus singularibus honoribus decorasset: si nunc apud vos id quod is fecisset, contra fœdus factum diceretur, quis audiret? nemo profecto. mors enim cum extinxisset inuidiam, res eius gestæ sempiterni nominis gloriæ traderentur. cuius igitur audita virtus dubitationis locum non daret: huius præsens experta atq; perspecta obtrectatorum voce lædetur? Omittam igitur Pompeium ĩa oratione mea reliqua. sed vos Iudices animis ac memoria tenetote. de lege, de fœdere, de exemplis, de perpetua cõsuetudine ciuitatis nostræ, renouabo ea, quæ dicta sunt: nihil enim mihi noui, nihil integri, neq; M. Crassus, qui totam causam & pro facultate & pro fide sua diligentissime vobis explicauit. neq; Cn. Pompeius, cuius oratio omnibus ornamentis abundauit: ad dicendum reliquit. Sed quoniam me recusante placuit ambobus adhiberi hunc à me quasi perpoliendi quendã operis extremum laborem: peto à vobis: vt me officij potius, quàm dicendi studio hanc suscepisse operã ac munus putetis. Ac priusquam aggrediar ad ius causamq; Cornelij: quiddam de communi conditione omnium nostrum deprecandæ malevolentiæ causa. breuiter commemorandum videtur.

Si quo quisque loco nostrum est Iudices natus: aut si in qua fortuna est nascendi initio constitutus, hunc vitæ statum vsq; ad senectutem obtinere debet: & si omnes, quos aut fortuna extulit: aut ipsorum illustrauit labor & industria: pœna sunt assiciendi: non grauior L. Cornelio, quàm multis viris bonis atq; fortibus constitui lex vitæ & conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas ex infimo genere & fortunæ gradu, non modo amicitias & rei familiaris copias consecuta est: sed summam laudem, honores, gloriam, dignitatem: nõ intelligo cur potius inuidia violatur à virtute L. Cornelij: quàm æquitas vestra pudorem eius adiutu-

ra videatur. Itaq; quod maxime petendum est, à vobis iccirco nõ peto Iudices: ne de vestra sapientia, atq; de vestra humanitate dubitare videar. Est autẽ hoc petendũ: ne oderitis ingenium: ne inimici sitis industriæ: ne humanitatẽ opprimendam, ne virtutẽ puniendã putetis. illud peto, vt si causam ipsam per se firmã esse & stabilẽ videritis: hominis ipsius ornamẽta adiumento causæ potius, quàm impedimento esse malitis. Nascitur Iudices causa Cornelij ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex Senatus sententia tulerũt. qua lege videamus satis esse sancti, vti ciues Romani sint ij: quos Cn. Pompeius de consilij sententia sigillatim ciuitate donauerit. donatum esse L. Cornelium, præsens Pompeius dicit: indicant publicæ tabulæ: accusator fatetur: sed negat ex fœderato populo quenquã potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc ciuitatem venire. O præclarum interpretem iuris, authorẽ antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ ciuitatis: qui hanc pœnam fœderibus ascribat: vt omnium præmiorũ, beneficiorũq; nostrorũ expertes faciat fœderatos. quid enim potuit dici imperitius? quàm fœderatos populos fieri fundos oportere? nam id non magis est proprium fœderatorum, quàm omniũ liberorum. Sed totum Iud. in ea fuit positũ semper ratione atq; sententia: vt cum iussisset Prætor aliquid, si id adsciuissent socij populi ac Latini, & si ea lex quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquã in fundo resedisset: vt tum lege eadem is populus teneretur: non vt de nostro iure aliquid minueretur. sed vtilli populi aut iure eo, quod à nobis esset constitutũ, aut aliquo commodo, aut beneficio vterentur. Tulit apud maiores nostros legem C. Furius de testamento: tulit

Q. Vo-



Q. Voconius de mulierum hæreditatibus: innumerabiles aliæ leges de ciuili iure sunt latæ: quas Latini voluerunt, adsciuerunt, ipsa denique Iulia, qua lege ciuitas est socijs & Latinis data, qui fundi populi facti non essent: ciuitatem non haberent. in quo magna contentio Heraclensium & Neapolitanorũ fuit: cum magna pars in ijs ciuitatibus iuris sui libertatem ciuitati anteferret. postremo hæc vis est istius & iuris & verbi: vt fundi populi beneficio nostro, non suo iure fiant. cum aliquid populus Romanus iussit: id si est eiusmodi, vt quibusdam populis fœderatis, siue liberis permittendum esse videatur: vt statuant ipsi non de nostris, sed de suis rebus, quo iure vti velint: tum vtrum fundi facti sint, an non, quærendum esse videatur. de nostra vero Repub. de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt. Atqui si Imperatoribus nostris, si Senatui, si populo Romano non licebit propositis præmijs elicere ex ciuitatibus sociorum atq; amicorum, fortissimum atq; optimum quenq; ad subeunda pro salute nostra pericula: summa vtilitate ac maximo sæpe præsidio in periculis atq; asperis temporibus carendum erit. Sed per deos immortales, quæ est ista societas? quæ amicitia? quod fœdus? vt aut nostra ciuitas careat in suis periculis Massilienſi propugnatore: careat Gaditano: careat Saguntino: aut si quis ex illis populis sit exortus: qui nostros duces auxilio laboris, cõmeatus, periculo suo iuuerit: qui cum hoste nostro cominus in acie sæpe pugnauit: qui se sæpe telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit: nulla conditione huius ciuitatis præmio effici possit. Est enim in pop. Ro. graue non posse vti so-



In populum.

cijs excellenti virtute præditis: qui velint cum periculis nostris sua cõmunicare, in socios vero ipsos, & in eos de quibus agimus fœderatos, incuriosum & contumeliosum est: his præmijs & his honoribus exclusos esse fidelissimos & cõiunctissimos socios: quæ pateãt stipendiarijs: pateant hostibus: pateant sæpe seruis. nam & stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris prouincijs multos ciuitate donatos videmus: & qui hostes ad nostros Imperatores perfugissent, & magno vsui Reipub. nostræ fuissent: scimus ciuitate esse donatos. seruos denique, quorum vis & fortunæ conditio infima est: bene de Repub. meritos persæpe libertate, id est ciuitate publice donari videbamus. Hanc tu igitur patrone fœderum ac fœderatorum conditionẽ statuis Gaditanis tuis ciuibus: vt quod his, quos Gaditanis adiutorib. armis subegimus, atq; in ditionẽ nostram redegimus: liceat, si P.R. permiserit, vt ab Senatu, ab imperatoribus nostris, ciuitate donẽtur: id ne liceat ipsis? qui si suis decretis legibusue sanxissent, ne quis eorum ciuium castra Imperatorum P.R. iniret: ne quis se pro nostro imperio in periculum capitis atq; in vitæ discrimen inferret: Gaditanorũ auxilys nobis vti, cum vellemus, nõ liceret: priuatim vero ne quis vir & animo, & virtute præcellẽs pro nostro imperio periculo suo dimicaret: grauiter id iure ferremus: minui auxilia populi Romani: debilitari animos fortissimorum virorum: alienigenarũ nos hominum studijs atq; externa virtute priuari. Atqui nihil interest Iudices vtrum hæc fœderati iura constituant: vt ne cui liceat ex his ciuitatibus ad nostrorum bellorum pericula accedere: an quæ nos eorum ciuibus virtutis causa tribuerimus: ea rata esse non possint. nihil enim magis

vteremur

vteremur his adiutoribus sublatis præmijs virtutis: quã homine his versari in nostris bellis non liceret. etenim cum pro sua patria pauci post genus hominum natum reperti sint: qui nullis præmijs propositis vitam suã honestis obiecerint: pro aliena Republica quenquam fore putatis: qui se opponat periculis non modo nullo proposito præmio, sed etiam interdicto? Sed quàm est illud imperitissime dictum de populis fundis: quod commune liberorum est populorum: non propriũ fœderatorũ. ex quo intelligi necesse est: aut neminem ex socijs ciuem fieri posse: aut etiam posse ex fœderatis. Tum vero ius omne noster iste magister mutandæ ciuitatis ignorat. quod est Iudices non solum in legibus publicis positum: sed etiam in priuatorum voluntate. iure enim nostro neque mutare ciuitatem quisquam inuitus potest: neq; si velit, mutare non potest: modo adsciscatur ab ea ciuitate: cuius esse se ciuitatis velit: vt si Gaditani scinerint nominatim de aliquo ciue Romano: vt fit is ciuis Gaditanus: magna potestas sit nostro ciui mutandæ ciuitatis: nec fœdere impediatur, quo minus ex ciue Romano ciuis Gaditanus posset esse. Duarum ciuitatũ ciuis nostro esse iure ciuili nemo potest. non esse huius ciuitatis ciuis, qui se alij ciuitati dicarit, potest neq; sine dicatione, quod in calamitate clarissimis viris Q. Maximo, C. Lenati, Q. Philippo Nuceriæ, C. Catoni Tarracone, Q. Cepioni, P. Rutilio Smyrnæ vidimus accidisse: vt earũ ciuitatum fierent ciues: hanc ante amitterẽ nõ potuissent: quã huius solũ ciuitatis mutatione verterent: sed etiã postliminio potest ciuitatis fieri mutatio. neq; enim sine causa de Cn. Publicio Menandro libertino homine, quem apud maiores legati nostri in Græ-

ciam proficiscentes interpretẽ secum habere voluerunt: ad populum latum, vt is Publicius si domũ reuertisset, & inde Ro. redisset: ne minus ciuis esset. Multi etiã superiore memoria ciues Rom. sua voluntate indemnati & incolumes, his rebus relictis, alias se in ciuitates cõtulerunt. Quod si ciui Romano licet esse Gaditanum siue exilio, siue postliminio, siue reiectione huius ciuitatis: vt iam ad fœdus veniam, quod ad causam nihil pertinet (de ciuitatis enim iure non de fœderibus disceptamus) quid est? quamobrem ciui Gaditano in hanc ciuitatem venire non liceat? Equidem longe secus sentio. nam cũ ex omnibus ciuitatibus via sit in nostram: cumq; nostris ciuibus pateat iter ad cæteras ciuitates: tum vero vt quæq; nobiscum maxime societate, amicitia, sponsione, pactione, fœdere coniuncta est: ita mihi maxime cõmunionem beneficiorũ, præmiorum, ciuitatis, continere videtur. Atqui cæteræ ciuitates omnes non dubitarent nostros recipere in suas ciuitates: si idem non iuris haberemus, quod cæteri. sed nos non possumus & huius esse ciuitatis, & cuiusuis præterea: cæteris concessum est. Itaque in Græcis ciuitatib. videmus, Athenis Rhodios, Lacedæmonios, cæteros vndiq; ascribi: multarumq; esse eosdem homines ciuitatum. quo errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines nostros ciues, Athenis in numero iudicum, atq; Areopagitarum, certa tribu, certo numero: cum ignorarent, si illa ciuitatem essent adepti, hanc se ppdidisse, nisi postliminio recuperassent. peritus vero nostri iuris, ac moris nemo vnquam, qui hac ciuitatem retinere vellet: in aliam ciuitatem se dicauit. Sed hic totus locus disputationis atq; orationis meæ, Iudices, pertinet ad communeius mutandarum ciuitatum:



tum: nihil habet, quod sit proprium religionis ac fœderum. defendo enim rem vniuersam: nullã esse gentem ex omni regione terrarum, neq; tam dissidentem à populo Romano odio quodam atq; dissidio: neq; tam fide benevolentiaq; cõiunctam: ex qua nobis interdictũ sit: vt ne adsciscere ciuem, aut ciuitate donare possimus. O iura præclara, atq; diuinitus iam inde à principio Romani nominis à maioribus nostris cõparata: ne quis nostrum plusquam vnius ciuitatis esse possit. dissimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat, necesse est: ne quis inuitus ciuitate mutetur: ne nec in ciuitate maneat inuitus. hæc sunt enim fundamẽta firmissima nostræ libertatis, sui queq; iuris & dimittendi et retinendi esse domi. Illud vero sine vlla dubitatione maxime nostrũ fundauit imperium: & populi Ro. nomẽ auxit: quod princeps ille creator huius vrbis Romulus fœdere Sabino docuit. etiam hostibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere. cuius authoritate & exemplo nunquam est intermissa à maioribus nostris largitio, & communicatio ciuitatis. Itaq; & ex Latio multi & Thusculani, & Lanuuini, & ex cæteris generibus gentes vniuersæ in ciuitatem sunt receptæ: vt Sabinorum, Volscorum, Hernicorum: quibus ex ciuitatibus nec coacti essent ciuitatem mutare, si qui noluissent: nec si qui essent ciuitatẽ nostrã beneficio populi Ro. consecuti: violatum fœdus eorum videretur. Etenim quædam fœdera extant: vt Germanorũ, Insubrium, Heluetiorum, Iapidum, nonnullorũ item ex Gallia barbarorum: quorum in fœderibus exceptum est: ne quis eorum à nobis ciuis recipiatur. quod si exceptio facit, ne liceat: ibi necesse est licere, vbi non est exceptum. Vbi est igitur exceptũ fœdere Gaditano, ne

Romanus Gaditanum recipiat ciuitate? nusquam.ac si cubi esset:lex id Gellia & Cornelia, quæ definiite potestatem Pompeio ciuitatẽ donandi dederat,sustulisset. Exceptum est inquit : fœdus siquidem sacrosanctum est. ignoſco tibi : si neq; Pœnorum iura calles : reliqueras enim ciuitatem tuam : neq; nostras potuisti leges inspicere:ipsæ enim te à cognitione sua iudicio publico repulerunt. Quid fuit in rogatione ea quæ de Pompeio à Gellio et à Lentulo Conss.lata est:in qua aliquid sacrosanctum videretur? Primum enim sacrosanctum nihil esse potest : nisi quod populus plebs'ue sanxisset.deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso,aut obtestatione,& consecratione legis, aut pœnæ,cum caput eius qui cõtra facit,consecratur. Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere eiusmodi? vtrum à capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas? nihil omnino vnquam de isto fœdere ad populũ, nihil ad plebem latum esse dico:de quibus etiam si latum esset neq; legem,neq; pœnam latã esse, neq; ciuem reciperemus:tamen id esset,quod populus postea iussisset , ratum: neq; quicquã illis verbis si quid sacrosanctum esset,esse exceptum videretur.de his cum populus Ro.nihil vnquã iusserit:quicquã audes dicere sacrosanctũ fuisse? Nec vero hæc oratio mea ad infirmandum fœdus Gaditanorum Iud.pertinet.neq; enim est meũ contra ius optime meritæ ciuitatis,contra opinionẽ vetustatis,contra authoritatem senatus dicere. Duris enim quondam temporibus Reip.nostræ cum prepotens terra mariq; Carthago iuxta duabus Hispanijs huic imperio immineret:& cum duo fulmina nostri imperij subito in Hispania Cn.& P.Scipiones



piones extincti occidissent:L. Martius Primipili Centurio cum Gaditanis fœdus iciſſe dicitur.quod cum magis fide illius populi, iustitia vestra , vetustate deniq; ipsa, quã aliquo publico vinculo religionis teneretur:sapientes homines & publici iuris periti Gaditani M. Lepido,Q.Catulo Conss.à senatu de fœdere postulauerunt. tum est cum Gaditanis fœdus vel renouatum, vel ictũ. de quo fœdere populus Ro.sententiã non tulit: qui iniussu suo nullo pacto potest religione obligari. Ita Gaditana ciuitas,quod beneficijs suis erga Remp. nostram cõsequi potuit:quod imperatorum testimonijs: quod vetustate: quod Q.Catuli summi viri authoritate : quod iudicio senatus:quod fœdere : consecuta est.quod publica religione sanciri potuit , id abest. populus enim se nusquam obligauit.neq; ideo est Gaditanorũ causa deterior : grauissimis enim & pluribus rebus est fulta. sed isti disputationi certe nihil est loci. sacrosanctum enim nihil potest esse : nisi quod per populum plebem'ue sancitũ est. Quod si hoc fœdus, quod populus Ro. authore senatu, commendatione & iudicio vetustatis,voluntate & sententijs suis comprobat : idem suffragijs comprobasset: quid erat cur ex ipso fœdere Gaditanum in ciuitatẽ nostram recipi non liceret ? nihil est enim aliud in fœdere nisi vt pia & æterna pax sit : quid id ad ciuitatem? adiunctum illud etiam est,quod non est in omnibus fœderibus:maiestatem populi Ro.comiter conseruent. Ita habet hanc vim : vt sit ille in fœdere inferior. Primum verbi genus hoc conseruandi , quo magis in legibus quam in fœderibus vti solemus:imperantis est , non precantis. deinde cum alterius populi maiestas seruari iubetur , de altero sileatur : certe ille populus in superiori conditione

conditione causaq; ponitur: cuius maiestas fœderis sanctione defenditur. In quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione: qui ita dicebat comiter esse communiter: quasi vero priscum aliquod aut insolitum verbũ interpretaretur. Comes, benigni, faciles, suaues, homines esse dicuntur: qui errranti comiter monstrant viam, benigne, non grauate, comiter quidem certe, non communiter conuenit. & simul absurda res est: caueri fœdere, vt maiestatẽ populi Ro. cõmuniter conseruent: id est, vt populus Romanus suã maiestatẽ esse salnã velit. Quod si iam ita esset: vt esse nõ potest: tamen de nostra maiestate, nihil de illorũ caueretur. potest ne igitur nostra maiestas à Gaditanis benigne cõseruari: si ad eam retinendã Gaditanos præmijs elicere nõ possumus? Potest esse vlla deniq; maiestas: si impedimur, quo minus per populum Ro. beneficiorũ virtutis causa tribuendorum potestatẽ imperatoribus nostris deferamus? Sed quid ego disputo: quæ mihi tum si Gaditani contra me dicerent, vere posse dici viderentur. illis enim repentibus L. Cornelium, responderem legem populũ Ro. iussisse de ciuitate tribuenda: hoc genere legum fundos populos fieri non solere: Cn. Pompeium de consily sententia ciuitatem huic dedisse: nullum populi nostri iussum Gaditanos habere. itaq; vt nihil esse sacrosanctum: quod lege exceptum videretur, si esset: tamen in fœdere nihil esse cautum præter pacem. Additum etiam esse illud: vt maiestatem illi nostrã seruare deberent. quæ certe minueretur: si aut adiutoribus illorum ciuibus vti in bellis nobis non liceret: aut præmy tribuendi potestatem nullã haberemus. Nunc vero quid ego contra Gaditanos loquor? cum id, quod defendo, voluntate eorum, authoritate, legatione ipsa comprobetur? qui à principio sui generis ac Reip. ab omni studio sensuq; Pœnorum mentes suas ad nostrum imperiũ nomenq; flexerunt. quos, cum maxima bella nobis inferentur: mœnibus excluserunt: classibus insecuti sunt: corporibus, copys, opibus depulerunt: qui & veterem illam speciem fœderis Martiani: semper omni sanctiorem Marte duxerunt: & hoc fœdere Catuli Senatusq; authoritate se nobiscum coniunctissimos esse arbitratis sunt: quorum mœnia, delubra, agros, vt ipse Hercules itinerum ac laborum suorum, sic maiores nostri imperij ac nominis populi Romani terminos esse voluerunt. Testantur & mortuos nostros imperatores, quorum viuit immortalis memoria & gloria: Scipiones, Brutos, Horatios, Cassios, Metellos, & hunc præsentem Cn. Pompeium: quem procul ab eorum mœnibus, acre & magnum bellum gerentem, commeatu pecuniaq; iuuerunt. & hoc tempore ipso populum Ro. quem in caritate annonæ, vt sæpe ante fecerant, frumento suppeditato leuauerunt: se hoc ius esse velle: vt sibi & liberis, siqui eximia virtute fuerint, siue in nostris castris, siue in imperatorum prætorys, siue deniq; inter signa atq; in acie locus sit his gradibus ascensus etiam ad ciuitatem. Quod si Afris, si Sardis, si Hispanis agris stipendioq; militatis virtute adipisci licet ciuitatem: Gaditanis autem officijs, vetustate, fide, periculis, fœdere coniunctis, hoc idem non licebit: non fœdus sibi nobiscum, sed iniquissimas leges impositas à nobis esse arbitrabuntur. Atq; hanc Iud. non à me fingi orationem: sed me dicere quæ Gaditani iudicarint, res ipsa declarat. hospitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice dico: proferam testes: proferam legatos:

legatos: excitabo laudatores. ad hoc iudicium summos homines, ac nobilissimos deprecatores huius periculi missos videtis. re deniq; multo ante Gadibus iam audita, fore huic vt ab illo periculum crearetur: grauissima tum in istum ciuem suum Gaditani Senatus cõsulta fecerunt. Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri? (quoniam hoc magnopere delectare verbo) si tum sit fundus: cum scita ac iussa nostra sua sententia comprobat, quam cum hospitium fecit? vt & ciuitate illum mutatũ esse fateretur: & ius ciuitatis honorem dignissimum iudicaret. potuit certius interponere iudicium voluntatis suæ? quam cum etiam accusatorem huius mulcta & pœna mulctauit? potuit magis de re iudicare? quàm cum ad vestrum iudicium ciues amplissimos legauit testes huius iuris, vitæ laudatores, periculi deprecatores? etenim quis est tam demens: quin sentiat ius hoc Gaditanis esse retinendum? ne interseptum sit his iter perpetuum ad hoc amplissimum præmium ciuitatis: & magnopere his esse lætandum: huius L. Cornely beneuolentiam erga suos remanere Gadibus: gratiam & facultatem cõmendandi in hac ciuitate versari? quis enim nostrum est? cui nõ illa ciuitas sit huius studio, cura, diligentia, commendatior? Omitto quantis ornamẽtis populum istũ C. Cæsar, cum esset in Hispania Prætor, affecerit: controuersias sedarit: iura ipsorum permissu statuerit: inueteratam quandam barbariem ex Gaditanorum moribus disciplinaq; delerit: summa in eam ciuitatem huius rogatu studia & beneficia contulerit. multa prætereo, quæ quotidie labore huius & studio aut omnino aut certe facilius consequantur. Itaq; & ad sunt principes ciuitatis: & defendunt, amore vt suum ciuem,



ciuem, testimonio vt nostrum, officio vt nobilissimum & sanctissimum hospitem, studio vt diligentissimum defensorem commodorum suorum. Ac ne ipsi Gaditani arbitrentur: quanquam nullo incommodo afficiantur si liceat horum ciues virtutis causa in nostram ciuitatem venire: tamen hoc ipso inferius esse suum fœdus quàm cæterorum: consolabor & hos præsentes viros optimos, & illam fidelissimam atq; amicissimam nobis ciuitatem: simul & vos non ignorantes Iud. admonebo: quo de iure hoc iudicium constitutum sit: de eo nunquã omnino esse dubitatum. Quos igitur prudentissimos interpretes fœderum, quos peritissimos bellici iuris, quos diligentissimos in exquirendis conditionibus ciuitatum atq; causis esse arbitramur? eos profecto qui iam imperia ac bella gesserunt. etenim si Q. Scæuola ille augur, cum de iure prædiatorio consuleretur: homo iuris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium & Casellium prædiatores reyciebat: si non de aqua nostra Thusculana M. Tugionem potius, quam C. Aquilium consulebamus: quod assiduus usus vni rei dat vim & ingenium & artem sæpe vincit: quis dubitaret de fœderibus & de toto iure pacis & belli omnibus iuris peritissimis imperatores nostros anteferre? possumus ne igitur tibi probare authorem exempli atq; facti illius, quod à te reprehenditur, C. Marium? quæris aliquem grauiorem? constantiorem? præstantiorem virtute prudentia, religione, æquitate. is igitur M. Annium Appium fortissimum virum, virtute præditum ciuitatem donauit: cum Camertinum fœdus sanctissimum, atq; æquissimũ sciret esse. potest igitur Iudices L. Cornelius condemnari? vt non C. Marij factum condemnetur.

Existat

Existat ergo ille vir parumper cogitatione vestra: quoniam re non potest: vt conspiciatis cum mentibus: quem oculis non potestis. dicat se non imperitum fœderis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuisse, P. Africani discipulum, ac militem: se stipendijs, se legationibus bellicis eruditum: se si tanta bella legisset, quanta bella & gessit: & confecit: si tot consulibus meruisset: quotiens ipse consul fuisset: omnia iura belli perdiscere, ac nosse potuisse. sibi non fuisse dubium, quin nullo fœdere à Repub. bene gerenda impediretur: à se ex coniunctissima atq; amicissima ciuitate fortissimũ quenq; esse delectum: neq; Fulginatiũ, neq; Camertium fœdere esse exceptum: quominus eorum ciuibus à populo Ro. præmia virtutis tribuerentur. Itaq; cum paucis annis post hanc ciuitatis donationem acerrima de ciuitate quæstio Licinia & Mutia lege venisset: nunquis eorum qui de fœderatis ciuitatibus esset ciuitate donatus, in iudicium est vocatus? nã Spoletinus T. Macrinus vnus ex ijs, quos C. Marius ciuitate donasset: dixit causam ex Colonia Latina inprimis firma & illustri. quem cũ disertus homo L. Antistius accusaret: Spoletinus dixit fundum populum Spoletinum non esse factum. videbat enim populos de suo iure, non de nostro fundos fieri solere. sed cum lege Apuleia Coloniæ non essent deductæ: qua lege Saturninus C. Mario tulerat: vt in singulas colonias ternos ciues Romanos facere posset. negabat hoc beneficium re ipsa sublata valere debere. nihil habet similitudinis ista accusatio. sed tamen tanta authoritas in C. Mario fuit: vt non per L. Crassum affinem suum hominem incredibili eloquentia, sed paucis ipse verbis causam illam grauitate sua defenderit & probarit. quis enim esset Iudices, qui imperatoribus nostris in bello, in acie, in exercitu, delectum virtutis, qui socijs, q fœderatis, in defendenda Repub. nostra spẽ præmiorum eripi vellet? Quod si vultus C. Marij, si vox, si ille imperatorius ardor oculorũ, si recentes triumphi, si præsens valuit aspectus: valeat authoritas: valeant res gestæ: valeat memoria: valeat fortissimi & clarissimi viri nomen æternũ. sit hoc discrimen inter gratiosos: ciues, atq; fortes: vt illi viui fruantur opibus suis: horum etiã mortuorum, si quisquã huius imperij defensor mori potest: viuat authoritas immortalis. quid? Cn. Pompeius pater rebus Italico bello maximis gestis, P. Cesium Equitẽ Romanũ virum bonum, qui viuit Rauennæ: fœderato ex populo, nónne ciuitate donauit? qd? cohorteis duas Camertiũ, quid? Heraclienſium legionẽ, P. Crassus vir amplissimus ex ea ciuitate, qua cũ propè singula fœdus, Pyrrhi temporibus, C. Fabritio consule ictum putatur: quid? Massilienſem Aristonem Sylla: quid? quoniã de Gaditanis agimus: idẽ Prætor LX Gaditanos: quid? vir sanctissimus & summa religione ac modestia Q. Metellus Pius Q. Fabiũ Saguntinũ: quid? hic q adest: à quo hæc, quæ ego nũc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita: M. Crassus, nõ Aletrinenſem fœderatũ ciuitate donauit, homo tũ grauitate & prudentia præstans: tum vel nimiũ parcus in largienda ciuitate: hic tu Cn. Pompeij beneficiũ vel potius iudiciũ & factum infirmare conaris: qui fecit quod C. Mariũ fecisse audierat: fecit quod P. Crassum, quod L. Syllam, quod Q. Metellum, quod deniq; domesticũ authorẽ patrem suum facere viderat? neq; vero in vno Cornelio id fuit: nã & Gaditanũ Hasdrubalẽ ex bello illo Africa-

no, & Mamertinos obuios, & quosdã Vticenses & Saguntinos fabros ciuitate donauit. etenim cum cæteris præmys digni sunt: qui suo labore & periculo nostram Rempub. defendunt: tum certe dignissimi sunt, qui ciuitate ea donentur: pro qua pericula ac tela subierũt. Atque vtinã qui vbiq; sunt propugnatores huius imperij, possent in hanc ciuitatem venire: & contra, oppugnatores Reip. de ciuitate exterminari. neq; ille summus Poeta noster, Annibalis illam magis cohortationem, quàm cõmunem imperatorum voluit esse: hostẽ qui feriet mihi erit inquit Carthaginẽsis: quisquis erit * ciuitatis: & si id habent hoc leue & semper habuerũt. Itaq; & ciueis fortissimos vndiq; fortes viros adsciuerunt: & hominũ ignobilium virtutẽ persæpe nobilitatis inertiæ prætulerunt. Habetis imperatorum summorũ, & sapientissimorum hominum, clarissimorum virorum, interpretationem iuris ac fœderum. Dabo etiã iudicum: qui huic quæstioni præfuerunt: dabo vniuersi populi Ro. dabo sanctissimũ etiã iudicium senatus. Iudices cũ præse ferrent, palamq; loquerentur: quid essent lege Papia de M. Crasso Mamertinis repetentibus iudicaturi. Mamertini publice susceptã causã destiterunt. multi in ciuitatem recepti ex liberis fœderatisq; populis: nemo vnquã est de ciuitate accusatus: quod aut populus fundus factus non esset: aut quod fœdere ciuitatis mutandæ ius impediretur. audebo etiã hoc contendere: nunquã esse condemnatum. quẽ constaret ab imperatore nostro ciuitate donatum. Cognoscite nunc populi Ro. iudicium multis rebus interpositũ, atq; in maximis causis re ipsa atq; vsu comprobatum. Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio, Posthumio Cominio Coñs. quis ignorat? quod quidẽ



ẽ nuper in columna ænea meminimus post rostra incisum & perscriptũ fuisse. quomodo igitur L. Cossinius Tyburs, pater huius Equitis Ro. optimi atq; ornatissimi viri damnato Cælio: quomodo ex eadẽ ciuitate T. Coponius ciuis itẽ summa virtute & dignitate (nepotes T. & C. Coponios nostis) damnato C. Massone ciuis Rom. est factus? an lingua & ingenio patefieri aditus ad ciuitatem potuit? manu, & virtute non potuit? An ne de nobis trahere spolia fœderatis licebit? de hostibus non licebit? an quod adipisci poterãt dicendo: id assequi pugnando nõ liceat? an accusatori maiores nostri maiora præmia, quàm bellatori esse voluerunt? quod si acerbissima lege Seruilia principes viri, ac grauissimi, & sapientissimi ciueis, hanc Latinis, id est fœderatis, viã ad ciuitatẽ populi iussu patere passi sunt: neq; in his est hoc reprehensum Licinia & Mutia lege: cum præsertim genus ipsum accusationis & nomen, eiusmodi præmium, quod nemo assequi posset, nisi ex senatoris calamitate: neq; Senatori, neq; bono cuiquam nimis iucundũ esse posset: dubitandum fuit? quin quo in genere, iudiciorum præmia lata essent: in eodem iudicia imperatorum valerent? num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur, aut Seruilia lege, aut cæteris? quibus latinis hominibus erat propositum aliqua ex re præmium ciuitatis? Cognoscite nunc iudicium Senatus: quod semper est iudicio populi comprobatum. Sacra Cereris Iudices summa maiores nostri religione confici cerimoniaq; voluerunt. quæ cũ essent assumpta de Græcia: & per Græcas semper curata sunt sacerdotes: & Græca omnia nominata: sed cum illã quæ Græcũ illud sacrum monstraret, & faceret, ex Græcis deligerent: tamẽ sacra pro ciuibus ciuẽ facere volue-

runt: vt deos immortales scientia peregrina, & externa, mẽte domestica & ciuili precarentur. has sacerdotes video ferè aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse fœderatarũ sine dubio ciuitatũ. mitto vetera. proxima dico. ante ciuitatẽ Velienſibus datam, de Senatus sententia C. Valerĩ Flaccũ Prætorẽ vrbanũ nominatim ad populũ de Calliphana Velienſe, vt ea ciuis Romana esset, tulisset. nũ igitur aut fundos factos Velienses, aut sacerdotẽ illã ciuẽ Ro. factã nõ esse, aut fœdus & à senatu & à populo Ro. violatũ arbitrabimur? Intelligo Iud. in causa aperta, minimeq; dubia, multo & plura, & à pluribus peritissimis esse dicta, quàm res postularet. sed id factũ est: nõ vt vobis rem tã perspicuã dicendo probaremus: verũ vt omniũ maleuolorum, iniquorũ, inuidorũ animos frangeremus: quos aut accusator incenderet: vt aliqui sermones hominũ alienis bonis mœrentium etiã ad vestras aures permanarent: & in iudicio ipso redundarent: iccirco illa in omni parte orationis sua arte aspergi videbatis: tũ pecuniã L. Cornelij, quæ neq; inuidiosa est: & quanta cunq; est, eiusmodi est: vt conseruata magis, quàm corrupta esse videatur: tũ luxuriã, quæ nõ crimine aliquo libidinis, sed cõmuni maledicto notabatur: tum Thusculanum, quod Q. Metelli fuisse meminerat: & L. Crassi. Crassum emisse de libertino homine Soterico Martio, ad Metellũ peruenisse, de Venonij Vindicy bonis nõ tenebat? simul illud nesciebat: prædiorũ nullã esse gentẽ: emptionibus ea solere sæpe ad alienos homines, sæpe ad infimos, non legibus tanquã tutelas peruenire. Obiectũ est etiã quod in Tribum Crustuminã peruenerit: quod hic assecutus est legis de ambitu præmio minus inuidioso, quàm qui legum præmijs Prætoriam sententiam, & prætextam togam consequuntur, & adoptio Theophanis agitata est: per quam Cornelius nihil est præterquã propinquorũ suorum hæreditates assecutus. quanquã istorum animos qui ipsi Cornelio inuident: non est difficillimum mitigare: more hominũ inuident: in cõuiuijs, rident: in circulis iccirco vellicant: non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt. qui amicis L. Cornely aut inimici sunt, aut inuident: hi sunt huic multo vehementius pertimescendi. nã huic quidem ipsi quis est vnquã inuentus inimicus? aut quis iure esse potuit? quẽ bonum non coluit? cuius fortunæ dignitatiq; non cessit? versatus in intima familiaritate hominis potentissimi in maximis nostris malis atq; discordijs, neminem vnquã alterius rationis, ac partis, non re, non verbo, non vultu deuia offendit. fuit hoc siue meum, siue Reip. fatum: vt in me omnis illa inclinatio cõmunium temporum incumberet. non modo nõ exultauit in ruinis nostris vestrisq; discordijs Cornelius: sed omni officio, lachrymis, opera, consolatione, omneis me absente meos subleuauit. quorũ ego testimonio ac precibus, munus hoc meritũ huic, & vt à principio dixi, iustã & debitã gratiã refero. speroq; Iud. vt eos, qui principes fuerunt conseruandæ salutis aut dignitatis meæ, diligatis, & charos habeatis: sic quæ ab hoc pro facultate huius, pro loco facta sunt: & grata esse vobis, & probata. non igitur à suis, quos nullos habet: sed à suorum, qui & multi & potentes sunt, vrgetur inimicis. quos quidem hesterno die Cn. Pompeius copiosa oratione, & graui secum si vellent, contendere iubebat: ab hoc improbo certamine, atq; iniusta contentione reuocabat. Et erat æqua lex & vobis Iudices, atq; omnibus qui nostris familiaritatibus implicantur: ve-

hementer vtilis, vt nostras inimicitias ipsi inter nos geramus: amicis nostrorum inimicorum temperemus. Ac si mea authoritas satis apud illos in hac re ponderis haberet: cum me præsertim rerum varietate atq; vsu ipso iam perdoctum viderent: etiã ab illis eos maioribus discordijs auocarem. id enim cõtendere mecũ de Republica cũ id defendas, quod esse optimũ sentias: & fortium virorum & magnorum hominum semper putaui: neq; huic vnquam labori, officio, muneri defui. sed contentio tam diu sapiens est: quam diu aut proficit aliquid: aut si non proficit, non obest ciuitati, volnimus quædã: contendimus, experti sumus: obtenta non sunt: dolorẽ aly, nos luctum, mœroremq; suscepimus: cur ea quæ mutare nõ possumus conuellere malumus, quàm tueri? C. Cæsarẽ Senatus & genere supplicationum amplissimo ornauit, & numero dierum nouem. Idem in angustijs ærarij victorem exercitum stipendio affecit: Imperatori decẽ legatos decreuit: lege Sempronia succedendũ non censuit. harum ego sententiarũ et princeps & author fui: neq; me dissensioni meæ pristinæ putaui potius asscitiri, quàm præsentibus Reipublicæ temporibus & concordiæ conuenire. non idem alys videtur, sunt fortasse in sententia firmiores: reprehendo neminẽ. sed assentior nõ omnibus, neque esse inconstantis puto, sententiã aliquam, tanquam aliquod nauigium atq; cursum ex Reipub. tempestate moderari. sed si qui sunt, quibus infinitum sit odium: in quo semel susceptum sit: quos video esse nonnullos: cũ ducibus ipsis, non cum comitatu, assectatoribusq; confligant. illa enim fortasse pertinaciam nonnulli, virtutẽ aly putabunt: hanc vero iniquitatem omnes, cũ aliqua crudelitate coniunctam. Sed si certorum hominum



mentes nulla ratione placare possumus Iudices: vestros quidem animos certe confidimus nõ oratione nostra: sed humanitate vestra esse placatos. quid enim est, cur non potius ad summã laudem huic, quàm ad minimã fraudem Cæsaris familiaritas valere debeat? cognouit adolescens: placuit homini prudentissimo: in summa amicorũ copia cũ familiarissimis eius est adæquatus: in Prætura, in Consulatu præfectũ fabrûm detulit: consilium hominis probauit: fidem eius est cõplexus: officia, obseruantiamq; dilexit. fuit hic multorũ illi laborum socius aliquando: est fortasse nunc nonnullorum particeps commodorum. quæ quidẽ si huic obfuerint apud vos: non intelligo, quod bonum cuiquam sit apud tales viros profuturum. Sed quoniam C. Cæsar abest longissime: atq; in his est nunc locis: quæ regiones orbem terrarũ rebus illius gestis imperium populi Ro. definiunt: nolite per deos immortales Iudices hunc illi acerbum nuncium velle deferri: vt suum præfectum fabrûm, vt hominẽ sibi charissimum, & familiarissimum, non ob ipsius aliquod delictum, sed ob suam familiaritatem vestris oppressum sententijs audiat. misereminí eius, qui nõ de suo peccato, sed huius summi & clarissimi viri facto, non de aliquo crimine, sed periculo suo de publico iure disceptat: quod ius si Cn. Pompeius pater ignorauit: si M. Crassus, si Q. Metellus, si Cn. Pompeius, si L. Sylla, si L. Crassus, si C. Marius, si Senatus, si pop. Rom. si qui de re simili iudicarunt: si fœderati populi, si socij, si illi antiqui Latini: videte ne vtilius vobis & honestius sit, illis ducibus errare, quàm hoc magistro erudiri. sed si de certo, de perspicuo, de vtili, de probato, de iudicato vobis iure esse constituendum videtis: nolite committere vt

in re tam inueterata quicquam noui sentiatis. Simul et illa Iud. omnia ante oculos vestros proponite. primum esse omnes etiam post mortē reos clarissimos illos viros: qui fœderatos ciuitate donarunt. deinde Senatum: qui persæpe hoc iudicauit: populum, qui iussit: iudices, qui approbarunt. tum etiam illud cogitatote: sic viuere ac vixisse Cornelium: vt cum omnium peccatorū quæstiones sint: non de vitiorum suorum pœna, sed de virtutis præmio in iudicium vocetur. accedat etiam illud: vt statuatis hoc iudicio, vtrum posthac amicitias clarorum virorum calamitati hominibus an ornamento esse malitis. postremo illud Iud. fixum in animis vestris tenetote: vos in hac causa non de maleficio L. Cornelij, sed de beneficio Cn. Pompeij iudicaturos.

DE



# DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS. ORATIO XXXVII.

SI quis vestrum P. C. expectat, quas sim prouincias decreturus: consideret ipse secum, qui mihi homines ex prouincys potissimum detrahendi sint: non dubitabit, quid me sentire conueniat: cum quid mihi sentire necesse sit, cogitarit. Ac si princeps eam sententiam dicerem, laudaretis profecto: si solus, certe ignosceretis: etiam si paulo minus vtilis vobis sententia videretur: veniā tamen aliquam dolori meo tribueretis. nunc vero P. C. non parua afficior voluptate: vel quod hoc maxime Reip. conducit, Syriam Macedoniamq; decerni: vt dolor meus nihil à communi vtilitate dissentiat: vel quod habeo authorem P. Seruilium, qui ante me sententiam dixit: virum clarissimum, & cum in vniuersam Remp. tum etiam erga meam salutem fide ac beneuolentia singulari. quod si ille & paulo ante, & quotiens cunq; ei locus dicendi ac potestas fuit: Gabinium & Pisonem duo Reip. portenta, ac penè funera, tum propter alias causas, tum maxime propter illud insigne scelus eorum, et importunam in me crudelitatem, non solum sententia sua, sed etiam verborum grauitate esse notandos putauit: quonam me animo esse oportet in eos: cuius illi salutem pro pignore tradiderunt ad explendas suas cupiditates? Sed ego in hac sententia dicenda non parebo dolori meo: non iracundiæ seruiam. quo animo vnusquisq; vestrum debet esse in illos, hoc ero. præcipuum illum & proprium sensum dolo-

ris mei, quem tamen vos communem semper vobis mecum esse duxistis: à sententia dicenda amouebo: ad vlciscendi tempora reseruabo. Quatuor sunt prouinciæ P. C. de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas: Galliæ duæ: quas hoc tempore vno imperio videmus esse coniunctas: & Syria, & Macedonia: quas vobis inuitis, & oppressis, pestiferi illi Consules pro euersæ Reip. præmijs occupauerunt. decernendæ nobis sunt lege Sempronia duæ. quid est, quod possimus de Syria Macedoniaq; dubitare? mitto, quod eas ita partas habent ij, qui nunc obtinent: vt non ante attigerint, quàm hunc ordinem condemnarint: quàm authoritatem vestram è ciuitate exterminarint: quàm fidem publicam, quàm perpetuam populi Ro. salutem: quàm me, ac meos omnes fœdissime crudelissimeq; vexarint. omnia illa domestica atq; vrbana mitto: quæ tanta sunt, vt nunquam Annibal huic vrbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint. ad ipsas venio prouincias. quarum Macedonia, quæ erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, sed trophæis: quæ multis victoriis erat iamdiu triumphisq; parata: sic à Barbaris, quibus est propter auariciam pax erepta, vexatur: vt Thessalonicenses positi in gremio impery nostri relinquere oppidum, & arcem munire cogantur: vt via illa nostra, quæ per Macedoniam est vsq; ad Hellespontum militaris: non solum excursionibus Barbarorum sit infesta: sed etiam castris Thracijs distincta, ac notata. Ita gentes hæ, quæ vt pace vterentur: vim argenti dederant præclaro Imperatori nostro: vt exhaustas domos replere possent: pro empta pace bellum nobis propè iustum intulerunt. Iam vero exercitus ille noster superbissimo

Empta pax.



bissimo delectu, & durissima conquisitione collectus, omnis interijt. magno hæc dico cum dolore: miserandum in modum milites populi Ro. capti, necati, deserti, dissipati sunt: incuria fame, morbo, vastitate consumpti: vt, quod est indignissimum scelus, is Imperator in pœnã exercitus expetitus esse videatur. Atq; hanc Macedoniam domitis iam gentibus finitimis, Barbariaq; compressa pacatam ipsam per se, & quietam, tenui præsidio, atq; exigua manu, etiam sine imperio, per legatos nomine ipsius populi Ro. tuebamur: quæ nunc Consulari imperio, atq; exercitu ita vexata est: vt vix possit se diuturna pace recreare. cum interea quis vestrum hoc non audiuit? quis ignorat? Achæos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis? vectigal ac portorium Dyrrhachinorũ totum in huius vnius quæstum esse conuersum? vrbem Byzantiorum vobis atq; huic Imperio fidelissimam, hostilem in modum esse vexatam? quo ille, postquam nihil exprimere ab egentibus, nihil vlla vi à miseris extorquere potuit: cohortes in hyberna misit. his præposuit quos putauit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum. omitto iurisdictionem in libera ciuitate contra leges, Senatusq; consulta: cædes relinquo: libidines prætereo: quarum acerbissimum extat indicium, & ad insignem memoriam turpitudinis, & penè ad iustum impery nostri odium: quod constat nobilissimas virgines se in puteos abiecisse: & morte voluntaria nefariã turpitudinem depulisse. Nec hæc iccirco omitto: quod non grauissima sint: sed quia nunc sine teste dico. Ipsam vero vrbem Byzantiorum fuisse refertissimam, atq; ornatissimam signis, quis ignorat? quæ illi exhausti sumptibus, bellisq;

bellisq3 maximis, cũ Mithridaticos impetus, totumq3 Pontum armatum efferuescentẽ in Asiam, atq3 erumpentem ægre repulsum, & ceruicibus intercluſum ſuis ſuſtinerent: tum inquam Byzantij, & poſtea ſigna illa, & reliqua vrbis ornamenta ſanctiſſime cuſtodita tenuerunt. te Imperatore infeliciſſimo & teterrimo Ceſonine Caluenti ciuitas libera, & proximis ſuis beneficijs à Senatu, & à populo Rom. liberata: ſic ſpoliata atq3 nudata eſt: vt niſi C. Virginius legatus vir fortis & innocens interueniſſet: vnum ſignum Byzantij ex maximo numero nullum haberent. quod fanum in Achaia? qui locus aut lucus in Græcia tota, tam ſanctus fuit? in quo vllum ſimulacrum, vllũ ornamentum reliquũ ſit? emiſti à fœdiſſimo tribuno plebis tum in illo naufragio huius vrbis: cum tu idem, qui gubernare debueras, euerteres: tum inquam emiſti grandi pecunia, vt tibi de pecunijs creditis dicere liceret ius in liberos populos contra ſenatus conſultũ, & contra legem generi tui. Id emptũ ita vendidiſti: vt aut ius non diceres: aut bonos ciues Romanos euerteres. quorum ego nihil dico nunc Patres Conſcripti. hominẽ ipſum relinquo: de prouincia diſputo. itaq3 omnia illa, quæ & ſæpe audiſtis, & tenetis animis, etiam ſi non audiatis, prætermitto: nihil de hac eius vrbana, quã ille præſens in oculis veſtris mentibusq3 defixit, audacia loquor: nihil de ſuperbia, nihil de contumelia. nihil de crudelitate diſputo: latent libidines eius illa tenebricoſæ: quas fronte, & ſupercilio, non pudore & temperantia contegebat. de prouincia quod agitur, id diſputo. huic vos non ſummittetis? hunc diutius manere patiemini? cuius vt prouinciam tetigit: ſic fortuna cum improbitate certauit: vt nemo poſſet vtrum deterior



rior an infelicior eſſet iudicare. An vero in Syria diutius eſt Semiramis illa retinenda? cuius iter in Prouinciam fuit eiuſmodi: vt Rex Arriobarzanes conſulem verum ad cædem faciendam, tanquam aliquem Thracem conduceret. deinde aduentus in Syriã primus, equitatus habuit interitum. poſt conciſæ ſunt optimæ cohortes. Igitur in Syria Imperatore illo, nihil aliud actum eſt: niſi pactiones pecuniarum cum Tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes, cum palàm populi Ro. Imperator inſtructo exercitu dexteram tendens, nõ ad laudem milites hortaretur: ſed omnia ſibi & empta & emenda eſſe clamaret. Iam vero Publicanos miſeros, me etiam miſerum, illorũ ita de me meritorum miſeriis ac dolore, tradidit in ſeruitutem Iudæis, & Syris nationibus natis ſeruituti. ſtatuit ab initio, & in eo perſeuerauit: ius Publicano non dicere: pactiones ſine vlla iniuria factas reſcidit: cuſtodias ſuſtulit: vectigales multos ac ſtipendiarios liberauit: quo in oppido ipſe eſſet: aut quo veniret: ibi Publicanum, aut Publicani ſeruum eſſe vetuit. quid multa? crudelis haberetur: ſi in hoſtem animo fuiſſet eo: quo fuit in ciues Romanos, eius ordinis præſertim, qui eſt ſemper dignitate ſua, benignitate magiſtratus ſuſtentatus. Itaq3 videtis P.C. non temeritate redemptionis, aut negocij gerendi inſcitia, ſed auaricia, ſuperbia, crudelitate Gabinij, penè afflictos iã, atq3 euerſos publicanos. quibus quidem vos, in his angustijs erarij tamen ſubueniatis neceſſe eſt: & ſi iã multum poteſtis, qui propter illum hoſtem Senatus, iniuriſſimum ordinis equeſtris, bonorumq3 omnium, nõ ſolum bona, ſed etiam honeſtatem miſeri deperdiderunt. quos non parſimonia, non continentia, non virtus,

non

non labor, non splendor tueri potuit contra illius helluonis & prædonis audaciam. quid? qui se etiã nunc sub sidys patrimony, aut amicorum liberalitate sustentant: hos perire patiemini? an, si qui frui publico non potuit per hostem: hic tegitur ipsã lege Censoria. quem is frui non sinit, qui est, etiam si non appellatur, hostis: huic ferri auxilium non oportet? Retinete igitur in prouincia diutius eum qui de socys cum hostibus, de ciuibus cum socys faciat pactiones: qui hoc etiã se pluris esse quã Collegã putet: quod ille vos tristitia vultuq; deceperit: ipse nunquã se minus quã erat, nequam esse simularit. Piso autem alio quodã modo gloriatur: se breui tempore perfecisse: ne Gabinius vnus omniũ nequissimus existimaretur. hos vos de prouincys, si non aliquando deducendi essent: diripiendos non putaretis? & has publicas pestes sociorũ, militum clades, publicanorum ruinas, prouinciarum vastitates, imperij maculas teneretis? Anydem vos anno superiore hos eosdem reuocabatis: cũ in prouincias iam peruenissent. quo tempore si liberum vestrũ iudicium fuisset: nec totiens dilata res: nec ad extremum e manibus erepta: restituissetis, id quod cupiebatis, vestrã authoritatem: his, per quos erat amissa, reuocatis, & his ipsis præmijs extortis, quæ erant pro scelere, atq; euersione patriæ consecuti. Quam pœnam si tum aliorum opibus, non suis, inuitissimis vobis euolarunt: at aliam multo maiorẽ grauioremq; subierunt. quæ enim homini, in quo aliquis si non famæ pudor, at supplicij timor est, grauior pœna accidere potuit? quàm non credi literis vys: quæ Rempublicã bene gestã in bello nunciarent? hoc statuit Senatus, cũ frequens supplicationẽ Gabinio denegauit: primum, homini sceleribus flagitijs contaminatissimo,



nihil esse credendum: deinde à proditore, atq; eo, quem præsentem hostem Reip. cognosset: bene res geri non potuisse: postremo ne deos quidem immortales velle aperiri sua templa, & sibi supplicari, hominis impurissimi, & sceleratissimi nomine. Itaq; ille alter aut ipse est homo doctus: & à suis Græcis subtilius eruditus: quibus cum iam in orchestra beluatur: antea, post siparium solebat: aut amicos habet prudentiores quam Gabinius: cuius nullæ literæ proferuntur. Hosce igitur Imperatores habebimus? quorũ alter non audet nos certiores facere: vt Imperator appelletur. alterum, si tabellary nõ cessarint: necesse est paucis diebus pœniteat audere. cuius amici si qui sunt, aut si belluæ tam immani, tamq; tetræ possunt vlli esse amici, hac cõsolatione vtuntur: etiã T. Albutio supplicationem hunc ordinem denegasse. quod est primum dissimile: res in Sardinia cum Mastrucatis latrunculis à Proprætore vna cohorte auxiliaria gesta: & bellum cum maximis Syriæ gentibus, Tyrannis, Consulari exercitu imperioq; confectũ. deinde Albutius quod à Senatu petebat, ipse sibi in Sardinia ante decreuerat. constabat enim Græcum hominem ac leuem in ipsa prouincia quasi triumphasse. itaq; hanc eius temeritatem Senatus supplicatione denegata notauit. sed fruatur sanè hoc solatio, atq; hanc ingnem ignominiam, quoniam vni præter se inusta est: putet esse leuiorem: dummodo, cuius exemplo se consolatur: eius exitum expectet, præsertim cum in Albutio nec Pisonis libidines, nec audacia Gabinij fuerit: hac tamen vna plaga conciderit, ignominia Senatus. At qui duas Gallias decernit Consulibus duobus: hos retinet ambos. qui autem alteram Galliam, et aut Syriam, aut Macedoniam:

Macedoniam: tamen alterum retinet: & in vtriusq; pari scelere disparem conditionem facit. Faciam inquit illas Prætorias: vt Pisoni & Gabinio succedatur statim. si hic sinat: tũ enim Tribunus intercedere poterit: nunc non potest. itaq; ego idem, qui nunc Consulibus ys, qui designati erunt, Syriam, Macedoniamq; decerno: decernam easdem Prætorias: & vt Prætores annuas prouincias habeant: & eos quamprimum videamus, quos animo æquo videre non possumus. sed mihi credite: nunquã succedetur illis: nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouincijs non licebit. Itaq; hoc tempore amisso, annus est integer vobis expectãdus. quo interiecto ciuũ calamitas, sociorum ærumna, sceleratissimorũ hominũ impunitas propagatur. Quod si essent illi optimi viri: tamen ego mea sententia C. Cæsari succedendum nondum putarem. Qua de re dicam P.C. quod sentio: atq; illam interpellationẽ mei familiarissimi, qua paulo ante interrupta est oratio mea, non pertimescã. Negat me vir optimus inimiciorem Gabinio debere esse qua Cæsari. omnẽ enim illam tempestatem, cui cesserim: Cæsare impulsore, atq; adiutore esse excitatã. cui si primum sic respondeã: me communis vtilitatis habere rationem, non doloris mei: possim ne probare? cũ id me facere dicã: quod exemplo fortissimorum & clarissimorum ciuium facere possim. an Tyb. Gracchus, patrem dico, cuius vtinã filij nõ degenerassent à grauitate paterna: tantam laudem est adeptus? quod Tribunus pl. sõlus ex toto illo collegio, L. Scipioni auxilio fuit inimicissimus & ipsius, & fratris eius Africani: iurauitq; in concione se in gratiam non rediisse: sed alienum sibi videri dignitate imperij:

quo



quo duces essent hostium Scipione triumphante ducti: eadem ipsum duci, qui triumphasset. Quis plenior inimicorũ fuit C. Mario? L. Crassus, M. Scaurus. aly ne inimici? omnes Metelli. at hi non modo illũ inimicum ex Gallia sententijs suis non detrahebant: sed & ppter rationem Gallici belli prouinciã extra ordinem decernebant. Bellum in Gallia maximum gestum est: domitæ sunt à Cæsare maximæ nationes. sed nondũ legibus, nondum iure certo, nondum satis firma pace deuinctæ. bellum affectum videmus: &, vere vt dicã, penè confectum: sedita, vt si idem extremã persequitur, qui incho aut: iam omnia perfecta videamus. si succeditur: periculum sit, ne instauratas maximi belli reliquias, ac renouatas audiamus. Ergo ego Senator, inimicus sitã vultis, homini, amicus esse, sicut semper fui, Reipublicæ debeo. Quid si ipsas inimicitias depono Reipublicæ causa? quis me tandem iure reprehendat? præsertim cum ego omnium meorũ consiliorum, atq; factorum exemplum semper ex summorũ hominum factis mihi censuerim petenda. An nõ M. ille Lepidus qui bis Consul, & Pontifex Maximus fuit: nõ sõlum memoria, & testimonio, sed etiã annalium literis, & summi poëtæ voce laudatus est? quod cum M. Fulnio Collega, quo die censor est factus: homine inimicissimo, in campo statim redijt in gratiam: vt cõmune officium Censuræ communi animo, ac voluntate defenderent. atq; vt vetera, quæ sunt innumerabilia, mittã. tuus pater Philippe, nõ vno tempore cum suis inimicissimis redyt in gratiã? quibus cum omnibus eadẽ Respub. reconciliauit, quæ alienata. multa prætereo, quod intueor coràm hæc lumina atq; ornamenta Reipub. P. Seruilium, & M. Lu-

Prætor.

Excitatio.

Depositio inimicitiæ.

Redire in gratiã.

P. Seruilij & M. Lucullij lumina atq; ornamenta reipub.

kkk

cullum: vtinam etiam L. Lucullus ille viueret. quæ fuerunt inimicitiæ grauiores in ciuitate, quam Luculloriũ atq; Seruilioru? quas in viris fortissimis non sólũ extinxit Reipublicæ dignitas, & ipsorum: sed etiam ad amicitiam consuetudinemq; traduxit. quid? Q. Metellus Nepos, nonne consul in templo Iouis Optimi Maximi permotus cum authoritate vestra, tum illius P. Seruily incredibili grauitate dicendi, absens mecum summo suo beneficio redyt in gratiam? an ego possum huic esse inimicus? cuius literis, fama, nuncys, celebrantur aures quotidie mea nouis nominibus gentium, nationũ, locorum. Ardeo, mihi credite P.C. (id quod vosmet de me existimatis, & facitis ipsi) incredibili quodam amore patriæ. qui me amor, & subuenire olim impendentibus periculis maximis, cum dimicatione capitis, & rursum, cũ omnia tela vndiq; esse intenta in patriã viderem: subire coegit, atq; excipere vniũ pro vniuersis. hic me meus in Rempublicam animus pristinus, ac perennis, cum C. Cæsare reducit, reconciliat, restituit in gratiã. quid volent, deniq; homines existiment: nemini ego esse possum bene de Republica merenti non amicus. Etenim si ijs, qui hæc omnia flamma ac ferro delere voluerunt: no inimicitias solum, sed etiam bellum indixi, atque intuli: cũ partim mihi illorum familiares, partim etiam me defendente capitis iudicys essent liberati: cur eadem Respublica quæ me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non possit? quod mihi odium cum P. Clodio fuit? nisi quod pernicioſum patriæ ciuẽ fore putabam: qui turpissima libidine incensus, duas res sanctissimas, religionem & pudicitiam vno scelere violasset. num est igitur dubiũ ex his rebus, quas is egit, quotidie: quin ego in illo oppugnando, Reipub. plus quàm ocio meo, nonnulli in eodem defendendo suo plus ocio, quàm cõmuni prospexerint? Ego me à C. Cæsare in Republica dissensisse fateor, & sensisse vobiscum. sed nunc ijsdem vobis assentior: cũ quibus antea sentiebam. vos enim, ad quos literas L. Piso de suis rebus non audet mittere: qui Gabiny literas insigni quadam nota, atq; ignominia nona condemnastis: C. Cæsari supplicationes decreuistis, numero, vt nemini vllo ex bello honore, vt omnino nemini. cur igitur expectẽ hominem aliquẽ: qui me cum illo in gratiam reducat? reduxit ordo amplissimus, & ordo is, qui est & publici cõsilij, & meorum omnium consiliorum author & princeps. vos sequor Patres Conscripti: vobis obtempero: vobis assentior: qui quandiu C. Cæsaris consilia in Republica non maxime diligebatis: me quoq; cũ illo minus coniunctum videbatis. posteaquã rebus gestis mentes vestras, voluntatemq; mutastis: me non solum comitem esse sententiæ vestræ, sed etiam laudatorem vidistis. sed quid est? quod in hac causa maxime homines admirentur, & reprehendant meum consilium? cum ego idem antea multa decreuerim: quæ magis ad hominis dignitatem, quàm ad Reipub. necessitatem pertinerent? supplicationem quindecim dierum decreui sententia mea. Reip. satis erat tot dierum: quot C. Mario. non erat exigua eadem dys immortalibus gratulatio, quæ ex maximis bellis. ergo ille cumulus dierũ hominis est dignitati tributus. in quo ego, quo Consule referẽte, primum decem dierum est supplicatio decreta (in. Pompeio, Mithridate interfecto, confectoq; Mithridatico bello: & cuius sententia primum duplicata est suppli-

catio Consularis: mihi enim estis assensi: cũ eius dẽ Pompey literis recitatis, cõfectis omnibus maritimis, terrestribusq; bellis, supplicationẽ dierum duodecim decreuistis: sum Cn. Pompeij virtutem, & animi magnitudinẽ admiratus: quod cum ipse cæteris omnibus esset omni honore antelatus: ampliorem honorem alteri tribuebat quàm ipse erat consecutus. ergo in illa supplicatione, quã ego decreui: res ipsa tributa est dijs immortalibus, & maiorũ institutis, & vtilitati Reipub. sed dignitas verborum, honos, & nouitas, & numerus dierũ, Cæsaris ipsius laudi, & gloriæ concessus est. relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus: non decreui solum: sed etiã vt vos decerneretis, laboraui: multa dissentientibus respondi: scribendo affui: tum quoq; homini plus tribui, quàm nescio cui necessitati. illum enim etiã arbitrabar sine hoc subsidio pecuniæ retinere exercitum præda ante parta, & bellum conficere posse. sed decus illud & ornamentum triumphi, minuendum nostra parsimonia non putaui, actum est de decẽ legatis: quos alij omnino non dabant: alij exempla quærebant: alij tempus differebãt: alij sine vllis verborum ornamentis dabant. in ea quoq; re sic sum locutus: vt omnes intelligerent, me id quod Reip. causa sentirem: facere vberius propter ipsius Cæsaris dignitatem. at ego idem nunc in prouincijs decernẽdis, qui illas omneis res egi silentio, interpellor. cum superioribus causis hominis ornamenta fuerint: in hac mihi nihil aliud, nisi ratio belli, nisi summa vtilitas Reipub. moueat. nam ipse Cæsar quid est, cur in prouincia commorari velit? nisi vt ea quæ per eum affecta sunt: perfecta Reipublicæ tradantur. amœnitas eum credo locorum, vrbium pulchritudo, hominũ, nationumq; illarum



rum humanitas, & lepos, victoriæ cupiditas, finium imperij nostri propagatio, retinet. quid illis terris asperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porrò tot victorijs præstabilius? quid Oceano longius inueniri potest? an reditus in patriam habet aliquam offensionem? vtrum apud populum, à quo missus est? an apud Senatum, à quo ornatus est? an dies auget eius desiderium? an magis obliuionẽ? ac laurea illa magnis periculis parta, amittit longo interuallo viriditatẽ? quare si qui hominem non diligunt: nihil est, quod eum de Prouincia deuocent. ad gloriã deuocant: ad triumphum, ad gratulationem, ad summum honorẽ Senatus, equestris ordinis gratiam, populi charitatẽ. Sed si illa hac tam eximia fortuna propter vtilitatem Reip. frui non properat: vt omnia illa conficiat: quid ego Senator facere debeo? quẽ, etiam si ille aliud vellet: Reipub. consulere oporteret. Ego vero sic intelligo P.C. nos hoc tempore in Prouincijs decernendis perpetuæ pacis oportere habere rationem. nam quis hoc tempore non sentit: omnia alia esse nobis vacua ab omni periculo, atq; etiam ab omni suspicione belli? iam diu mare videmus illud immensum, cuius feruore non solum maritimi tractus, sed vrbes etiam & viæ militares iam tenebantur: virtute Cn. Pompeij sic à Populo Rom. ab Oceano vsq; ad vltimum Pontũ, tanquam vnum aliquem portum tutum, & clausum teneri nationes eas, quæ numero hominum, ac multitudine ipsa poterant in Prouincias nostras redundare: ita ab eodẽ partim recisas, partim repressas: vt Asia, quæ Imperium antea nostrũ terminabat: nunc nouis tribus prouincijs ipsa cingatur. Possum de omni regione, de omni hostiũ genere di-

Gentes.

cere. nulla gens est: quæ non aut ita subacta sit, vt vix extet: aut ita domita, vt quiescat: aut ita pacata, vt victoria nostra imperioq; lætetur. bellum Gallicum Patres Conscripti C. Cæsare Imperatore gestum est: antea tantummodo repulsum. semper illas nationes nostri Imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas putauerunt. ipse ille C. Marius cuius diuina atq; eximia virtus magnis populi Rom. luctibus funeribusq; subuenit: influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit: non ipse ad eorum vrbes sedesq; penetrauit, modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorũ socius C. Pontinus fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum, atq; hac scelerata coniuratione excitatum, prælijs fregit: eosq; domuit, qui lacessierant: & ea victoria contentus, Repub. metu liberata, quieuit. C. Cæsaris longe aliam video fuisse rationem. non enim sibi solum cum ijs, quos iam armatos contra Populũ Romanum videbat, bellandum esse duxit: sed totam Galliã in nostrã ditionẽ esse redigendã. Itaq; cum acerrimis nationibus, & maximis, Germanorũ, & Heluetiorum prælijs felicissime decertauit. cæteras contriuit: cõpulit: domauit: imperio Populi Ro. parere assuefecit: & quas regiones, quasq; gentes nulla nobis antea litere, nulla vox, nulla fama notas fecerat: has noster Imperator, nosterq; exercitus, & pop. Ro. arma peragrarũt. semitũ tantum Galliæ tenebamus antea, P. C. cæteræ partes à gentibus aut inimicis huic imperio, & infidis, aut incognitis, aut certe immanibus, & barbaris, & bellicosis tenebantur. quas nationes nemo vnquã fuit: qui non frangi domariq; cuperet: nemo sapienter de Republi. nostra cogitauit iam inde à principio huius imperij: quin Galliam

Bellum.

Armatum.



Gallia Rom. terribilis.

Italia.

Resistua Dabósiuà patere tra, dice.

iam maxime timendã huic imperio putaret. sed propter eum ac multitudinem gentium illarum, nunquã est ante actum omnibus dimicatum. restitimus semper lacessiti: nunc deniq; est perfectum: vt imperij nostri terrarumq; illarum idem esset extremũ. alpibus Italiam munierat ante natura non sine aliquo diuino numine. nã ille additus Gallorum immanitati multitudiniq; patuisset: nunquã hæc vrbs summo imperio domicilium, ac sedem præbuisset. quæ iã licet considant: nihil est enim vltra illam altitudinem montium vsq; ad Oceanum, quod sit Italiæ pertimescendũ. Sed tamen vna atq; altera essas vel metu, vel spe, vel pœna, vel præmijs, vel armis, vel legibus potest totã Galliam sempiternis vinculis astringere. impolitæ vero res, & acerbæ si erunt rebelle: quanquam sunt abscissæ, tamen efferent se aliquando, & ad recuperandum bellum reuirescent. quare sit meus tutela Gallia: cuius virtuti, fidei, felicitati commendata est. Etenim si fortunæ muneribus amplissimis ornatus, sæpius eius deæ periculum facere nollet: si in patriam, si ad deos penates, si ad eã dignitatem, quã in ciuitate sibi propositam videt: si ad iucundissimos liberos: si ad clarissimum generum, redire properaret: si in Capitolium inuehi victor cum illa insigni laurea gestiret: si denique timeret casum aliquem: qui illi tantum addere iam non potest, quantum auferre: vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, à quo prostrata sunt, confici velle. cum vero ille suæ gloriæ iam pridem, Reipublicæ nondum satisfecerit: & malit tamen tardius ad suorum laborum fructus peruenire: quàm non explere susceptum Reipublicæ mu-

nus: nec Imperatorẽ incensum ad Remp bene gerendã reuocare: nec totã Gallici belli rationem propè iam explicatam perturbare, atq; impedire debemus. Nam illæ sententiæ virorum clarissimorum minime probandæ sunt: quorũ alter vlteriorem Galliam decernit cum Syria: alter citeriorem. qui vlteriorem, omnia illa de quibus disserui paulo ante, perturbat. simul ostendit, eã fscisc̃ere legem: quã esse legem neget: & quæ pars prouinciæ sit, cui non possit intercedi: hanc se auellere: quæ defensorem habeat, non tangere. simul & illud facit: vt quod illi à populo datum sit, id non violet: quod Senatus dederit, id Senator properet auferre. Alter belli Gallici rationem habet: fingitur officio boni Senatoris: legẽ quam non putat, eã quoq; seruat: præfinit enim successori diem. qui mihi nihil videtur minus à dignitate disciplinaq; maiorũ dissidere: quàm vt qui Consul Calendis Ianuarijs habere prouinciã debet: is vt eam desponsam, non decretã habere videatur: fuerit toto in Consulatu sine prouincia, cui fuerit, antequã designatus esset, prouincia decreta. sortietur, an non? nam & non sortiri absurdum est: & quod sortitus sis, non habere. proficiscetur paludatus: quo? quo peruenire ante certam diem non licebit, Ianuario, Februario, prouinciam nõ habebit: Calend. ei deniq; Martijs nascetur repente prouincia. attamen his sententijs Piso in Prouincia permanebit. quæ cum grauia sunt, tum nihil grauius illo: quod mulctari Imperatorẽ diminutione Prouinciæ contumelioſum est. neque enim solum summo in viro: sed etiam in mediocri homine ne accidat, prouidendũ. Ego vos intelligo P. C. multos decreuisse honores eximios C. Cæsari, & ppè singulares: quod ita meritus erat:

Desponſa.

Diminũtio, ne mulcta-rẽ.

gratis



gratis etiam: vt quam coniunctissimus huic ordini esset. Sapientes ac diuini fuistis. neminem vnquam est hic ordo complexus honoribus & beneficijs suis: qui vllam dignitatem præstabiliorem ea, quam per vos esset adeptus, putarit. nemo vnquam hic potuit esse princeps: qui maluerit esse popularis. sed homines aut propter dignitatem suam diffisi ipsi sibi, aut propter reliquorum obtrectationem, ab huius ordinis coniunctione depulsi, sæpe ex hoc portu se in illos fluctus propè necessario contulerunt. qui si ex illa iactatione cursuq; populari bene gesta Rep. referunt aspectum in Curiam, atq; huic amplissimæ dignitati commendati esse volunt: non modo non repellendi sunt, verum etiam expetendi. monemur à fortissimo viro, atq; optimo post hominum memoriam Consule: vt prouideamus ne citerior Gallia nobis inuitis, alicui decernatur: post eos Consules, qui nunc erunt designati: perpetuoq; posthac ab ys, qui hunc ordinem oppugnent: populari ac turbulenta ratione teneatur. Quam ego plagam & si non contemno, P. C. præsertim monitus à sapientissimo Consule, & diligentissimo custode pacis, & ocij: tamen vehementius arbitror pertimescendum: si hominum præclarissimorum ac potentissimorum aut honorem minuero: aut studium erga hunc ordinem repudiaro. nam vt C. Iulius omnibus à Senatu eximijs ac nouis rebus ornatus, per manus hanc Prouinciam tradat ei, cui minime vos velitis: per quem ordinem ipse amplissimam sit gloriam consecutus: ei ne libertatem quidem relinquat: adduci ad suspicandum nullo modo possum. Postremo quo quisq; animo futurus sit, nescio: quid sperem, video. præstare hoc Senator debeo, quantum possum: ne

Aduiſcen-tias.

Curia.

Conſul.

Conſul.



Senator

quis vir clarus aut potens huic ordini iure irasci posse videatur. Atq; hoc, si inimicissimus essem C. Cæsari: sentirem tamen Reip. causa. sed non alienum esse arbitror: quo minus sæpe aut interpeller à nonnullis, aut tacita existimatione reprehendar: explicare breuiter, quæ mihi sit ratio & causa cum Cæsare. Ac primum illud tempus familiaritatis & consuetudinis, quæ mihi cum illo, quæ fratri meo, quæ C. Varroni consobrino nostro ab omnium nostrum adolescentia fuit, prætermitto. posteaquam sum penitus in Remp. ingressus: ita dissensi ab illo: vt in disiunctione sententiæ, coniuncti tamen amicitia maneremus. Consul ille egit eas res, quarum participem me esse voluit: quibus ego si minus assentiebar: tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat. me ille vt Quinqueuiratum acciperem, rogauit: me in tribus sibi coniunctissimis Consularibus esse voluit: mihi legationem quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. quæ ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiæ repudiaui. quam sapienter non disputo. multis enim non probabo. constanter quidem, & fortiter certe. qui cum me firmissimus opibus contra scelus inimicorum munire, & populare eis impetus populari præsidio possem propulsare: quamuis excipere fortunam, subire vim, atq; iniuriam malui: quàm aut à vestris sanctissimis mentibus dissidere: aut de meo statu declinare. sed non is solum gratus debet esse: qui accepit beneficium: verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat: decere me, & conuenire eis rebus, quas gesseram, non putabam. illum quidem amico animo me habere eodē loco quo principem ciuem suum generum sentiebam.

traduxit



traduxit ad plebem inimicum meum, siue iratus mihi, quod me secum ne beneficijs quidem videbat posse coniungi. siue exoratus. ne hoc quidem fuit iniuria. nam postea me vt sibi essem Legatus, non solum suasit: verum etiam rogauit. vt id quidē accepi. non quo alienum meæ dignitate arbitrarer: sed quod tantum Reip. sceleris impendere à Consulibus proximis non suspicabar. Ergo ad hunc magis est mihi verendum, ne mea superbia in illius liberalitate, quàm ne illius iniuria in nostra amicitia reprehendatur. Ecce illa tempestas, caligo bonorum, & subita atq; improuisa formido, tenebræ Reip. ruina atq; incendium ciuitatis. terror iniectus Cæsari de eius actis: metus cædis bonis omnibus: consulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. si non sum adiutus: non debuit. si desertus: sibi fortasse prouidit. si etiam oppugnatus, vt quidam aut putant, aut volunt: violata amicitia est: accepi iniuriam, inimicus esse debui: non nego. sed si idem ille tum me saluum esse voluit: cum vos me vt charissimum filium desiderabatis: & si vos ydem pertinere ad causam illam putabatis, voluntatem C. Cæsaris à salute mea non abhorrere: & si illius voluntatis generum eius habeo testem: qui idem Italiam in municipijs, populum Ro. in concione, vos mei semper cupidissimos in Capitolio ad meam salutem incitauit: si deniq; Cn. Pompeius idem mihi testis de voluntate Cæsaris, & sponsor est illi de mea: non ne vobis videor & vltimi temporis recordatione, & proximi memoria, medium illud tristissimum tempus debere, si ex rerum natura non possem euellere, ex animo quidem certe excidere? ego vero si mihi non licet per aliquos ita gloriari: me dolorem atq; inimicitias meas Reip. concessisse: quod magni

qui cuiusdã hominis & persapientis videtur: vtar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam, quã ad vitandam vituperationem valet: hominem me esse gratũ: & non modo tantis beneficys, sed etiam mediocri hominũ beneuolentia commoueri. à viris fortissimis, & de me optime meritis quibusdam peto: vt si ego illos meorum laborum & incommodorum participes esse nolui: ne illi me suarum inimicitiarum socium velint esse. præsertim cum ydem illi concesserint: vt etiam acta illa Cæsaris, quæ neq; oppugnaui antea, neq; defendi: meo iam iure possim defendere. nam summi ciuitatis viri, quorum ego consilio Remp. conseruaui: & quorum authoritate illam coniunctionem Cæsaris defugi: Iulias leges, & ceteras illo Consule rogatas, iure latas negant. ydem illam proscriptionem capitis mei contra salutem Reipublicæ, sed saluis auspicys rogatam esse dicebant. itaq; vir summa authoritate, summa eloquentia dixit grauiter, casum illũ meum funus esse Reip. sed funus iustum, & indictum mihi ipsi omnino perhonorificum, discessum meũ funus dici Reipub. reliqua non reprehendo: sed mihi ad id quod sentio, assumo. nam si illud iure rogatum dicere ausi sunt: quod nullo exemplo fieri potuit: nulla lege licuit: quia nemo de cœlo seruarat: obliti ne erant tũ cum ille qui id egerat, plebeius est lege curiata factus: dici de cœlo esse seruatum: qui si plebeius omnino esse nõ potuit? qui tribunus pl. potuit esse? & cuius tribunatus si ratus est: nihil est quod irritum ex actis Cæsaris possit esse: eius non solum Tribunatus, sed etiam permultos sissimæ res auspiciorum religione conseruata iure lata videbuntur. quare aut vobis statuendũ est legem Heliam manere: legem Fusiam non esse abrogatam: non omnibus fastis legem



legem ferri licere: cum lex feratur, de cœlo seruari, obnunciari, intercedi licere: censorium iudicium ac notionem, & illum morem seueris simum magistratuum, non esse nefarys legibus de ciuitate sublatum: si patricius tribunus pl. fuerit, contra leges sacratas: si plebeius, contra auspicia fuisse. aut mihi concedant homines oportet: aut in rebus bonis non exquirere iura ea: quæ ipsi in perditis non exquirunt: præsertim cum ab illis aliquoties conditio C. Cæsari lata sit: vt eadem res alio modo ferret: qua conditione auspicia requirebant: leges comprobabant: in Clodio auspiciorum ratio sit eadem: leges omnes sint euersæ ac perditæ ciuitatis. Extremum illud est. ego, si essent inimicitiæ mihi cum C. Cæsare: tamen hoc tempore Reip. consulere, inimicitias in aliud tempus reseruare deberem. possem etiam summorũ virorum exemplo inimicitias Reip. causa deponere. sed cum inimicitiæ fuerint nunquam: opinio iniuriæ beneficio sit extincta: sententia mea P. C. si dignitas agitur C. Cæsaris, hominitribuam: si honos quidam, Senatus concordiæ consulam: si authoritas decretorũ vestrorum, constantiam ordinis in eodem ornando Imperatore seruabo: si perpetuaratio Gallici belli, Reipub. prouidebo: si aliquod meum priuatum officium, me non ingratum esse præstabo. Atq; hoc velim probare omnibus Patres Conscripti: sed leuissime feram: si forte aut his minus probaro: qui meum inimicum repugnante vestra authoritate texerunt: aut his, si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam vituperabunt: cum ipsi & cum meo, & cum suo inimico in gratiam non dubitarint redire.

IN

# IN PISONEM. ORATIO XXXVIII.

*Deest principium.*

*Iam ne vides belua? iam ne sentis? quæsit hominũ querela frontis tuæ? nemo queritur Syrum nescio quem, de grege nouitiorum factum esse Consulem. non enim nos color iste seruilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt. oculi, supercilia, frons, vultus denig, totus, qui sermo quidam tacitus mentis est: hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit: fefellit: in fraudem induxit: pauci ista tua lutulenta vicia noueramus: pauci tarditatem ingenij, stuporẽ, debilitatemq, linguæ: nunquam erat audita vox in foro: nunquã periculum factum consilij: nullum non modo illustre, sed ne notum quidem factum aut militiæ, aut domi. obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum: quarũ simile habes nihil, præter colorem, is mihi etiam gloriabitur: se omnes magistratus sine repulsa assecutum. mihi ista licet de me vera cum gloria prædicare. omnes enim honores populus Ro. mihi ipsi homini nouo detulit. nam tu cum Quæstor es factus: etiam qui te nunquam viderant: tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Ædilis es factus: Piso est à populo Ro. factus: non iste Piso. Prætura item maioribus delata est tuis. noti erant illi mortui. te vinum nondum nouerat quisquam. me cum Quæstorem in primis, Ædilem priorem, Prætorem primum cunctis*



*ctis suffragijs populus Ro. faciebat: homini ille honorum, non generi, moribus, non maioribus meis, virtuti respecta, non auditæ nobilitati deferebat. Nam quid ego de consulatu loquar? parto vis, an ne gesto? miserum me, cum hac me peste atq, labe confero: sed nihil comparandi causa loquar: ac tamen ea, quæ sunt longissime disiuncta, comprehendam. Tu Consul es renunciatus (nihil dicam grauius quam quod omnes fatentur) impeditis Reip. temporibus, dissidẽtibus Conss. Cæsare & Bibulo, cum hoc non recusares, quin hi à quibus dicebare Consul, te luce dignum non putarent: nisi nequior quàm Gabinius extitisses. Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuersa ciuitas non prius tabella, quàm voce priorem Consulem declarauit. Sed omitto vt sit factus vterq, nostrum. sit sanè fors domina campi magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quàm quemadmodũ cœperimus. Ego Calendis Ian. Senatum & bonos omnes legis Agrariæ, maximarumq, largitionum metu liberaui. ego agrum Campanum, si diuidi non oportuit, conseruaui: si oportuit, melioribus authoribus reseruaui. ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me Consulem interpositam Senatus authoritatem sustinui contra inuidiam, atq, defendi. ego adolescentes bonos & fortes, sed vsos ea conditione fortunæ, vt si essent magistratus adepti: Reip. statum conuulsuri viderentur: meis inimicitijs nulla Senatus mala gratia comitiorum ratione priuaui. ego Antonium Collegam cupidum prouinciæ multa in Rep. molientem, patientia atq, obsequio meo mitigaui. ego prouinciam Galliã Senatus authoritate, exercitu, et pecunia instructam & ornatam,*

ornatam, quam cum Antonio communicaui: quod ita existimabam tempora Reip. ferre: in concione deposui reclamante populo Romano. ego L. Catilinam, cædem Senatus, interitum vrbis, non obscure, sed palàm molientem egredi ex vrbe iussi: vt à quo legibus non poteramus, mœnibus tuti esse possemus. ego tela extremo mense consulatus mei intenta inimicis ciuitatis, de coniuratorum nefarijs manibus extorsi. ego faces iam accensas ad huius vrbis incendium comprehendi: protuli: extinxi. me Q. Catulus princeps huius ordinis, & author publici consilij frequentissimo Senatu parentem patriæ nominauit. mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius his audientibus ciuicam coronam deberi à Rep. dixit. mihi togato Senatus, non vt multis bene gestæ, sed vt nemini, conseruatæ Reip. singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. ego cum in concione abiens magistratu dicerè à tribuno Pl. prohiberer, quæ constitueram, cumq; is mihi tantum modo vt iurarem, permitteret: sine vlla dubitatione iuraui, Remp. atq; hanc vrbem mea vnius opera esse saluam. mihi populus Ro. vniuersus illa in concione non vnius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemq; donauit: cum meum iusiurandum tale, atq; tantum, iuratus ipse vna voce & consensu approbauit. quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus: vt nemo, nisi qui mecum esset, ciuium esse in numero videretur. Atq; ita est à me Consulatus peractus: vt nihil sine consilio Senatus, nihil non approbante populo Ro. egerim: vt semper in rostris Curiam, in Senatu populum defenderim: vt multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum Senatu coniunxe-

rim.



rim. Exposui breuiter Consulatum meum. Aude nunc à me de tuo dicere. cuius fuit initium ludi Compitalitij primum facti post L. Luscellium, & C. Mariũ cons. contra authoritatem huius ordinis: quos Q. Metellus (facio iniuriam fortissimo viro mortuo: qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit, cum hac importuna belua conferam) sed ille designatus consul, cũ quidã Tribunus Pl. suo auxilio magnos ludos contra Senatus consultum facere iussisset: priuatus fieri vetuit: atq; id, quod nondum potestate poterat, obtinuit authoritate. Tu cum in Calendas Ianua. Compitaliciorum dies incidissent: Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere, & prætextatum volitare passus es, hominem impurũ, atq; non modo facie, sed etiam oculo tuo dignissimum. Ergo his fundamentis positis consulatus tui, triduo post inspectante & tacente te, à P. Clodio, fatali portento, prodigioq; Reipub. lex Helia & Fusia euersa est, propugnacula, muriq; tranquillitatis, atq; otij: collegia, non ea solum, quæ Senatus sustulerat, restituta sunt: sed innumerabilia quædam noua ex omni fece vrbis ac seruitio concitata. ab eodem homine instupris inauditis, nefarijsq; versato, vetus illa magistra pudoris & modestiæ seueritas censoria subducta est: cum tu interim bustum Reipublicæ, qui te Consulem tum Romæ dicis fuisse, verbo nunquã significaris sententiam tuam tantis in naufragijs ciuitatis. Non tam quæ feceris, sed quæ fieri passus sis, dico: neq; vero multum interest, præsertim in Consule, vtrum ipse pernitiosis legibus, improbis concionibus Rempub. vexet: an alios vexare patiatur. An potest vlla esse excusatio non dicã male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dor-

mienti in maximo Reipub. motu Consuli? centum prope annos legem Heliam & Fusiam tenueramus: quadringentos iudicium rationemq; Censoriam. quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo vnquã conuellere: quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoq; anno iudicaretur: nemo tam effuse petulans conatus est: hæc sunt ô carnifex in gremio sepulta Consulatus tui. persequere connexos his funeribus dies. pro Aurelio Tribunali ne conniuente quidẽ te, quod ipsum esset scelus: sed etiam hilarioribus oculis, quàm solitus eras intuente, delectus seruorum habebatur ab eo: qui nihil sibi vnquam nec facere, nec pati turpe esse duxit: arma in templo Castoris, O' proditor templorũ omnium, vidente te constituebantur ab eo latrone: cui templum illud fuit te Consule, arx ciuiũ perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militũ, castellum forensis latrociny, bustum legum omniũ, ac religionum. erat non solum domus mea, sed totum Palatiũ Senatu, equitibus Romanis, ciuitate omni, Italia cuncta, refertum: cum tu non modo ad eum Ciceronem (mitto enim domestica, quæ negari possunt: hæc cõmemoro quæ sunt palàm) non modo inquam ad eam, cui primam comitys tuis dederas tabulã prærogatiuæ: quem in Senatu sententiã rogabas tertium: nunquam aspirasti: sed omnibus consilys, quæ ad me opprimendũ parabantur: nõ interfuisti solum, verum etiã crudelissimè præfuisti. mihi vero ipsi coràm genero meo, propinquo tuo: quæ dicere ausus es? egere, foris esse Gabinium: sine prouincia, stare non posse: spem habere à tribuno Pl. si tua consilia cum illo coniunxeris: sed à Senatu quidem desperasse. huius te cupiditati obsequi: sicuti ego fe-



cissem in Collega meo. nihil esse quod præsidium consulum implorarem: sibi quenq; consulere oportere. Atq; hæc dicere vix audeo. vereor ne qui sit: qui istius insignẽ nequitiam frontis inuolutam integumentis nondum tenuat. dicam tamen. ipse certe agnoscet: & cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur. Meminisse necesse? cum ad te quinta ferè hora, cum C. Pisone venissem: nescio quo è gurgustio te prodire, inuoluto capite, soleatum? & cum isto ore fœtido teterrimam nobis pomparã inhalasses: excusatione te vti valetudinis: quod diceres, vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? quum nos causam cũ accepissemus, quid enim facere poteramus? paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore, atq; fumo vndè tu nos cum improbissime respondendo, tum turpissime eructando eiecisti. Idem illo ferè biduo productus in concionẽ ab eo, cui sic aquatum præbebas consulatum tuũ: cum esses interrogatus, quid sentires de consulatu meo: grauis author, Catinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cesonius Semiplacentinus Caluentius, respondit, altero ad frontem sublato, altero ad mentũ depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. hic te ille homo dignissimus, tuis laudibus collaudauit. Crudelitatis tu ferocior Senatum Consul in concione condemnas? non eum me, qui Senatui parui. nam relatio illa salutaris & diligens fuerat Consulis: animaduersio quidẽ, & iudicium Senatus. quæ cũ reprehendis: ostendis qualis tu, si ea forte accidisset: fueris illo tẽpore Consul futurus. stipendio mehercule & frumento Catilinam esse putasses iuuandũ. quid enim interfuit inter Catilinam, & eũ: cui

tu Senatus authoritatem, salutem ciuitatis, totã Rempub. prouinciæ præmio vendidisti? quæ enim L. Catilinam conantem Consul prohibui: ea P. Clodiũ facientem consules adiuuerunt. voluit ille Senatum interficere, vos sustuliſtis: leges incendere, vos abrogaſtis: interire patriã, vos adiuuiſtis. quid est vobis conſs. gestum sine armis? incendere illa coniuratorum manus voluit vrbem. vos eius domum, quẽ propter vrbis incensa non est, ac ne illi quidẽ, si habuissent vestri similem Cõsulem: de vrbis incendio cogitassent. non enim se tectis priuare voluerunt: sed his stantibus, nullum domicilium sceleri suo fore putauerunt. cædẽ illi ciuium, vos seruitutem expetistis. hic vos etiam crudeliores. huic enim populo ita fuerat ante vos Conſs. libertas insita: vt emori potius, quàm seruire præstaret. Illud vero geminum consilys Catilinæ & Lentuli: quod me domo mea expuliſtis: Cn. Pompeium domũ suam compuliſtis. neq; enim me stante & manente in vrbis vigilia, neq; resistente Cn. Pompeio omnium gentium victore, vnquã se illi Rempub. delere posse duxerunt. à me quidẽ etiam pœnas expetistis: quibus coniuratorũ manes mortuorũ expiaretis: omne odium inclusum nefarijs sensibus impiorum in me profudistis. quorum ego furori nisi cessissem: in Catilinæ busto vobis ducibus mactatus essem. Quod autem maius indicium expectatis, nihil inter vos & Catilinã interfuisse? quàm quod eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquijs concitastis: quod omnu vndiq; perditos collegistis: quod in me carcerem effudistis: quod coniuratos armastis: quod eorum ferro meũ corpus, atque omnium bonorum vitam obijcere voluistis. Sed iam redeo ad præclaram illã concionem tuam.

Odium?

Cedere?





Tu es ille, cui crudelitas displicet? cui, cum Senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset: cum videres mœrere Rempub. amplissimi ordinis luctu: O' noster misericors quid facis? quod nulla in barbaria quisquã Tyrannus: omitto enim illud, Consulem edicere, vt senatus Senatusconsulto ne obtẽperet. quo fœdius nec fieri nec cogitari quicquã potest. ad misericordiam redeo eius: cui nimis videtur Senatus in conseruanda patria fuisse crudelis. Edicere est ausus cum illo suo pari. quem tamen omnibus vicys superare cupiebat: vt Senatus, contra quàm ipse censuisset, ad vestitũ rediret. quis hoc facit vlla in Scythia Tyrannus? vt eos, quos luctu afficeret: lugere non sineret? mœrorem relinquis. mœroris aufers insignia. eripis lachrymas non consolando, sed minando. Quod si vestem non publico consilio Patres Conscripti, sed priuato officio, aut misericordia mutauissent: tamen id vs non licere perinterdicta crudelitatis tuæ, potestatis erat non ferenda. cum verò id Senatus frequens censuisset: ordines reliqui iam ante fecissent: tu ex tenebricosa popina Consul extractus, cum illa Saltatrice tonsa, Senatum Reipublicæ occasum atque interitũ lugere vetuisti. At quærebat etiam paulo ante de me: quid suo mihi opus fuisset auxilio? cur non meis inimicis, meis copijs rebus fuissem? quasi vero non modo ego, qui multis sæpe auxilio fuissem: sed quisquam tam inops fuerit vnquam: qui sibi non modo propugnatore tutiorem se, sed aduocato aut adstipulatore paratiorem fore putaret. ego istius modi, ac putidæ carnis consilio scilicet, aut præsidio uti volebam? ab hoc eiecto cadauere quicquam mihi aut opis, aut ornamenti expectabam? consu-

Eripere lachrymas.

Tonsa saltatrix.

Nihil.

lem ego tum requirebam: consulem inquam, non illum quidem, quem in hoc animali inuenire non possem: quantam Reip. causam grauitate & consilio suo tueretur: sed qui tanquã truncus atq; stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulũ consulatus. cum enim esset omnis causa illa mea consularis, & Senatoria: auxilio mihi opus fuerat & Consulis, & Senatus. quorum alterũ etiam ad perniciem meam erat à vobis consulibus cõuersum: alterũ Reip. penitus ereptũ. Attamen si consilium exquiri meũ: neq; ego cessissem: & me ipsa suo complexu patria tenuisset: si mihi cũ illo bustuario gladiatore, & tecũ, & cum Collega tuo decertandum fuisset. alia enim causa præstantissimi viri Q. Metelli fuit: quem ego cum meo iudicio cũ deorum immortalium laude coniungo: qui Cilli Mario fortissimo viro & Consuli, & sextum Consuli, & eius inuictis legionibus ne armis confligeret, cedendum esse duxit. Quod mihi igitur certamen esset huiusmodi? cũ C. Mario scilicet? aut cum aliquo pari? an cum altero barbato Epicureo? cũ altero Catilina ternario? quos neq; hercule ego, neq; supercilium tuum, neq; Collega tui cymbala, ac crotala fugi: neq; tam fui timidus: vt qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reip. nauẽ gubernassem, saluam atq; in portu collocassem: frontis tuæ nubeculã, tũ collega tui cõtaminatũ spiritũ perimescerẽ. alios ego vidi ventos: alias prospexi animo procellas: alijs impendentibus tẽpestatibus, non cessi: sed hui vnum me pro omniũ salute obtuli. itaq; discessu tũ mei omnes illi nefarij gladij de manibus crudelissimis exciderunt. cum quidem tu, ô vecors & amens, cum omnes boni abditi, inclusiq; mœrerent: templa gemerent:



merent: tecta ipsa vrbis lugerent: complexus es illud fœtum animal ex nefarijs stupris, ex ciuili cruore, ex omnium scelerũ importunitate, & flagitiorũ impunitate concretum. atq; eodem in templo, eodẽ & loci vestigio, et temporis, arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti. Quid ego illorum dierũ epulas, quid lætitiam & gratulationem tuã, quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperatissimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus sobrium? quis agentem aliquid, quod esset libero dignum? quis deniq; in publico vidit? cum collega tui domus cantu, & cymbalis personaret: cumq; ipse nudus in conuiuio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rutã pertimescebat. hic autẽ non tam concinnus helluo, nec tam musicus iacebat in suo græcorum fœtore atque vino. quod quidẽ istius in illis Reip. luctibus, quasi aliquod Lapitharũ aut Centaurorum conuiuiũ ferebatur: in quo nemo potest dicere, vtrum iste plus biberit: an vomuerit: an effuderit. Tu etiam mentionẽ facies consulatus tui? aut te fuisse Romæ Consulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te Cõsule esse voluisti? huius tu Clodiani canis insignibus consulatũ declarari putas? animo consulem esse oportet, cõsilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus, omni officio. ego consulem esse putem: qui Senatũ esse in Repub. non putauit? & sine eo consilio consulem numerem, sine quo Romæ reges quidem esse potuerunt? Etenim illa iam omitto: cum seruorum delectus haberetur in foro. arma in templo Ca-

storis luce, & palàm comportarentur: id autem templum sublato aditu, reuulsis gradibus, à coniuratorum reliquys, atq; à Catilinæ præuaricatore quondam, tum vltore, armis teneretur: cum Equites Rom. religarentur: viri boni lapidibus è foro pellerentur: Senatui non solum iuuare Rempublicã, sed ne lugere quidem liceret: cum ciuis is, quem hic ordo assentiente Italia, cunctisq; gentibus conseruatorem patriæ iudicarat: nullo iudicio, nulla lege, nullo more, seruitio atq; armis pelleretur, non dicam auxilio vestro, quod vere licet dicere: sed certe silentio: tum Romæ fuisse Consules quisquam existimabit? qui latrones igitur, siquidem vos Consules: qui prædones, qui hostes, qui proditores, qui Tyranni nominabuntur? Magnum nomen est: magna species, magna dignitas, magna maiestas Consulis: non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit lenitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenij sustinet, non insolentia rerũ secundarum tantam personam, tã grauem, tam seuerã. Seplasia mehercle, vt dici audiebam, te vt primũ aspexit: Campanum consulẽ repudianit. audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat: in quibus si moderatio illa, quæ in nostris solet esse Consulibus, non fuit: at fuit pompa: fuit species: fuit incessus, saltem Seplasia dignus, & Capua. Gabinium deniq; si vidissent Duumuirum vestri illi vnguentarij, citius agnouissent. erãt illi compti capilli, & madentes cincinnorũ fimbriæ, & fluentes cerussataq; buccæ dignæ Capua, sed illa vetere. nã hæc quidem, quæ nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum ciuium, mihiq; amicissimorũ multitudine redundat.



dat. quorum Capuæ te prætextatum nemo aspexit: qui vim gemeret desiderio mei: cuius consilio cum vniuersam Remp. tum illam ipsam vrbem meminerant esse seruatam. me inaurata statua donarant: me patronum vnum ascíuerant: à me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur: me & præsentem contra latrocinium tuum suis decretis legatisq; defenderunt: & absentem principe Cn. Pompeio referente, & de corpore Reip. tuorum scelerũ tela reuellente, reuocarunt. an tu eras consul? cum in palatio mea domus ardebat, non casu aliquo, sed ignibus iniectis, instigante te. Et quod in hac vrbe maius vnquam incendium fuit? cui non Consul subuenerit? At tu illo ipso tempore apud socrum tuam propè à meis ædibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras: sedebas non extinctor. sed author incendij: & ardentes faces furijs Clodianis penè ipse Consul ministrabas. An vero reliquo tempore Consulem te quisquam dixit? quisquam tibi paruit? quisquam in curiam venienti assurrexit? quisquam consulenti respondendũ putauit? numerandus est ille annus deniq; in Republica? cum obmutuisset Senatus: iudicia cõticuissent: mœrerent boni: vis latrocinij vestri tota vrbe volitaret: neq; ciuis vnus ex ciuitate, sed ipsa ciuitas tuo & Gabinij sceleri furoriq; cessisset. At ne tum quidẽ emersisti lutulente Cæso ex miserrimis naturæ tuæ sordibus: cum experrecta tandem virtus clarissimi viri celeriter & verum amicum, & optime meritum ciuem, & suum pristinum morem requisiuit: neq; est ille vir passus, in ea Rep. quam ipse decorarat, atq; auxerat: diutius vestrorum scelerum pestem morari. cum tamen ille, qualiscunq; est, qui est ab vno te improbitate victus Gabi-

nius, collegit ipse se vix: sed collegit tamen, & contra suũ Clodium primum simulatè, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompeio verè vehementerq; pugnauit. quo quidem in spectaculo mira Reipub. æquitas erat: vter eorum perisset, tanquam lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem vero quæstum, si vterq; cecidisset. sed ille tamen agebat aliquid: tuebatur authoritatem summi viri: erat ipse sceleratus: erat gladiator: cum scelerato tamen & cum pari gladiatore pugnabat. tu scilicet homo religiosus, & sanctus, fœdus, quod meo sanguine in pactione prouinciarum iecceras, frangere noluisti. cauerat enim sibi ille sororius adulter: vt si tibi prouinciam, si exercitum, si pecuniam ereptam ex Reip. visceribus dedisset: omnium suorum scelerum socium te, adiutoremq; præberes. itaq; in illo tumultu fracti fasces: ictus ipse: quotidie tela, lapides, fugæ: deprehensus deniq; cum ferro ad Senatum is, quĩ ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat. Et quis audiuit non modo actionem aliquã aut relationem, sed vocem omnino, aut querelã tuam? Consulẽ tum te fuisse putas? cuius in imperio, qui Rempub. Senatus authoritate seruarat: idemq; in Italia qui omneis omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat: is se in publico tuto statuit esse non posse. an tum eratis Consules? cum quacunq; de re verbum facere coperatis, aut referre ad Senatum: cunctus ordo reclamabat? ostendebatq; nihil esse vos acturos: nisi prius de me retulissetis? cum vos quanquam fœdere obstricti teneba mini: tamen cupere vos diceretis, sed lege impediri. qua lex priuatis hominibus, esse lex non uidebatur, iniusta per seruos, incisa per vim, imposita per latrocinium, sublato



Senatu, pulsis è foro bonis omnibus, capta Rep. contra omnes leges, nullo scripta more: hanc qui se metuere dicerent, Consules, non dicam animi hominum, sed fastus illi ferre possunt? nam si illam legem non putabatis: quæ erat contra omnes leges, indemnati ciuis, atq; integri capitis, bonorumq; tribunitia proscriptio, hac tamen obstricti pactione tenebamini: quis vos non modo Consules, sed liberos fuisse putet? quorum mens fuerit oppressa præmio, lingua astricta mercede? sin illam vos soli legem putabatis: quisquam vos Consules tunc fuisse, aut nunc esse Consulares putet? qui eius ciuitatis, in qua in principum numero vultis esse: non leges, non instituta, non mores, non iura noritis? An cum proficiscebamini paludati in prouincias vel emptas, vel ereptas: Consules vos quisquã putauit? itaq; credo, si minus frequentia sua vestrum egressum ornando, atq; celebrando, at omnibus saltem bonis, vt Consules, non tristissimis, vt hostes aut proditores persequebantur. tu ne etiã immanissimum ac fœdissimum monstrum, ausus es meum discessum illum, testem sceleris, & crudelitatis tuæ maledicti & contumeliæ loco ponere? quo quidem tempore cœpi P. C. fructum immortalem vestri in me & amoris & iudicij: qui non admurmuratione, sed voce, & clamore abiecti hominis, & semiuiui furorem petulantiamq; fregistis. tu luctum Senatus, tu desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiæ, tu curiæ tacitur nitatem annuam, tu silentium perpetuum iudiciorum, fori, tu cætera illa in maledicti loco pones? quæ meus discessus Reip. vulnera inflixit? qui si calamitosissimus fuisset: tamen misericordia dignior, quã contumelia: & cum gloria potius esse coniunctus, quàm cum

probro

probro putaretur: atq; ille, dolor meus duntaxat, vestrũ quidem scelus, ac dedecus haberetur. tum vero forsitan hoc, quod dicturus sum, mirabile auditu esse videatur: sed certe id dicam, quod sentio. Cum tantis à vobis P.C. beneficijs affectus sim, tantis honoribus: non modo illam calamitatem esse non duco: sed si quid mihi potest à Rep. esse seiunctum, quod vix potest, priuatim ad meum nomen augendum: optandam duco mihi fuisse illam, expetendamq; fortunam. Atq; vt tuum lætissimum diem cum tristissimo meo conferam: vtrum tandem bono viro & sapienti optabilius putas: sic exire à patria, vt omnes sui ciues salutem, incolumitatem, reditũ precentur, quod mihi accidit: an quod tibi proficiscenti euenit: vt omnes execrarentur: male precarentur: vnã tibi illam viam et perpetuam esse vellent? mihi medius fidius in tanto omnium mortalium odio iusto præsertim & debito, quæuis fuga potius, quàm vlla prouincia esset optatior. Sed perge porro. nam si illud meum turbulentissimum tempus profectionis, tuo tranquillissimo præstat: quid conferam reliqua? quæ in te dedecoris plena fuerunt: in me dignitatis? Me Calendis Ian. qui dies post obitum occasumq; nostrum Reipub. primus illuxit: frequentissimus Senatus, concursu Italiæ, referente clarissimo atq; fortissimo viro P. Lentulo, consentiente populo Ro. atq; vna voce reuocauit. me idem senatus exteris nationibus, me legatis, magistratibusq; nostris authoritate sua consularibus literis, non vt tu nuper dicere ausus es, orbatum patria, sed vt senatus illo ipso tempore appellauit, ciuem conseruatorem Reip. commendauit. ad meam vnius salutem senatus auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia, qui Rempub. saluam esse vellent:



lent: Consulis voce & literis implorandum putauit. mei capitis seruandi causa Romam vno tempore, quasi signo dato, Italia tota conuenit. de mea salute P. Lentuli præstantissimi viri, atq; optimi Consulis, Cn. Pompeij clarissimi, atq; inuictissimi ciuis, cæterorumq; principum celeberrimæ & gratissimæ conciones fuerunt. de me senatus ita decreuit, Cn. Pompeio authore, & eius sententia principe: vt si quis impedisset reditum meum: in hostium numero putaretur: hisq; verbis ea de me senatus authoritas declarata est: vt nemini sit triumphus honorificentius, quàm mihi salus restitutioq; perscripta. de me, cum omnes magistratus promulgassent, præter vnum Prætorem, à quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, præterq; duos de lapide emptos tribunos plebis: legem comitijs Centuriatis tulit P. Lentulus consul de Collega Q. Metelli sententia: quẽ mecum eadem Respub. quæ in Tribunatu eius disiunxerat: in Consulatu virtute optimi, ac iustissimi viri, sapientiaq; coniunxit. Quæ lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? ex vobis audio nemini ciui vllam, quo minus adesset, satis iustã excusationem esse, vsam: nullis comitijs vnquam multitudinem hominũ tantam neq; splendidiorem fuisse. hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ: vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse tabularum: & quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel honoris: id in salute mea nullo rogante vos vestra sponte feci stis. confer nunc Epicure noster exhara producte, non ex schola, confer, si audes absentiam tuam cum mea. Obtinuisti prouinciam Consularem fi nibus ys, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi

tuæ

tui pepigerat. nam lege Cæsaris iustissima atq; optima, populi liberi, planè & verè erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem præter te, & Collegam tuum putauit: omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta: habebas exercitum tantum, quantum tibi non Senatus, aut populus Roman. dederat: sed quantum tua libido conscripserat. ærarium exhausseras. quas res gessisti in Imperio, exercitu, prouincia consulari? quas res gesserit quæro? qui vt venit statim: nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces sociorum, non cædem hospitum, non perfidiam, non immanitatem, nõ scelera prædico: mox, si videbitur: vt cum fure, vt cum sacrilego, vt cum sicario disputabo: nunc meã spoliatã fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. Quis vnquam prouinciam cum exercitu obtinuit? qui nullas ad Senatum literas miserit? tantam vero prouinciam cum tanto exercitu, Macedoniam præsertim: quæ tantis Barbarorum gentibus attingitur: vt semper Macedonibus imperatoribus ijdem fines prouinciæ fuerint. qui gladiorum atq; pilorum. ex qua aliquot Prætorio imperio, Consularis quidem nemo rediyt: qui incolumis fuerit: qui non triumpharit. est hoc nouum: multo illud magis. appellatus est hic vulturius illius prouinciæ (si dijs placet) Imperator. ne tũ quidem Paule noster, tabulas Romã cum laurea mittere audebas? missi inquit. quis vnquam recitauit? quis vt recitarentur, postulauit? nihil enim mea refert, vtrum tu conscientia oppressus scelerum tuorum, nihil vnquam ausus scribere, ad eum ordinem, quem despexeras: quem afflixeras: quem deleueras: an amici tui tabulas abderint,



derint, ijdem q; silentio suo temeritatem atq; audaciam tuam condemnarint. Atq; haud scio an malim te vidēri nullo pudore fuisse in literis mittendis: an amicos tuos plus habuisse & pudoris & consily: quàm aut te videri pudentiorem fuisse quàm soles: aut tuum factum non esse condemnatum iudicio amicorum. Quod si non tuis nefarijs in hunc ordinem contumelijs, in perpetuũ tibi Curiam præclusisses: quid tandem erat actum, aut gestum in illa prouincia: de quo ad Senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicæ? an obsessio militaris viæ? an exercitus nostri interitus, ferro, fame, frigore, pestilentia? Tu vero qui ad Senatum nihil scripseris: vt in vrbe nequior inuentus es, quàm Gabinius: sic in prouincia paulo tamen quàm ille demissior. nam ille gurges atq; helluo, natus abdomi- nis non laudi, atq; gloriæ, cum equites Rom. in prouincia, cum publicanos nobiscum & voluntate, & dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos fama, vitaq; priuasset: cum egisset aliud nihil in illo exercitu: nisi vt urbes depopularetur: agros vastaret: exhauriret domos: ausus est, quid enim ille non auderet? à Senatu supplicationem per literas postulare. O dij immortales, tu ne etiã, atq; adeo vos geminæ voraginis, scopulique Reip. vos meam fortunam deprimitis? vestram extollitis? cũ de me ea senatusconsulta absente facta sint: eæ conciones habitæ: hic motus fuerit municipiorum & coloniarum omnium: ea decreta publicanorum: ea collegiorum: ea denique generum, ordinumq; omnium: quæ ego non modo optare nunquam auderem: sed cogitare non possem:

vos

vos autem sempiternas fœdissimæ turpitudinis notas inhæretis. An ego si te & Gabinium cruci affixos viderem: maiore afficerer lætitia ex corporis vestri laceratione, quàm afficior ex infamia? nullum est supplicium putandum, quo affici casu aliquo etiam boni viri fortesq; possunt. Atq; hoc quidem etiam isti tui dicunt voluptuary Græci: quos vtinam ita audires, vt erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitasses. verũ audis in præsepibus: audis in stupris: audis in cibo, & vino. sed dicũt ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiũt. Sapientẽ etiam si in Phalaridis tauro inclusus, succensis ignibus torreatur: dicturũ tamen, suaue illud esse: seseq; ne tantulum quidem commoueri tantã virtutis esse vim voluerunt: vt non posset vnquam esse vir bonus, nõ beatus. quæ est igitur pœna? quod supplicium? id mea sententia: quod accidere nemini potest, nisi nocẽti: suscepta fraus, impedita & oppressa mens conscientia, bonorum omnium odium, nota iusti Senatus, amissio dignitatis. nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginenses resectis palpebris, illigatũ in machina, vigilando necauerunt: supplicio videtur affectus: nec C. Marius, quem Italia seruata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa denicta ab eodem, expulsum & naufragum vidit. fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ. supplicium autem est pœna peccati. neq; vero ego si vnquam vobis mala precarer: quod sæpe feci: in quo dy immortales meas preces audiuerunt: morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. hæc vestra ista execratio est. poetæ vulgi animos nõ sapientium mouentis. vt tu naufragio expulsus vspiam saxis fixus asperis, euisceratus latere penderes (vt ait ille) saxa spargens tabo sanie sanguine atro. Non ferrem



ferrem omnino molestè, si ita accidisset: sed id tamen esset humanum. M. Marcellus, qui ter consul fuit: summa virtute, pietate, gloria militari, per vt in mari. qui tamen ob virtutẽ, gloriæ laude viuit. in fortuna quadã est illa mors non pœna putanda. quæ est igitur pœna? quod supplicium? quæ saxa? quæ cruces? Ecce duos duces in prouincys populi Romani habere exercitus: appellari Imperatores: horũ alterum sic fuisse infirmatũ conscientia scelerum, & fraudum suarũ: vt ex prouincia, quæ fuerit ex omnibus vna maxime triumphalis: nullas sit ad Senatum literas mittere ausus. ex qua prouincia modo vir omni dignitate ornatissimus L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente absens Imperator sit appellatus: vnde his paucis annis Cn. Dolobellæ, C. Curionis, M. Luculli iustissimos triumphos vidimus: ex ea te Imperatore nuncius ad Senatũ allatus est nullus. Ab altero allatæ literæ: recitatæ: relatum ad Senatũ dy immortales id ne ego optarẽ? vt inimicus meus, ea, qua nemo vnquam, ignominia notaretur? vt Senatus is, qui in eam iã benignitatis consuetudinem venit: vt eos, qui bene Rempub. gesserint: nouis honoribus afficiat, & numero dierũ, & genere verborum: huius vnius literis nunciantibus non crederet? postulantibus denegaret? his ego rebus pascor: his delector: his perfruor: quod de vobis hic ordo opinatur: non secus ac de teterrimis hostibus: quod vos Equites Romani, quod cæteri ordines, quod cuncta ciuitas odit: quod nemo bonus, nemo denig; ciuis est: qui modo se ciuẽ esse meminerit: qui vos non oculis fugiat: auribus respuat: animo aspernetur: recordatione denique ipsa Consulatus vestri perhorrescat. Hæc ego semper de vobis expetiui: hæc opta-

ui: hæc precatus sum. plura etiam acciderunt: quàm vellem. nam vt amitteretis exercitũ, nunquã me hercule optaui. illud etiam accidit præter optatũ meum, sed vade ex voluntate. mihi enim non venerat in mentẽ furorem & insaniã optare vobis, in quã incidistis. at qui fuit optandum. me tamen fugerat deorum immortaliũ has esse in impios & conscelleratos pœnas certissimas constitutas. nolite enim putare P. C. vt in scena videtis, homines conscleratos impulsu deorum terreri furiarum tædis ardentibus: sua quenq; fraus, suũ facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. ego te non vecordem, nec furiosum, non mente captum, non tragico Oresti aut Athamante dementiorẽ putem? qui sis ausus primũ facere: nam id est caput: deinde paulo ante torquato grauissimo, & sanctissimo viro premente confiteri: te prouinciam Macedoniã, in quam tantũ exercitum transportasses: sine vllo milite reliquisse? mitto de amissa maxima parte exercitus: sit hoc infelicitatis tuæ. dimittendi vero exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quã legem? quod Senatus Consultum? quod ius? quod exemplũ? quid est aliud furere? nisi non cognoscere homines: non cognoscere leges: non Senatus, non ciuitatem, cruentare corpus suum? maior hæc est vitæ, famæ, salutis suæ vulneratio. si familiam tuã dimisisses: quod ad neminẽ nisi ad ipsum te pertineret: amici te tui confiringendũ putarent. præsidium tu Populi Romani, custodiam prouinciæ, iniussu populi Senatusq; dimisisses: si tuæ mentis cãpos fuisses? Ecce tibi alter effusa iam maxima præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris, vrbibusq; sociorum exhau-



exhauserat: cũ partim eius prædæ profundæ libidines deuorassent: partim noua quædam, & inaudita luxuries: partim etiam in illis locis, vbi omnia diripuit, emptiones: partim permutationes ad hunc Thusculanũ monẽ extruendum, cũ illa eius immensa & intolerabilis ædificatio constitisset: seipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumq; deorũ immortalium, responsa sacerdotum, authoritatẽ Senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem Imperij, Regi Aegyptio vendidit. cum sineis prouinciæ tantos haberet: quantos voluerat: quantos optauerat: quantos mei capitis precio periculoq; emerat: his se tenere non potuit: exercitum eduxit ex Syria. qui licuit extra prouinciam? tribuit se mercenarium comitem Regi Alexandrino. quid hoc turpius? In Aegyptum venit: signa contulit cũ Alexandrinis. quando hoc bellũ aut hic ordo, aut populus suscepérat? cœpit Alexandriã. quid aliud expectamus à furore eius: nisi vt ad Senatum tantis de rebus gestis literas mittat? hic si mẽtis esset suæ: nisi pœnas patriæ, diis q; immortalibus eas, quæ grauissimæ sunt, furore atq; insania penderet: ausus esset, mitto exire de prouincia, educere exercitum: bellũ sua sponte gerere: in regnum iniussu populi aut Senatus accedere. quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulia de pecunijs repetundis planissime vetant. sed hæc omitto, ille si nõ acerrime fureret: auderet quã prouinciã P. Lentulus amicissimus huic ordini, cũ & authoritate Senatus, & sorte haberet: interposita religione, sine vlla dubitatione deposuisset: eam sibi tum adsciscere: cum, etiã si religio non impediret, mos maiorum tamen, & exempla, &

grauissimæ legum pœnæ vetarent. Sed quoniã fortunarũ contentionẽ facere cœpimus: de reditu Gabiny omittamus: quẽ, & si sibi ipse præcidit: ego tamen os ut videam hominis expecto. tuũ si placet reditum cum meo conferamus. At meus quidem is fuit: vt à Brunduſio vſque Romã agmen perpetuũ totius Italiæ viderem. neq; enim regio fuit vlla, neq; municipiũ, neq; præfectura, aut colonia: ex qua non publice ad me venerint gratulatũ. quid dicã aduentus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid concurſum ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis? quid eos dies, qui quaſi deorũ immortaliũ, feſti atq; ſolennes ſunt aduentu meo, redituq; celebrati? vnus ille dies mihi quidẽ immortalitatis inſtar fuit, quo in patriã rediy: cum Senatũ egreſſum vidi, populumq; Romanũ vniuerſum: cũ mihi ipſa Roma propè conuulſa ſedibus ſuis ad cõplectendum conſeruatorẽ ſuum procedere viſa eſt. quæ me ita accepit: vt non modo omnium generũ, ætatum, ordinũ omnes viri, ac mulieres omnis fortunæ ac loci, ſed etiã mœnia ipſa viderentur, et tecta vrbis ac tẽpla lætari me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quã expilaras, quã incenderas: Pontifices, Cõſules, Patres Conſcripti collocauerunt: mihiq; quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domũ cenſuerunt. habes reditum meum. confer nunc viciſſim tuum: quando quidẽ amiſſo exercitu nihil incolume domum, præter os illud priſtinum tuum retuliſti. qui primũ quã veneris cum laureatis tuis lictoribus quis ſcit? quos tu Mæandros, dum omnes ſolitudines pſequeris: quæ diuerticula, flexiones q;, quaſiſti? quod te municipiũ vidit? quis amicus inuitauit? quis hoſpes



ſpes aſpexit? nonne tibi vox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non vt redire ex Macedonia nobilis Imperator, ſed vt mortuus infamis referri videretur. Romam vero ipſam, fœdauit aduentus tuus: O familiæ non dicam Calphurniæ, ſed Caluentiæ, neq; huius vrbis, ſed Placentini municipy, neq; paterni generis, ſed Bracchatæ cognationis dedecus, quẽ admodum veniſti? quis tibi, non dicam horum, aut ciuium cæterorum, ſed tuorum legatorum obuiam venit? mecum enim tum L. Flaccus vir tua legatione indigniſſimus, atq; ijs conſulys, quibus mecum in conſulatu meo coniunctus fuit, ad conſeruandam Rempub. dignior, mecũ fuit: tum cum te quidã non longe à porta cum lictoribus errantẽ viſum eſſe narrabat. Scio item virum fortem in primis belli ac rei militaris peritum familiarem meum Q. Martium, quorum tu legatorum prælio Imperator appellatus eras: cũ longe abfuiſſes: aduentu iſto tuo domi fuiſſe ocioſum. ſed quid ego enumero qui tibi obuiam non venerint? qui dico veniſſe penè nemimem: ne de officioſiſſima quidem natione candidatorum: cũ vulgo eſſent & illo ipſo, & multis ante diebus admoniti & rogati. togulæ lictoribus ad portã præſto fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula reiecerunt: & cateruã Imperatori ſuo nouam præbuerunt. ſic iſte tanto exercitu, tanta prouincia, triennio poſt Macedonicus Imperator in vrbem ſe intulit: vt nullius negociatoris obſcuriſſimi reditus vnquam fuerit deſertior. in quo me tamen, qui eſſet paratus ad ſe defendendum, reprehendit. cũ ego Cœlimontana porta introiſſe dixiſſem: reſponſione me inimica Eſquilina introiſſe homo promptiſſimus laceſſiuit. quaſi vero id, aut ego ſcire debuerim: aut

vestrum quispiam audierit, aut ad rem pertineat: qua tu porta introieris: modo ne Triumphali: quæ porta Macedonicis semper Proconsulibus ante te patuit. tu inuentus es, qui consulari imperio præditus ex Macedonia nõ triumphares. At audistis P. C. philosophi vocem. negauit se triumphi cupidum vnquam fuisse. O scelus, O pestis, O labes, cum extinguebas Senatum: vendebas authoritatem huius ordinis: addicebas Tribuno pl. consulatum tuum: Rempub. euertebas: prodebas caput & salutem meam vnà mercede prouinciæ. si triũphum non cupiebas: cuius tandem rei te cupiditate arsisse defendes? sæpe enim vidi, qui & mihi & cæteris cupidiores prouinciæ viderentur: triumphi nomine tegere atq; velare cupiditatem suam. hoc modo Decius Syllanus Consul in hoc ordine, hoc meus etiam Collega dicebat. neq; enim quisquam potest exercitum cupere, aperteq; petere: vt non prætexat cupiditatem triumphi. quod si te Senatus populusq; Rom. aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coegisset: tamen erat angusti animi, atq; demissi, triumphi honorem, atq; dignitatem contemnere. nam vt leuitatis est inanem aucupari rumorẽ: vt omnes vmbras etiam falsæ gloriæ consectari: sic leuis est animi, lucem, splendoremq; fugientis, iustam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. cum vero non modo non postulante, atq; cogente, sed inuito, atq; oppresso Senatu, non modo nullo populi Ro. studio, sed nullo ferente suffragium libero, prouincia tibi ista manu precium fuerit non euersæ per te, sed perditæ ciuitatis: cumq; omnium tuorum scelerum hæc pactio exiterit: vt si totã Rempublicam nefarys latronibus tradidisses:



didisses: Macedoniam tibi ob eam rem, quibus tu finibus vellos, redderetur: cum exhauriebas ærarium: cum orbabas Italiam iuuentute: cum mare vastissimum hyeme transibas. si triumphum cõtemnebas: quæ te prædo amẽtissime, nisi prædæ, ac rapinarum cupiditas tã cæca rapiebat? non est integrum Cn. Pompeio consilio iam vti tuo. errauit enim: nõ gustarat ista tuam philosophiã: eriam homo stultus triumphauit. Crasse pudet me tui. quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam laureatã tibi tantopere decerni volueris à Senatu? P. Seruili, Q. Metelle, Cn. Curio, P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, priusquàm in istum errorem induceremini? C. ipsi Pontino necessario meo iam non est integrum: religionibus enim susceptis impeditur. ô stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos: ô amentem Paulum, rusticum Marium, nullius consilij patres istorum amborum Consulum: qui triumpharunt. Sed quoniam præterita mutare non possumus: quid cessat hic homulus, ex argilla & luto fictus Epicurus, dare hæc præclara præcepta sapientiæ clarissimo & & summo Imperatori generoq; suo? fertur ille vir mihi cre de gloria: flagrat, ardet cupiditate iusti & magni triumphi: non didicit eadẽ ista, quæ tu. mitte ad cum libellum. sed iam si ipse coràm congredi poteris: meditare quibus verbis incensam illius cupiditatem cõprimas, atq; restinguas. valebis apud hominẽ volitantẽ gloriæ cupiditate vt moderatus & constans: apud indoctũ eruditus: apud generũ socer. dices enim, vt es homo facetus, ad persuadendũ concinnus, perfectus, politus è schola. quid est

Cæsar, quod te supplicationes totiens decretæ, tot dierũ, tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur: quas dy negligunt: qui (vt noster ille diuinus dixit Epicurus) neq; propity cuiquam esse solent, neq; irati. non facies fidem scilicet cum hæc disputabis. tibi enim & esse & fuisse deos videbis iratos. vertes te ad alteram scholam: dissères de triumpho. quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis & Tribuni? quid clamor militũ? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta penè puerorum: captare plausus: vehi per vrbẽ: conspici velle. quibus ex rebus, nihil est, quod sõlidum tenere, nihil, quod referre ad voluptatem corporis possis. quin tu me vides: qui ex qua prouincia T. Flaminius, L. Paulus. Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alij, leui cupiditate commoti triumpharunt: ex ea sic redij: vt ad portam Esquilinam Macedonicam laureũ conculcarim: ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Cœlimontanã sitiens peruenerim: quo in loco, mihi libertus præclaro Imperatori domũ ex hac die biduo antè conduxerat: quæ vacua si non fuisset: in campo Martio mihi tabernaculum collocassem. Nummus interea mihi, Cæsar, neglectis vehiculis triumphalibus, domi manet, & manebit. rationes ad ærarium retuli continuo: sicut tua lex iubebat: neq; alia vlla in re legi tuæ parui. quas rationes si cognoris: intelliges nemini plusquã mihi literas pfuisse: ita enim sunt perscriptæ scite, & literate: vt scriba, ad ærariũ qui eas retulit perscriptis rationibus secũ ipse caput sinistra manu perfricans, com-



commurmuratus sit. Ratio quidem hercule apparet: argentum ἀργυρεῖον. Hac tu oratione non dubito, quin illum iam ascendentem in currum possis reuocare. O` tenebræ, O` lutum, O` sordes, O` paterni generis oblite, materni vix memor: ita nescio quid istuc fractum, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quàm vt Mediolanensi præcone auo tuo dignum esse videatur. L. Crassius homo sapientissimus nostræ ciuitatis spiculis propè scrutatus est alpes: vt vbi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. eadem cupiditate vir summo ingenio præditus C. Cotta nullo certe hoste flagrauit. eorum neuter triumphauit: quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa est abste paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi: à quate longe dixisti abhorrere. qui etiam si minus magnum bellum gesserat, vt abs te dictum est: tamen istum honorem contemnendum non putauit. tu eruditior quàm Piso, prudentior quàm Cotta, abundantior consilio, ingenio, sapientia, quàm Crassus, ea contemnis: quæ illi idiotæ, vt tu appellas, præclara duxerunt. quod si reprehendis quod cupidi laureæ fuerint: cum bella aut parua aut nulla gessissent: tu tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minime fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti. neq; vero cõtempsisti, licet Themista sapientior: si ostium ferreum Senatus conuicio verberari noluisti. Iam vides, quandoquidem ita mihimet fui inimicus: vt me tecum compararem: & digressum meum, & absentiam, & reditum ita longe tuo præstitisse: vt mihi illa omnia immortalem gloriam dederint: tibi sempiternam turpitudinẽ inflixerint nunc etiã in hac quotidia

na, assidua, vrbana q; vitæ splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam, operam forensem, consiliũ, auxilium, authoritatem, sententiam senatoriam nobis, aut verius dicam, cuiquã es infirmissimo ac desperatissimo ante laturus? age Senatus odit te, quod eum tu facere in re concedis: afflictorem & proditorem non modo dignitatis & authoritatis, sed omnino ordinis, ac nominis sui: videre equites Ro. non possunt: quo ex ordine vir præstantissimus L. Ælius est te Consule relegatus: plebs Romana perditum cupit: in cuius tu infamiam ea, quæ per latrones, & per seruos de me egeras, contuliſti: Italia cuncta execratur: cuius idem tu superbissime decreta & preces repudiaſti. fac huius ody tanti, ac vniuersi periculũ, si audes. instant post hominum memoriam paratissimi, magnificentissimiq; ludi: quales non modo nunquam fuerunt: sed ne quomodo fieri quidem post hac possint, possum vllo pacto suspicari. da te populo: cõmitte ludis? sibilum metuis? vbi sunt vestræ scholæ? ne acclametur? ne id quidem est curare philosophi. manus tibi ne affrantur, times. dolor enim est malum, vt disputas. existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba sunt, atq; ineptiæ. sed de hoc non dubito: non audebit accedere ad ludos. conuiuium publicum non dignitatis causa inibit: nisi forte, vt cum P. Clodio hoc est compotoribus suis cœnet. sed planè animi sui causa ludos nobis idiotis relinquet. solet in disputationibus suis oculorum, & aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. nam quod vobis iste tantummodo improbus, crudelis olim furunculus, nunc vero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur: nihil

scitote



scitote esse luxuriosius: nihil libidinosius: nihil posterius: nihil nequius. luxuriam autem in isto nolite hanc cogitare: est enim quædam, quanquam omnis est vitiosa, atq; turpis: tamen in ingenuo, ac libero dignior. nihil apud hunc lautum: nihil elegans: nihil exquisitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quicquam præter libidines sumptuosum, toreuma nullum: maximi calices: eliũ, ne contemnere suos videatur, Placentini: extructa mensa non conchylys aut piscibus, sed multa carne suã rancida: serui sordidati ministrant: nonnulli etiam seruidem coquus: idem atriensis: pistor domi nullus: nullacella: panis & vinum à propola, atq; de cupa: Græci stipati, quini in lectulis, sæpe plures: ipse sõlus, bibitu-rus quæ eodem de sõlio ministrentur. vbi galli cantum audiuit: animum suũ reuixisse putat: mensam tolli iubet. Dicet aliquis: unde tibi hæc nota sunt? non mehercule contumeliæ causa describam quenquam, præsertim ingenioſum hominem atque eruditum. cui generi esse ego vratus, ne si cupiam quidem, possum. Est quidam græcus, qui cũ isto viuit: homo, vere vt dicam, sic enim cognoui, humanus: sed tam diu, quam diu cum alijs est, aut ipse secum. is cum istum adolescentem iam tum cũ hac dys irata fronte vidiſſet: non fugit eius amicitiam: cum esset præsertim appetitus: dedit se in consuetudinem sic, vt prorsus vna viueret: nec ferè ab isto vnquam discederet. non apud indoctos, sed vt ego arbitror, in hominum eruditissimorum, & humanissimorum cœtu loquor. audistis profectò dici, philosophos Epicureos omneis res, quæ sunt homini expetendæ, voluptate metiri: recte an secus, nihil ad nos: aut si ad nos, nihil ad hoc tempus sed tamen lubricũ genus orationis, adolescenti

non

non acriter intelligenti sæpe præceps. itaq; admissarius iste simul atq; audiuit à philosopho voluptatem tantopere laudari: nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omneis incitauit: sic ad illius hanc orationẽ adhinuit: vt non magistrum virtutis, sed authorem libidinis à se illum inuentum arbitraretur. græcus primo distinguere, atq; diuidere illa quemadmodum dicerentur. iste claudus (quomodo aiunt) pilam retinere: quod acceperat testificari: tabulas obsignare velle: Epicurum di sertum decernere: & tamen dictum opinor, se nullum bonum intelligere posse demptis corporis voluptatibus. quid multa? græcus facilis, & valde venustus, nimis pugnax contra Senatorem populi Ro. esse noluit. est autem hic, de quo loquor: non philosophia solum, sed etiam literis, quod fere cæteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poema porrò facit ita festiuum, ita concinnum, ita elegans: nihil vt fieri possit argutius. in quo reprehendat eum licet, si qui volet: modo leuiter, non vt impurum, non vt improbum, non vt audacem: sed vt græculum, vt assentatorem, vt poetam, deuenit, aut potius incidit in istum eodem deceptus supercilio gracus, atq; aduena: quo tam sapiens, & tanta ciuitas se reuocare non poterat familiaritate implicatus: & simul inconstantiæ famam verebatur: rogatus, inuitatus, coactus, ita multa ad istum de isto scripsit: vt omnes hominis libidines, omnia cœnarum genera, conuiuiorumq; adulteria eius delicatissimis versibus expresserit. in quibus, si quis velit, possit istius tanquam in speculo vitam intueri: ex quibus multa à multis lecta & audita recitare: nisi vererer ne hoc ipsum genus orationis, quo nunc vtor: ab huius loci more abhorreret. & simul de ipso, qui



qui scripsit, detrahi nolo. qui si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna: fortasse austerior & grauior esse potuisset. sed eum casus in hanc consuetudinem scribendi induxit philosopho valde indignam: si quidem philosophia vt fertur virtutis continet, & officij, & benemerendi disciplinam. quam qui profitetur, grauissimam mihi sustinere personam videtur. sed idem casus illum ignarum quid profiteretur: cum se philosophum esse diceret: istius impurissimæ ac intemperatissimæ pecudis cœno & sordibus inquinauit: qui modo res gestas Consulatus mei cum laudasset: quæ quidem laudatio hominis turpissimi mihi ipsi erat pene turpis: non vlla tibi inquit inuidia nocuit, sed versus tui. nimis magna pœna te Consule constituta est, siue malo poëtæ, siue libero. scripsisti enim versus. Cedant arma togæ. quid tum? hæc res tibi fluctus illos excitauit. at hoc nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio: quod te Consule in sepulchro Reipublicæ incisum est: velitis, iubeatis, vt, non quod M. Cicero versum fecerit: sed quod vindicarit. veruntamen, quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus: qui non notam apponas ad malum versum: sed poëtam armis persequare: scire cupio quid tandem isto in versu reprehendas? Cedant arma togæ. tuæ dicis, inquit, togæ summum Imperatorem esse cessurum. quid nunc te asine literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus. non dixi hanc togam, qua sum amictus: nec arma, scutum, & gladium vnius Imperatoris: sed quod pacis est insigne, & ocij toga: contra autem arma tumultus atq; belli: more poëtarum locutus, hoc intelligi volui: bellum, ac tumultum paci, atq; ocio concessurum. quære ex familiari tuo Gra

co

co illo poëta: probabit genus ipsum, & agnoscet : neq; te nihil sapere mirabitur. At in illo altero inquit hæres. concedat laurea laudi. Immo mehercule habeo tibi gratiam: hærerem enim, nisi tu me expedisses. nam cum tu timidus ac tremens, tuis ipse furacissimis manibus detractam cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinam abieciſti: indicasti non modo amplissimæ, sed etiã minimæ laudi lauream concessisse. Atq; ista ratione hoc tamen intelligi scelerate vis: Pompeium inimicum mihi isto versu esse factum: vt si versus mihi nocuerit: ab eo, quem is versus offenderit, videatur mihi pernicies esse quæsita. omitto, nihil istum versum pertinuisse ad illum: non fuisse meum, quem quantum potuissem multis sæpe orationibus scriptisq; decorassem: hunc vno violare versu. Sed sit offensus primo: non ne compensabit cum vno versiculo tot mea volumina laudum suarũ? quod si est commotus: ad perniciem ne non dicam amicissimi, non ita de sua laude meriti, non ita de Republica, non Consularis, non Senatoris, non ciuis, non liberi: in hominis caput ille tam crudelis propter versum fuisset? tu quidem, tu apud quos, de quo dicas intelligis? complecteris amplissimos viros ad tuum & Gabinij scelus, neq; id occulte. nam paulo ante dixisti, me cũ ijs confligere, quos despicerem : non attingere eos, qui plus possent : quibus iratus esse deberem. quorum quidem, quis enim non intelligit quos dicas? quanquam non est vna causa omnium : tamen est omnium mihi probata. me Cn. Pompeius multis obsistentibus eius erga me studio, atq; amori semper dilexit : semper sua coniunctione dignissimum iudicauit: semper non modo incolumem, sed etiam amplissimum atque ornatissimum

voluit



voluit esse. vestræ fraudes, vestrum scelus, vestræ criminationes insidiarum mearum, illius periculorum nefariæ fictæ, simul eorum, qui familiaritatis licentia, suorum improbissimorum sermonum domicilium, in auribus eius impulsu vestro collocauerunt: vestræ cupiditates prouinciarum, effecerunt, vt ego excluderer : omnesq; qui me, qui illius gloriam, qui Remp. saluam esse cupiebant: sermone atq; aditu prohiberentur quibus rebus est perfectum : vt illi plane suo stare iudicio non liceret: cum certi homines non studium eius à me alienassent: sed auxiliũ retardassent. Non ne ad te L. Lentulus, qui tum erat Prætor : non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum multiq; mortales oratum in Albanum obsecratumq; venerant: ne meas fortunas desereret cum Reip. salute coniunctas. quos ille ad te & ad tuum collegam remisit: vt causam publicam susciperetis: vt ad Senatũ referretis: se contra armatum Tribunum pl. sine consilio publico decertare nolle : consulibus ex S.C. Remp. defendentibus, se arma susceperum. Ecquid infelix recordaris, quid responderis? In quo illi omnes quidem, sed Torquatus præter cæteros furebat contumacia responsitui : te non esse tam fortem quàm ipse Torquatus in Consulatu fuisset, aut ego: nihil opus esse armis : nihil contentione: me posse iterum Remp. seruare si cessissem: infinitum cædem fore, si restitissem. deinde ad extremũ neq; se, neq; generum, neq; Collegam suum, tribuno plebis defuturum. hic tu hostis ac proditor alijs me inimiciorem quàm tibi debere esse dicis? Ego C. Cæsarem non eadem de Rep. sensisse, quæ me, scio: sed tamen, quod iam de eo, his audientibus, sæpe dixi, me ille sui totius

Consulatus,

Consulatus, eorumq; honorum, quos cũ proximis communicauit: socium esse voluit: detulit: inuitauit: rogauit. non sum ego propter niminam fortasse constantiæ cupiditatem adductus ad causam: non postulabam vt ei charissimus essem: cuius ego beneficijs quidem sententiam meam tradidissem. Adducta res in certamente Consule putabatur: vtrum quæ superiore anno ille gessisset: manerent, an rescinderentur? quid loquar plura? si tantum ille in me esse vno roboris, & virtutis putauit: vt ea, quæ ipse gesserat, concideret: si ego restitissem, cur non ignoscam: si ante posuit suam salutem meæ? Sed præterita omitto: me vt Cn. Pompeius omnibus suis studijs, laboribus, vitæ periculis complexus est: cum municipia pro me adiret: Italiæ fidem imploraret: P. Lentulo Consuli authori salutis meæ frequens assideret: Senatui sententiam præstaret: in concionibus non modo se defensorem salutis meæ, sed etiam supplicem pro me profiteretur: huius voluntatis eum, quem multum posse intelligebat: mihi non inimicum esse cognorat: socium sibi & adiutorem C. Cæsarem adiunxit. Iam vides me tibi non inimicum, sed hostem, illis quos describis, non modo non iratum, sed etiam amicum esse debere. quorum alter, id quod meminero semper, æque mihi fuit amicus, ac sibi: alter id, quod obliuiscar aliquando, sibi amicior quàm mihi. deinde hoc ita fit: vt viri fortes, etiã si ferro inter se cõminus decertarint: tamen illud contentionis odium, simul cum ipsa pugna armisq; ponant. Atq; me ille odisse nunquam potuit. ne tum quidẽ cum dissidebamus. habet hoc virtus: quã tu ne de facie quidem nosti: vt viros fortes species eius, & pulchritudo etiam in hoste posita delectet. Equidem dicam ex animo

P.C.



P.C. quod sentio: & quod vobis audientibus sæpe iã dixi, si mihi nunquam amicus C. Cæsar fuisset, sed semper vratur: si aspernaretur amicitiam meã, sesq; mihi implacabilẽ inexpiabilemq; præberet: tamen ei, cum tantas res gessisset, gereretq; quotidie: non amicus esse non posset: cuius ego imperio, non Alpium vallũ contra ascensum transgressionemq; Gallorum, non Rheni fossam, gurgitibus illis redundantem, Germanorũ immanissimis gentibus obycio, & oppono. perfecit ille, vt si montes resedissent, amnes exaruissent: non naturæ præsidio, sed victoria sua rebusq; gestis Italiam munitã haberemus. sed cum me expetat, diligat, omni laude dignum putet: tu me à tuis inimicitijs ad simultatẽ reuocabis? sic tuis sceleribus Reip. præterita facta refricabis? quod quidẽ tu, qui bene nosses coniunctionem meã, & Cæsaris, eludebas: cũ à me trementibus omnino labris, sed tamen cur tibi nomen nõ deferrem requirebas. quãquam, quod ad me attinet, nunquã istam imminuã curam inficiando tibi: tamen est mihi considerandũ, quantum illi tantis Reip. negocijs, tantoq; bello impedito, ego homo amicissimus, sollicitudinis atq; oneris imponã. nec despero tamen, quanquã languet iuuentus, nec perinde atq; debeat, in laudis & gloriæ cupiditate versetur, futuros aliquos: qui abiectum hoc cadauer, consularibus spolijs nudare non nolint, præsertim tã afflicto, tam infirmo, tam enervato reo: vt te ita gesseris, vt timeres: ne indignus beneficio videris: nisi eius, à quo missus eras, similimus extitisses. An vero tu parum putas inuestigatas esse à nobis labes imperij tui, stragesq; prouinciæ? quas quidẽ nos nõ vestigijs aliorum ingressus tuos, sed totis voluntationibus corpo-

unn

ris, & cubilibus persecuti sumus. notata à nobis sunt & prima illa scelera in aduentu: cũ accepta pecunia à Dyrrhachinis ob necem hospitis tui Platoris, eius ipsius domum euertisti: cuius sanguinẽ addixeras: eumq; seruus symphoniacis, & alys muneribus acceptis, timentem & multum dubitantem confirmasti: & Thessalonicam fide tua venire iussisti. quem ne maiorũ quidẽ more supplicio affecisti: cũ miser ille securibus hospitis sui ceruicu subijcere gestiret: sed ei medico, quẽ tecum eduxeras, imperasti: vt venas hominis incideret. tũ quidem tibi etiã accessio fuit ad necem Platoris, Pleuratus eius comes: quem necasti verberibus summa senectute confectum. Idemq; tu Rabocentum Bessicæ gentis principẽ, cum trecentis talentis Regi Cotto vendidisses, securi percussisti: cum ille ad te legatus in castra veniisset: & tibi magna præsidia & auxilia à Bessis policeretur. neq; eum solum, sed etiam cæteros legatos qui simul venerant: quorũ omnium capita Regi Cotto vendidisti. Denseletis, quæ natio semper obediens huic imperio, etiã in illa omnium barbarorum defectione Macedonica, C. Sextium Prætorem tutata est: nefarium bellũ & crudele intulisti: eisq; cum fidelissimis socijs vti posses, hostibus vti acerrimis maluisti. Ita perpetuos defensores Macedoniæ, vexatores ac perditores effecisti. vectigalia nostra perturbarunt: vrbes cœperunt: vastarunt agros: socios nostros in seruitutem abduxerũt: familias arripuerunt: pecus abegerunt: Thessalonicenses, cũ oppido desperassent, munire arcem coegerunt. A te Iouis Velsuri fanum antiquissimũ Barbarorum, sanctissimumq; direptum est. tua scelera dij immortales in

Platoris. Pleuratq. Rabocentq. Bessicæ gentis principis. Bessi Thracum populi. Denseletis. Vexatores perditores Macedoniæ.



nostros milites expiauerunt. qui cum vno genere morbi affligerentur: neq; se recreare quisquã posset, qui simul incidisset: dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, pacati atq; socij nefario bello lacessiti, fana vexata, hanc tantã efficerent vastitatẽ. cognoscis ex parua parua scelerum & crudelitatis tuæ genus vniuersum. quid auaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata est, summã nunc explicem? generatim ea, quæ maxime nota sunt dicam. nonné sestertium centies & octogies, quod quasi vasary nomine, in venditione mei capitis adscripseras: ex ærario tibi ad tributũ Romæ in quæstu reliquisti? nonné CC talenta tibi Apolloniatæ Romæ dedissent, ne pecunias creditas soluerent: vltro Fusidium Equitem Ro. hominẽ ornatissimum, creditorem debitoribus suis addixisti? nonné hyberna cum legato, præfectoq; tradidisses: euertisti miseras funditus ciuitates? quæ non solum bonis sunt exhaustæ: sed etiam nefarijs libidinum contumelijs turpitudinesq; subierunt. qui modus tibi fuit frumenti æstimandi? qui honorarij? siquidem, potest vi & metu extortum honorariũ nominari. quod cũ peræque omnes, tũ acerbissime Bœotij, & Byzanty, Cherronenses, Thessalonica sensit: vnus tu dominus, vnus æstimator, vnus venditor, tota in prouincia per triennium frumenti omnis fuisti. quid ego rerũ capitalium quæstionis, reorũ pactiones, redemptiones acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferã? tantum locum aliquem cum mihi notum feceris: tecum ipse licebit, quot in eo genere & quanta tua crimina recordere. quid? illam armorum officinam ecquid recordaris? cum omni totius prouinciæ pe-

Cognoscere. Lũlgesogen ist amazõl blog? Brũlesafft.

core compulso, pellium nomine, omnem quæstum illum domesticũ paternumq; renouasti? videras enim grandem iam puer, bello Italico repleri quæstu vestrã domum: cui pater armis faciendis tuus præfuisset. quid? vectigalem prouinciã, singulis rebus, quæcunq; venirent, certo portorio impositò, seruis tuis publicanis a te factam esse meministi? quid? centuriatus palàm venditos? quid? per tuũ seruulum ordines assignatos? quid? stipendium militibus per omnes annos a ciuitatibus, mensis palàm propositis esse numeratum? quid illa in Pontũ profectio & conatus tuus? quid debilitatio, atq; abiectio animi tui, Macedonia Prætoria nunciata, cũ tu non solum quod tibi succederetur: sed quod Gabinio non succederetur: exanguis & mortuus concidisti? quid quæstor Aedilitius reiectus, præpositus legatorum tuorum turpissimus, optimus abs te quisq; violatus? tribuni militum non recepti? M. Bebius vir fortis interfectus iussu tuo? quid quod tu totiens diffidens, ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuq; iacuisti? quod populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociosq; misisti? qd? quod cũ sustentare vix posses mœrorem tuũ, doloremq; decessionis: Samothraciã te primum, inde Tharsum cũ tuis teneris saltatoribus, & cum Antobulo, Athamante, & Timocle formosis fratribus contuliſti? quid? cum inde te recipiens, in villa Euchadiæ, quæ fuit vxor exegisti? iacuisti mœrens aliquot dies, atq; inde obsideris Thessalonicam omnibus inscientibus noctuq; veniſti? qui cum concursum plorantium, ac tempestatem querelarum ferre non posses: in oppidum denium Beroam perfugisti. quo in oppido cum tibi spe falsa, quod Q. Ancharium nõ esse successurum putares: animos rumor

inflasset:



inflasset: quo te modo ad tuam intemperantiam scelerate renouasti? mitto aurum coronariũ, quod te diutissime tenuit: tum modo velles: modo nolles. lex enim generi tui & decerni, & te accipere vetabat, nisi decreto triumphans in quo tu accepta tamen & deuorata pecunia Vtina eorum centũ talenta enumere nõ poteras. vocabula tantarũ pecuniarum & genera mutabas. mitto diplomata totius in prouincia passim data: mitto numerũ nauium, summamq; prædæ: mitto rationẽ exacti imperatiq; frumenti: mitto ereptam libertatẽ populis, ac singulis, qui erant affecti præmijs nominatim: quorum nihil est, quod non lex Iulia, ne fieri liceat, sancitum diligenter. Aetolia quæ procul a barbaris disiuncta gentibus, in sinu pacis posita, medio fere græciæ gremio continetur. O pœna, O furia sociorum, decedens: miserã perdidisti. Arsinoan, Thracum, Neopactum, vt modo tute indicasti, nobiles vrbes, atq; plenas fateris ab hostibus esse captas. quibus autem hostibus? nempe his, quos tu Ambraciæ sedens, primo tuo aduentu ex oppidis Agrinarum, atq; Dolopum demigrare, & aras, & focos relinquere coegisti. hoc tu in exitu præclare imperator: cũ tibi ad pristinas clades accessio fuisset Aetoliæ repentinus interitus, exercitũ dimisisti: neq; vllam pœnã, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire: quàm numerum tuorum militum reliquias q; cognoscere. Atq; vt duorum Epicureorum similitudinẽ in re militari imperioq; videatis: Albutius cum in Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est. hic cũ similem exitum spectaret: in Macedonia trophæa posuit: eaq;, quæ bellicæ laudis victoriæq; omnes gentes insignia & monumenta esse voluerunt:

noster hic præposterus Imperator amissorum oppidorum, Cæsarum legionum, prouinciæ præsidio & requis militibus orbatæ, ad sempiternum dedecus sui generis & nominis indicia constituit: idemq3, vt esset quod in basi trophæorũ incidi, inscribiq3 posset: Dyrrhachiũ vt venit decedens: obsessus est ab ijs ipsis militibus: quos paulo ante Torquato respondit, beneficij causa ab se sse dimissos. quibus cum iuratus affirmasset: se, quæ deberentur, postero die persoluturum: domũ se abdidit. inde nocte intempesta crepidatus veste seruili nauem conscendit: Brunduſiumq3 vitauit: & vltimas Adriani maris oras petiuit: cum interim Dyrrhachij militum domũ, in qua istum esse arbitrabantur, obsidere cœperunt: & cum latere hominẽ putarent: ignes circunderunt. quo metu commoti Dyrrhachini, profugisse noctu crepidatũ imperatorem indicauerunt: illi autem statuam istius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerat: ne suauissimi hominis memoria moreretur: deturbant, affligunt, cõminuunt, dissipant. sic odium, quod in ipsum attulerant: id in eius imaginẽ ac simulacrum profuderunt. Quæ cum ita sint: non enim dubito, quin cũ hæc quæ excellunt me nosse videas: non existimes, mediam illam partẽ & turbam flagitiorum tuorũ mihi esse inauditam: nihil est quod me hortẽre: nihil est quod inuites. admoneri me satis est: admonebit autem nemo alius, nisi Reipub. tempus: quod mihi quidẽ magis videtur, quàm tu vnquam arbitratus es propinquare. Ecquid vides, ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos posthac iudices simus habituri? non æque legetur quisquis voluerit: nec quisquis noluerit non legetur.



getur: nulli conijcientur in illum ordinem: nulli eximentur: non ambitio ad gratiã, non iniquitas ad simulationem conijcietur. iudices iudicabunt ij, quos lex ipsa, nõ cuiushominũ libido delegerit. quod cum ita sit, mihi credas: neminem inuitus inuitabis: res ipsa & Reipub. tempus aut me ipsum, quod nolim: aut alium quempiã, aut inuitabit, aut dehortabitur. Equidem, vt paulo ante dixi: non eadẽ supplicia esse in hominibus existimo, quæ fortasse plerisq3, damnationes, expulsiones, neces. deniq3 nullã mihi pœnam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono viro, & ciui potest. damnatio ista, quæ in te flagitatur: obtigit P. Rutilio: quod specimen habuit hæc ciuitas innocentiæ. maior mihi iudicũ, & Reip: pœna illa visa est, quàm Rutilij. L. Opimius eiectus est à patria, is qui Prætor, & Consul maximis Remp. periculis liberarat. non in eo, cui facta est iniuria: sed in ys, qui fecerunt, sceleris ac cõscientiæ pœna remansit. at cõtra bis Catilina absolutus: emissus etiã ille author tuus prouinciæ: cum stuprũ Rodee puluinaribus intulisset. quis fuit in tanta ciuitate? qui illũ incesto liberatũ, non eos, qui ita iudicarunt: pari scelere astrictos arbitraretur? An ego expectẽ: dũ de te quinq3 & septuaginta tabellæ diripiantur? de quo iam pridẽ omnes mortales omniũ generum, ætatum, ordinum iudicauerunt? quis enim te aditu, quis vllo honore, quis deniq3 cõmuni salutatione dignum putat? omnes memoriã consulatus tui, facta, mores, faciem deniq3, ac nomen à Repub. detestantur. legati quinà fuere, alienati: Tribuni Mil. inimici: centuriones, & si qui extanto exercitu reliqui milites existunt: non

dimissi abs te, sed dissipati te oderunt: tibi pestem exoptant: te execrantur: Achaia exhausta: Thessalia vexata: lacerata Athenæ: Dyrrhachiū & Apollonia exinanita: Ambracia direpta: Parthini, & Bullienses illusi: Epirus excisa: Locri, Phocij, Bœotij exusti: Acarnania, Amphilochia, Perrhebia, Athamanum gens vendita: Macedonia condonata barbaris: Aetolia amissa: Dolopes finitimiq; montani oppidis atq; agris exterminati: cuius Ro. qui in his locis negociantur, te vnū, solum, suum depeculatorem, vexatorē, prædonem, hostem, venisse senserunt. ad horum omniū iudicia tot atque tanta, domesticum iudicium accessit, sententiæ damnationis tuæ, occultus aduentus, furtiuus iter per Italiā, introitus in vrbem desertus ab amicis, nullæ ad Senatū è prouincia literæ, nulla trinis æstinis gratulatio, nulla triumphi mentio: non modo quid gesseris, sed ne quibus in locis quidem fueris dicere audes. Ex illo fonte & seminario triumphorum, cum arida folia laureæ retulisses: cum ea abiecta ad portam reliquisti: tum tu ipse de te sententiam tulisse videris: tum iudicium pronunciasti: qui si nihil gesseras dignum honore: vbi exercitus? vbi sumptus? vbi imperium? vbi illa vberrima supplicationibus triumphisq; prouincia? sin autem aliquid sperare volueras: si cogitaras id, quod Imperatoris nomen, quod laureati fasces, quod illa trophæa plena dedecoris, & risus, te cōmentatum esse declarant: quis te miserior? quis te damnatior? qui neq; scribere ad Senatum à te bene Rempub. esse gestam, neq; præsens dicere ausus es? An tu mihi, cui semper ita persuasum fuerit: non euentis, sed factis cuiusq; fortunam ponderari, dicere audes? neq; in tabellis paucorum iudicium, sed in sententijs



tijs omnium ciuium famā nostram fortunamq; pendere? te indemnatum videri putas? quem socij, quem fœderati, quem liberi populi, quem stipendiarij, quem negociatores, quem publicani, quem vniuersa ciuitas, quē Legati, quē Tr. militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui mortē effugerunt: omni cruciatu dimissimum putant: cui non apud Senatum, non apud vllum ordinem, non apud equites Romanos, nō in vrbe, non in Italia maximorum scelerum venia vlla ad ignoscendum dari possit: qui seipsum oderit: qui metuat omnis: qui suam causam nemini committere audeat: qui seipsum condemnet. Nunquam ego sanguinem expetiui tuum: nunquam illud extremū, quod posset esse im probis & probis commune supplicium, legis, ac iudicij: sed abiectum, contemptum, despectum à cæteris, à te ipso desperatum, & relictū, circunspectantem omnia, quicquid increpuisset pertimescentem, diffidentem tuis rebus, sine voce, sine libertate, sine authoritate, sine vlla spe ciu Consulari, horrentē, trementem, adulantē omnibus videre te volui: vidi. quare si tibi euenerit, quod metuis ne accidat, equidem non moleste feram. sin id tardius forte fiet: fruar tamen tua indignitate: nec minus libenter metuentem videbo ne reus fias: quàm reum: nec minus lætabor cum te semper sordidum, quàm si paulisper sordidatum viderem.

# PRO T. ANNIO MILONE. ORATIO XXXIX.

Timor. Metus?

Si vereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem, timere: minimeq; deceat, cum Titus Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quàm de sua perturbetur: me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos: qui quocunq; inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minime vident. non enim corona consessus vester cinctus est, vt solebat: non vsitata frequentia stipati sumus. nam illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis: & si contra vim collata sunt: non afferunt tamen oratori aliquid: vt in foro, & in iudicio: quanquam præsidijs salutaribus, & necessarijs septi sumus: tamen non timere quidem sine aliquo timore possimus. quæ si opposita Miloni putarem, cederem tempori Iudices: nec inter tantam vim armorum existimarem oratori locum esse. sed me recreat, & reficit Cn. Pompei sapientissimi, & iustissimi viri consilium: qui profecto nec iusticiæ suæ putaret esse, quem reum sententijs iudicum tradidisset: eundem telis militum dedere: nec sapientia, temeritatẽ concitatæ multitudinis authoritate publica armare. quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denuntiant: neq; solum vt æquo, sed etiam vt magno animo simus hortantur: neq; auxilium modo defensioni meæ, verum etiam silentium pollicentur. reliqua vero multitudo, quæ quidẽ est ciuiũ, tota nostra est: neq; eorũ quisquam,



quisquam, quos vndiq; intuentes ex hocipso loco cernitis, vnde aliqua pars fori aspici potest, & huius exitum iudicij expectantes: non cum virtuti Milonis fauet, tũ de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat. vnum genus est aduersum, infestumq; nobis, eorum, quos P. Clodij furor rapinis, & incendijs, & omnibus exitijs publicis parauit. qui hesterna etiam concione incitati sunt, vt vobis voce præirent, quid iudicaretis. quorum clamor si quis forte fuerit: admonere vos debebit: vt eum ciuem retineatis: qui semper genus illud hominum, clamoresq; maximos pro vestra salute neglexit. quamobrem adeste animis Iudices, & timorem, si quẽ habetis, deponite. nam si vnquam de bonis, & fortibus viris, si vnquam de benemeritis ciuibus, potestas vobis iudicandi fuit: si denique vnquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est: vbi sua studia erga fortes & bonos ciues, quæ vultu & verbis sæpe significassent, re & sententijs declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnẽ vos habetis: vt statuatis, vtrum nos, qui semper vestræ authoritati diditi fuimus, semper miseri lugeamus. an diu vexati à perditissimis ciuibus aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutẽ sapientiam q; recreemur. quid enim nobis duobus laborioſius Iudices, quid magis sollicitum, magis exercitum, dici, aut fingi potest? qui spe amplissimorum exitiorum ad Rempub. adducti, metu crudelissimorũ præmiorũ carere non possumus. Et quidem cæteras tempestates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionũ, semper putaui Miloni esse subeundas: quod semper pro bonis contra improbos senserat. in iudicio vero & in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi

viri

viri iudicarent: nunquam existimaui spem vllam esse habituros Milonis inimicos, ad eius non salutem modo extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. quanquã in hac causa iudices Titi Anny tribunatu rebus omnibus pro salute Reip. gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur, nisi oculis videritis insidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi sumus, vt crimen hoc nobis multa propter præclara in Remp. merita condonetis: nec postulaturi, vt si mors P. Clodij salus vestra fuerit: iccirco eã virtuti Milonis potius, quàm populi Rom. felicitati assignetis. sed si illius insidiæ clariores hac luce fuerint: tum deniq; obsecrabo, obtestaborq; vos iudices: si cætera amisimus: hoc saltem nobis vt relinquatur: ab inimicorum audacia telisq; vitam vt impune liceat defendere. Sed antequam ad eam orationem veniam, quæ est propria nostræ quæstionis: videntur ea esse refutanda: quæ in Senatu sæpe ab inimicis, ab improbis sæpe iactata sunt: & in concione etiam paulo ante ab accusatoribus: vt omni errore sublato, rem planè quæ venit in iudicium videre possitis. Negant intueri lucem fas esse ei: qui à se hominem occisum fateatur. in qua tandem vrbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea: quæ primum iudiciũ de capite vidit M. Horatij fortissimi viri: qui nondũ libera ciuitate, tamen populi Rom. comitys liberatus est: cũ sua manu sororem esse interfectã fateretur. an est quisquam? qui hoc ignoret: cum de homine occiso quæratur: aut negari solere omnino esse factum: aut recte ac iure factum esse defendi. nisi vero existimatis dementem P. Africanum fuisse: qui cum à C. Carbone Tribuno pl. in concione seditiose interrogaretur, quid de T. Gracchi

morte



morte sentiret: respondit, iure cæsum videri. atq; enim posset aut Hala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule Senatus non nefarius haberi: si sceleratos ciues interfici nefas esset. Itaq; hoc Iud. non sine causa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt: eum, qui patris vlciscendi causa matrem necauisset: variatis hominum sententys, non solum humana, sed etiam deæ sapientissimæ sententia liberatum. Quod si duodecim tabulæ nocturnum furẽ quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt: quis est? qui quoquo modo quis interfectus sit: puniendum putet? cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus, atqui si tempus est vllum iure hominis necandi, quæ multa sunt: certe illud est non modo iustum, verum etiam necessariũ: cum vi vis illata defenditur. pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius imperatoris: interfectus ab eo est, cui vim afferebat. facere enim probus adolescens periculose, quàm perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus, scelere solutum periculo liberauit. insidiatori vero et latroni, quæ potest afferri iniusta nex? quid comitatus nostri? quid gladij volunt? quos habere certe non liceret: si vti illis nullo pacto liceret. Est enim hæc Iudices non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum etiam ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quã non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronũ, aut inimicorum incidisset: omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. silent enim leges inter arma: nec se

expectari

Pœna.

expectari iubent: cum [illegible] pectare velit, ante iniusta pœna luenda sit: quàm iusta repetenda. & si persapienter & quodammodo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi: quæ non modo hominem occidi, sed esse cũ telo hominis occidendi causa vetat: ut cum causa nõ telum quæreretur: qui sui defendendi causa telo esset vsus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. quapropter hoc maneat in causa Iudices: non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam: si id memineritis, quod obliuisci non potestis: insidiatorem iure interfici posse. Sequitur illud quod à Milonis inimicis sæpissime dicitur: cædẽ, qua P. Clodius occisus est: Senatum iudicasse contra Remp. esse factam. Illam vero Senatus non sententijs suis solum, sed etiam studijs comprobauit. quotiens enim est illa causa à nobis acta in Senatu? quibus assensionibus vniuersi ordinis? quã nec tacitis, nec occultis? quando enim frequentissimo Senatu quatuor ad summũ quinque sunt inuenti? qui Milonis causam non probarent? declarant huius ambusti Tribuni Pleb. illa intermortua conciones: quibus quotidie meam potentiam inuidiosè criminabatur: cũ diceret, Senatum nõ quod sentiret: sed quod ego vellem re decernere. quæ quidem si potentia est apellanda potius, quàm propter magna in Remp. merita mediocris in bonis causis authoritas: aut propter officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia: appelletur ita sanè: dummodo ea nos vtamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum. hanc vero quæstionem, etsi non est iniqua: nunquam tamen Senatus constituendã putauit, erant enim leges: erant quæstiones vel de cæde, vel de vi: nec tantum mœrorem, ac luctũ Senatui mors P. Clodij

Occasio.

Senatus frequens?

Criminatio.



Clodij afferebat: vt noua quæstio constitueretur. cuius enim Senatui de illo incesto stupro iudicium decernendi potestas esset erepta: de eius interitu quis potest credere senatum iudicium nouum constituendũ putasse? cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium Marci Lepidi, cædem hanc ipsam, contra Remp. Senatus factã esse decreuit? quia nulla vis vnquam est in libera ciuitate suscepta inter ciues non contra Rempublicam. non enim est vlla defensio contra vim vnquam optanda: sed nonnunquam est necessaria: nisi vero aut ille dies in quo T. Gracchus est cæsus: aut ille, quo Caius: aut quo arma Saturnini oppressa sunt: etiamsi è Republica, Remp. tamen non vulnerarunt. Itaq; ego ipse decreui, cum cædem in Appia factam esse constaret: non eũ, qui se defendisset, contra Remp. fecisse: sed cum inesset in re vis, & insidiæ: crimen iudicio reseruaui: rem notaui. quod si per furiosum illum tribunum, Senatui, quod sentiebat, perficere licuisset: nouam quæstionem nunc nullam haberemus. decernebat enim, vt veteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. diuisa sententia est postulante nescio quo: nihil enim necesse est omnium flagitia proferre: sic reliqua authoritas Senatus empta intercessione sublata est. At enim Cn. Pompeius rogatione sua, & de re, & de causa iudicauit. tulit enim de cæde, quæ in Appia via facta esset: in qua P. Clodius occisus fuit. quid ergo tulit? nempe vt quæreretur: quid porro quærendum est? factum ne sit? at constat a quo? at patet, vidit, etiam in confessione facti, iuris tamen defensionẽ suscipi posse. quod nisi vidisset: postea solui eum qui fateretur: cũ videret nos fateri: neq; quæri vnquam iussisset: nec vobis tam salutarem hanc

in

in iudicando litteram, quã illam tristem dedisset. Mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil grauius contra Milonẽ iudicasse: sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando spectare oporteret. nam qui non pœnam confessioni, sed defensionem dedit: is causam interitus quærendam, nõ interitum putauit. Iam illud dicet ipse profecto, quod sua sponte fecit: P. ne Clodio tribuendum putet, an tempori? Domi suæ nobilissimus vir, Senatus propugnator, atq; illis quidem temporibus pene patronus, auunculus huius nostri iudicis fortissimi viri Catonis, Tribunus pl. M. Drusus occisus est. nihil de eius morte populus cõsultus: nulla quæstio decreta à Senatu est. Quantum luctum in hac vrbe fuisse à nostris patribus accepimus: cum P. Africano domi suæ quiescenti illa nocturna vis esset illata? quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent: eius ne necessariam quidem expectatam esse mortem? num igitur vlla quæstio de Africani morte lata est? certe nulla. quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. Interest inter vitæ dignitatem summorum atq; infimorum: mors quidem illata per scelus ijsdem pœnis teneatur, & legibus: nisi forte magis erit parricida, si quis Consulare patrem, quam si quis humilem necauerit? aut eo mors atrocior erit P. Clody: quod is in monumentis maiorum suorũ sit interfectus? hoc enim sæpe ab istis dicitur: perinde quasi Appius ille cæcus viam munierit: non qua populus veteretur: sed vbi impune sui posteri latrocinarentur. itaq; in eadem ista Appia via cum ornatissimum equitem Ro. Marcũ Papirium occidisset: non fuit illud facinus puniendum. homo enim nobilis in suis

monumentis

monumentis equitem Ro. occiderat. nunc eiusdẽ Appia nomen quantas tragœdias excitat? quæ cruenta tot annis cæde honesti atq; innocentis viri silebatur: eadem nunc crebro vsurpatur: posteaquam latronis & parricidæ sanguine imbuta est. Sed quid ego illa cõmemoro? cõprehensus est in templo Castoris seruus P. Clodij: quem illad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. ex tanta est confitenti sica de manibus caruit foro postea Pompeius: caruit Senatu: caruit publico: ianua se, ac parietibus non iure legũ, iudiciorumq; texit. num quæ rogatio lata? num quæ noua quæstio decreta est? atqui sixes, scilicet, si tempus vllum dignum fuit: certe hæc in illa causa summa omnia fuerunt. insidiator erat, in foro collocatus, atq; in vestibulo ipso Senatus: ei viro autem mors parabatur: cuius in vita nitebatur salus ciuitatis: eo porrò Reipublicæ tempore: quo si vnus ille occidisset: non hæc solum ciuitas, sed gentes omnes concidissent. nisi forte, quia perfecta res non est: nõ fuit punienda. perinde quasi exitus rerum, non hominũ consilia legibus vindicentur. minus dolendum fuit re non perfecta: sed puniendum certe nihilominus. quotiens ipse Iudices ex P. Clody telis, & cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non mea, vel Reipublicæ fortuna seruasset: quis tandem de interitu meo quæstionẽ tulisset? Sed stulti sumus: qui Drusum, qui Africanum, Pompeiũ, nosmetipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. tolerabilia fuerunt illa: P. Clody mortem æquo animo nemo ferre potest: luget Senatus: mœret equester ordo: tota ex vrbis confecta senio est: squalent municipia: afflictantur coloniæ: agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarẽ, tam mansuetum ciuem desiderant. Non fuit ea cau-

sa Iudices, nõ fuit: cur sibi censeret Pompeius quæstionẽ ferendam. sed homo sapiens, & alta quadã mente preditus, multa vidit: fuisse sibi illum inimicũ: familiarem Milonem: in cõmuni omnium lætitia si etiam ipse gauderet: timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ. multa etiam alia vidit: sed illud maxime: quãuis atrociter ipse tulisset: vos tamen fortiter iudicaturos. itaq; delegit è florentissimis ordinibus ipsa lumina: neq; vero quod nonnulli dictitãt, secreuit in iudicibus legendis amicos meos. neq; enim hoc cogitauit vir iustissimus: neq; in bonis viris legendis id assequi potuisset: etiam si cupiisset. non enim mea gratia familiaritatibus consuetudines victus non possunt esse cum multis. sed si quid possumus: ex eo possumus: quod Respublica nos coniunxit cum multis. ex quibus ille cum optimos viros legeret: idq; maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur: non potuit legere nõ studiosos mei. quod vero te Cn. Domiti huic quæstioni præesse maxime voluit: nihil quæsiuit aliud nisi iusticiam, grauitatẽ, humanitatem, fidem. tulit vt consulare necesse esset: credo quod principum munus esse ducebat, resistere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. ex consularibus te creauit potissimum. dederas enim quã contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima. quamobrem iudices vt aliquando ad causam crimenq; veniamus: si neq; omnis confessio facti est inusitata: neq; de causa quicquam nostra aliter, ac nos vellemus, à Senatu iudicatum est: & lator ipse legis eã esset controuersia nulla facti: iuris tamẽ disceptationem esse voluit: & electi iudices, & isti præpositus quæstioni, qui hac iuste sapienterq; disceptet: reliquũ est Iudices: vt

nes: vt nihil iam aliud quærere debeatis: nisi vter vtri insidias fecerit. quod quo facilius argumentis perspicere possitis: rem gestam vobis dũ breuiter expono: quæso diligenter attendite. P. Clodius cum statuisset omni scelere in prætura vexare Rempublicã: videretq; ista tractata esse comitia anno superiore: vt nõ multum mensis præturã gerere posset: qui nõ honoris gradum festinaret, vt cæteri: sed & L. Paulum collegam effugere vellet singulari virtute ciuem: & annũ integrum ad dilacerandam Rempublicam quæreret: subito reliquit annum suum: seq; in annum proximũ transtulit: non religione aliqua, sed vt haberet, quod ipse dicebat: ad præturam gerendam, hoc est ad euertendam Rempublicam plenum annum, atq; integrum. occurrebat, manucam ac debilem præturam suam futuram consule Milone: eum porrò summo consensu populi Romani cõsulem fieri videbat: contulit se ad eius competitores: sed ita, totã vt petitionem ipse solus etiam inuitis illis gubernaret: tota vt comitia suis, vt dictitabat, humeris sustineret conuocabat tribus: se interponebat: coloniam nouã, delectum perditissimorum scribebat. ciuiũ. quanto ille plura miscebat: tanto hic magis in dies conualescebat. vbi vidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimũ virum, inimicissimũ suum, certissimũ consulem: idq; intellexit non solum sermonibus, sed etiã suffragiis populi Romani sæpe esse declaratum: palàm agere cœpit: & aperte dicere occidendũ Milonem. seruos egestate & barbaros, quibus syluas publicas depopulauerat: Hetruriam q; vexarat: ex Apennino deduxerat: quos videbatis: res erat minime obscura. etenim.

palàm dictitabat: consulatum Miloni eripi non posse: vitā posse. significauit hoc sæpe in Senatu: dixit in concione. quin etiā Fauonio fortissimo viro quærenti ex eo, qua spe fureret Milone viuo: respondit triduo illum, ad summum quatriduo periturū. quam vocē eius ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit. Interim cum sciret Clodius, neq; enim erat difficile scire, iter solenne, legitimū, necessarium, ante diem XIII Calend. Februarij Miloni esse Lanuuium ad flaminē prodendū: quod erat Dictator Lanuuy Milo: Roma subito ipse profectus pridie est: vt ante suum fundum, quod re intellectum est, Miloni insidias collocaret. atq; ita profectus est: vt concionem turbulentā, in qua eius furor desideratus est: quæ illo ipso die habita est, relinqueret. quā, missobire facinoris locū, tempusq; voluisset, nunquam reliquisset. Milo autem, cum in Senatu fuisset eo die, quoad Senatus dimissus est: domum venit: calceos & vestimenta mutauit: paulisper, dum se vxor, vt fit, cōparat, cōmoratus est: deinde profectus est id temporis, cū iam Clodius, siquidem eo die Romā venturus erat, redire potuisset. obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, vt solebat: sine vxore, quod nunquā ferè: cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset: cū vxore veheretur in rheda penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorumq; comitatu. fit obuiam Clodio ante fundum eius hora ferè vndecima. aut non multo secus. statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: aduersi rhedarium occidunt. cum autem hic de rheda reiecta penula desiluisset: scq; acri animo defenderet: illi, qui erant cū Clodio, gladijs eductis partim recurrere ad rhedā: vt à tergo Milonē adorirētur: partim quod hunc iā interfectum putarent, cædere incipiunt eius seruos, qui post erant. ex quibus, qui animo fideli in dominum erant: & præsentes fuerunt: partim occisi sunt: partim, cū ad rhedam pugnari viderent: & domino succurrere prohiberentur: Milonem q; occisum esse, etiam ex ipso Clodio audirent: fecerunt id serui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis causa, sed vt factum est) neq; imperante, neq; sciente, neq; præsente domino, quod suos quisq; seruos in tali re facere voluisset. hæc sicut exposui, ita gesta sunt Iudices: insidiator superatus, ui victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est, nihil dico quid Resp. consecuta sit: nihil quid vos: nihil quid omnes boni: nihil sanè id profit Miloni: qui hoc fato natus est, vt ne se quidē seruare potuerit: quin vnà Remp. una q; seruaret: si id iure non posset: nihil habeo quod defendā: sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & omnes gentibus, & feris natura ipsa præscripsit: vt omnem semper vim, quacunq; ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbū iudicare: quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint: aut illorum telis, aut vestris sententijs esse pereundum. quod si ita putasset: certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio non semel ab illo, neq; tum primum petitum: quàm iugulari à vobis: quia scilli non iugulandum tradidisset. sin hoc nemo vestrum ita sentit: illud iam in iudicium venit, non occisus ne sit: quod fatemur: sed iure, an iniuria: quod multis antea in causis iam quæsitum est. Insidias factas esse constat: & id est, quod Senatus contra Rempub. factū

iudicauit. ab vtro facta sint incertum est. de hoc igitur latum est, vt quæreretur. Ita & Senatus rem, non hominem notauit: & Pompeius de iure, non de facto quæstionem tulit. nunquid igitur aliud in iudicium venit: nisi vter vtri insidias fecerit? profecto nihil. si hic illi: vt ne sit impune. si ille huic: tum nos scelere soluamur.

Quo nam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria belua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas vtilitates fuisse. Itaq; illud Cassianum, cui bono fuerit: in his personis valeat: & si boni nullo emolumento impelluntur in fraudem: improbi sæpe paruo. Atqui Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur: non modo vt Prætor esset, non eo Consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam vt his consulibus Prætor esset: quibus si non adiuuantibus, at coniuentibus certe speraſſet se posse Rempub. eludere in illis suis cogitatis furoribus. cuius illi conatus, vt ille ratiocinabatur, nec, si cuperent, reprimere possent: cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: & si vellent: fortasse, vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam. An vero Iudices vos soli ignoratis? vos hospites in hac vrbe versamini? vestræ peregrinantur aures? neq; in hoc pernagato ciuitatis sermone versantur? quas ille leges (si leges nominandæ sunt, ac non faces vrbis, & pestes Reipub.) fuerit imposturus nobis omnibus, atq; inusturus? exhibe quæso Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum: quod te aiunt eripuisse è domo: & ex medys armis, turbaq; nocturna, tanquam palladium sustulisse: vt præclarum inde munus, ac instrumentum tribu-

ANNIO MILONE. 108

natus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses. & asperexit me quidem illis oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur. monet me quippe lumen curiæ. quid? tu me iratum Sexte putas tibi? cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es: quam erat humanitatis meæ postulare? tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo: tu in publicum eiecisti: tu spoliatum imaginibus, exequys, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. quam rem & si necessario fecisti: tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam: laudare non possum: irasci certe non debeo. P. Clodij præturam non sine maximo rerum nouarum motu proponi solutam esse videbatis: nisi esset is Consul: qui eam auderet, posset q; confringere. cum Milonem esse cum sentiret vniuersus populus Romanus: quis dubitaret suffragio suo se metu, periculo Rempub. liberare? At non P. Clodio vsitatis iam rebus obnitendum est Miloni, vt tueatur dignitatem suam. singularis illa huic vni concessa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis: ea morte Clodij cecidit. vos adepti estis, ne quem ciuem metueretis. hic exercitationem virtutis, suffragationem Consulatus, sontem perennem gloriæ suæ perdidit. itaq; Milonis Consulatus, qui viuo Clodio labefactari non poterat: mortuo deniq; tentari cœptus est. non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodij mors Miloni. at valuit odium: fecit iratus: fecit inimicus: fuit vltor iniuriæ: punitor doloris sui. quid? si hæc non dico maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone? sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odisset Clodium Milo,

segetem, ac materiam suæ gloriæ? præter hoc ciuile odiũ, quo omnes improbos odimus? ille erat vt odisset primũ defensorem salutis meæ: deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum: postremo etiam accusatorem suum. reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius? & in homine iniusto quam etiam iustum? reliquum est vt iam illum natura ipsius, consuetudoq́ defendat: huic autem hæc eadẽ coarguant. nihil per vim vnquam Clodius: omnia per vim Milo. quid ergo Iudices, cum mœrentibus vobis vrbe cessi: non seruos, non arma, non vim intentauit? quæ fuisset igitur causa restituendi mei: nisi fuisset iniusta ciyciendi? diem mihi credo dixerat: mulctam irrogarat: actionem perduellionis intenderat. & mihi Iudices in causa aut vestra mala, aut mea nec præclarissima etiam iudicium timendum fuit? seruorum, & egentium ciuium, & facinorosorum armis meos ciues meis consilijs periculisq́ seruatos pro me obijci nolui. vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium lumen & ornamentum Reipublicæ, penè interfici seruorum manu: cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus Senator, vir optimus, cum hoc cum esset vna, ita est mulctatus: vt vitam amiserit. itaq́ quando illius postea sica illa, quam à Catilina acceperat, conquieuit? hæc intentata nobis est: huic ego vos obijci pro me non sum passus: hæc insidiata Pompeio est: hæc istam Appiam viam monumentum sui nominis nece Papirij cruentauit: hæc eadem longo interuallo conuersa rursus est in me: nuper quidem vt scitis me ad regiam pene confecit. quid simile Milonis? cuius vis omnis hæc semper fuit: ne P. Clodius, cum in iudicium detrahi non posset: vi oppressam ciuitatem teneret: quem si interficere voluisset, quanta quotiens occasiones, quàm præclaræ fuerunt. potuit ne, cum domum, ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, iure se vlcisci? potuit ne ciue egregio & viro fortissimo P. Sextio collega suo vulnerato? potuit ne Fabricio viro optimo, cum de reditu meo legem ferret pulso, crudelissima in foro cæde facta? potuit ne L. Cæcilij iustissimi fortissimiq́ Prætoris oppugnata domo? potuit ne illo die, cum est lata lex de me: cum totius Italiæ concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnouisset? vt etiam si id Milo fecisset: cuncta ciuitas eam laudẽ pro sua vendicaret. atqui erat id temporis, clarissimus & fortissimus consul inimicus Clodio, P. Lentulus, vltor sceleris illius, propugnator Senatus, defensor vestræ voluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meæ: septem Prætores, octo Tribuni pl. illius aduersarij, defensores mei: Cn. Pompeius author & dux mei reditus, illius hostis: cuius sententiam Senatus omnis de salute mea grauissimam et ornatissimam secutus est: qui populum Ro. cohortatus est: qui cum de me decretum Capuæ fecisset, ipse cunctæ Italiæ cupienti, & eius fidem imploranti signum dedit: vt ad me restituendum Romam concurrerent. omnia tum denique in illum odia ciuium ardebant desiderio mei, quem qui tum interemisset: non de impunitate eius, sed de præmijs cogitaretur. tamen se Milo continuit: & P. Clodium ad iudicium bis, ad vim nunquam vocauit. quid? priuato Milone, & reo ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est? quæ tum non modo occasio, sed

etiam causa illius opprimendi fuit? nuper vero cum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset: grauissimamq; adolescens nobilissimus Reipublicæ partem fortissime suscepisset: atque illam beluam iudicij laqueos declinantem iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dij immortales, fuit? cum se ille fugiens in scalarum tenebris abdidisset: magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua inuidia, Antonij vero maxima gloria? quid? comitijs in campo, quotiens potestas fuit? cum ille in septa irruisset: gladios distringendos, lapides iaciendos curasset: dein subito vultu Milonis perterritus fugeret ad Tyberim: vos & omnes boni vota faceretis: vt Miloni vti virtute sua liceret? quæ igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum alicuius querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitauit occidere? præsertim Iudices cum honoris amplissimi contentio, & dies comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim quàm timida sit ambitio: quantaq;, & quàm sollicita cupiditas consulatus) omnia, non modo quæ reprehendi palàm, sed etiam quæ obscure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus: ora omnium atque oculos intuemur. nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile: quàm voluntas erga nos, sensusq; ciuium: qui non modo improbitati iracundiæ candidatorum: sed etiam recte factis sæpe fastidiunt. hunc diem igitur campi speratum, atq; exoptatum sibi proponens Milo cruentis manibus scelus, & facinus præ se ferens & confitens ad illa augusta Centuriarum auspicia veniebat? quàm hoc non



non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum? qui se, interfecto Milone regnaturũ putaret. quid? quod caput audaciæ est Iudices: quis ignorat? maximã illecebrã esse peccandi impunitatis spem? in vtro igitur hæc fuit? in Milone? qui etiã nunc reus est facti aut præclari, aut certe necessarij? an in Clodio? qui ita iudicia pœnamq; contempserat: vt eum nihil delectaret: quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret? Sed quid ego argumẽtor? quid plura disputo? te Q. Petilli appello optimum & fortissimum ciuem: te M. Cato testor: quos mihi diuina quædã sors dedit Iudices. vos ex M. Fauonio audistis Clodiũ sibi dixisse, & audistis viuo Clodio, periturũ Milonem triduo. post diem tertiũ gestã res est, quam dixerat. cum ille non dubitaret aperire quid cogitaret, vos potestis dubitare quid fecerit? quemadmodũ igitur eũ dies non fefellit? dixi equidem modo. dictatoris Lanuuij statuta sacrificia nosse negocij nihil erat: vidit necesse esse Miloni proficisci Lanuuiũ illo ipso, quo profectus est, die. itaq; anteuertit. at quo die? quo, vt ante diximus insanissima concio ab ipsius mercenario Tribuno pl. est concitata: quem diẽ ille, quam concionẽ, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, nunquã reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris: etiã causa manendi. Miloni nulla facultas manẽdi, excundi, nõ causa solum, sed etiã necessitas fuit. Quid? si vt ille sciuit, Milonem fore eo die in via: sic Clodium Milone suspicari quidem potuit? primum quæro, qui scire potuerit? quod vos idem in Clodio quærere non potestis, vt enim neminem alium nisi T. Patinam familiarissimum suum rogasset: scire potuit illo ipso die Lanuuij à Dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. sed erant permulti alij ex

ex quibus id facillime sciri posset. omnes Lanuuini. Milo de Clody reditu vnde quæsiuit? quæsierit sanè. videte quid vobis largiar. seruum etiam, vt Arius meus amicus dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. dixit C. Cassinius, cognomẽto Schola, Interamnis familiaris meus, & idem comes P. Clodij, cuius iam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamne fuerat, & Romæ: P. Clodium illo die in Albano mansurũ fuisse: sed subito ei fuisse nunciatum Cyrum architectum esse mortuum: itaq; Romam repente constituisse proficisci. dixit hoc comes item Publy Clodij, C. Clodius. videte Iudices quantæ res his testimonijs sunt confectæ. primũ certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse: vt insidiaretur in via Clodio: quippe qui ei obuius futurus omnino nõ erat. deinde, non enim video cur non meum agam negocium: scitis Iudices fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu cædem esse factã: consilio vero maioris alicuius. videlicet me latronem, ac sicarium abiecti homines & perditi describebant. iacent suis testibus ij, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro auditum esse, rediturum fuisse. respiraui: liberatus sum: non vereor, ne quod ne suspicari quidem potuerim: videar id cogitasse. nunc persequar cætera. nam occurrit illud, ne Clodius quidem de insidijs cogitauit: quoniam fuit in Albano mansurus. siquidem exiturus ad cædem è villa non fuisset. video enim illum, qui dicitur de Cyri morte nunciasse: non id nunciasse: sed Milonem appropinquare. nam quid de Cyro nunciaret? quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? vnà fui: testamentum simul obsignaui cum Clodio: testamentum autem palàm fecerat:



fecerat: & illum hæredem & me scripserat. quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset: eum mortuũ postridie hora decima ei nunciabatur? Age sit ita factum: quæ causa cur Romã properaret? cur in noctem conuiceret? quid afferebat festinatio? quod hæres erat? primum erat nihil cur properato opus esset? deinde siquid esset: quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset? amitteret autem si postridie mane Romã venisset? Atq; vt illi nocturnus ad vrbem aduentus vitandus potius, quàm expetendus fuit: sic Miloni cum insidiator esset, si illum ad vrbem noctu accessurum sciebat: subsistendum atq; expectandum fuit. noctu inuidioso & pleno latronũ in loco occidisset. nemo ei neganti non credidisset: quem omnes saluum etiam confitentem volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronũ occultator, et receptor locus: dum neq; muta solitudo indicasset: neq; cæca nox ostendisset Milonem: deinde vbi multa ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hac timentes in suspicionẽ caderent: tota deniq; rea citaretur Hetruria. Atq; illo die certe Aricia rediens diuertit Clodius ad Albanũ: quod, nisi sciret illum Milo Ariciæ fuisse: suspicari tamen debuit, cum, etiamsi Romam illo die reuerti vellet: ad villã suam, quæ viam tangeret, diuersurum. cur neq; ante occurrit, ne in villa resideret? nec eo in loco subsedit? quo ille noctu venturus esset? Video adhuc constare omnia Iudices: Miloni etiam vtile fuisse Clodium viuere. illi ad ea quæ concupierat optatissimum interitum Milonis fuisse. odium illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum. consuetudinẽ illius perpetuam in vi inferenda, huius tantum in repellenda. mortem ab illo denunciatam palàm Miloni et

pre-

prædicatam: nihil vnquam auditum ex Milone: profectionis huius diem illi notum. reditum illius huic ignotum fuisse: huius iter necessarium, illius etiã potius alienum: hunc præsetulisse illo die Roma exiturum: illum eo die se dissimulasse redirurũ: hunc nullius rei mutasse consilium: illum causam mutandi cõsilij finxisse: huic si insidiaretur nocte propè vrbem expectandum: illi, etiam si hunc non timeret: tamen accessum ad vrbem nocturnum fuisse metuendum. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, vbi congressi sunt, vtri tandẽ fuerit aptior? Id vero Iud. etiam dubitandũ & diutius cogitandum est? ante fundum Clodij, quo in fundo propter insanas illas substructiones, facile hominum mille versabatur valentiũ aduersari. atqui excelso loco superiorem se fore putabat Milo: & ob eam causam eum locum ad pugnam potissimum delegerat, an in eo loco potius expectandum ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? res loquitur Iudices ipsa: quæ semper valeat plurimum. si hæc non gesta audiretis: sed picta videretis: tamen appareret, vter esset insidiator: vter nihil cogitaret mali: cum alter veheretur in rheda penulatus: vnà sederet vxor. quid horum non impeditissimũ? vestitus? an vehiculum? an comes? quid minus promptum ad pugnam? cum penula irretitus, rheda impeditus, vxore penè constrictus esset, videte nunc illum, primũ egredientem è villa subito. cur vesperi? quid necesse est tarde? quid conuenit præsertim id temporis? diuertit in villam Pompey. Pompeium vt videret? sciebat in Alsiensi esse procul inde. villam vt perspiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat moræ, & tergiuersationis? dum hic veniret: locum relinque-



re noluit. Age nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum vxore, tum sine ea: nunquã non in rheda: tum in equo: comites græculi quocunq; ibat, etiam cum in castra Hetrusca properabat: tum nugarũ in comitatu nihil. Milo qui nunquam: tum casu pueros symphoniacos vxoris ducebat, & ancillarum greges. ille qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat: tum neminem, nisi vt virum à viro lectum esse diceres. cur igitur victus est? quia nõ semper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. nec vero sic erat vnquam non paratus Milo cõtra illum: vt non satis ferè esset paratus. semper ille, & quantũ interesset P. Clodij se perire: & quanto illi odio esset: & quantum ille auderet, cogitabat. quamobrem vitam suam, quam maximis præmijs propositam & petitam sciebat: nunquam in periculum sine præsidio & sine custodia prouehebat. adde casus: adde incertos exitus pugnarum, Martemq; communem: qui se spoliantem iam & exultantem euertit: & perculit ab abiecto: adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum à tergo hostem intercluſum reliquisset: nihil de eius extremis comitibus cogitauit: in quos incensos ira vitamq; domini desperantes cum incidisset: hæsit in his pœnis: quas ab eo serui fideles pro domini vita expetierunt. Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet ne indicaretur? ne dolorem perferre non possent? ne tormentis cogerentur occisum esse à seruis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri? quid opus est tortore? quid quæris? occiderit ne? occîdit iure an iniuria? nihil

hil ad tortorem. facti enim in eculeo quæstio est: Iurù in iudicio. quod igitur in causa quærendum est, id agamus. hoc quod tormentis inuenire vis: id fatemur. manu vero cur miserit, si id potius quæris: quàm cur parum amplis affecerit præmijs? nescis inimici factum reprehendere. dixit enim hic idē, qui omnia semper constanter, & fortiter, M. Cato: dixitq; in turbulenta concione: quæ tamen huius authoritate placata est: non libertate solum, sed etiam omnibus præmijs dimissimos fuisse: qui domini caput defendissent. quod enim præmium satis magnum est tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus seruis? propter quos viuit? et si id quidem non tanti est: quàm quod propter eosdem non sanguine & vulneribus suis, crudelissimi inimici mentem oculosq; faciunt. quos nisi manumisisset, tormentis etiā dedendi fuerunt, conseruatores domini, vltores sceleris, defensores necis? hic vero nihil habet in his malis: quod minus moleste ferat: quàm, etiam si quid ipsi accidat: esse tamē illis meritum præmium persolutum. Sed quæstiones vrgent Milonē: quæ sunt habitæ nunc in atrio Libertatis. quibus nam de seruis? rogas? de P. Clodij. quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. vnde? ab Appio. dij boni quid potest agi seuerius? de seruis nulla quæstio est in dominum, nisi de incestu: vt fuit in Clodium. proxime ad deos accessit Clodius: propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat: cuius de morte tanquam de cerimonijs violatis quæritur. sed tamen maiores nostri in dominum de seruo quæri noluerunt: non quia non posset verum inueniri: sed quia videbatur indignum esse, & domini morte ipsa tristius. in reum de seruis accusatoris cum quæritur, verum inueniri potest? Age vero qua



quærat: aut qualis quæstio? heus vbi Ruscio? vbi Cassi? Clodius insidias fecit Miloni? fecit. certa crux. nulla fecit. sperata libertas. quid hac quæstione certius? subito rapti in quæstionem tamen separantur à cæteris, & in vincas conijciuntur. ne quis cū his colloqui possit. hi centum dies penes accusatorem cum fuissent: ab eo ipso accusatore producti sunt. quid hac quæstione dici potest integrius? quid incorruptius? Quod si satis nondū cernitis, oculis ipsa tot, tam claris argumentis signisq; luceat: pure mente atq; integra Milonem nullo scelere imbutum, nulla metu perterritum, nulla conscientia exanimatū Romā reuertisse: recordamini per deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus eius? qui ingressus in forū ardente curia? quæ magnitudo animi? qui vultus? quæ oratio? neq; vero se populo solum, sed etiā Senatui tradidit: neq; Senatui modo, sed etiā publicis præsidijs, & armis, neq; his tantū, verum etiā ei potestati, cui Senatus totā Rem publicā, omnē Italiæ pubem, cunctā populi Romani armā cōmiserat. cui se nunquā profectò tradidisset: nisi cau se sua confideret: præsertim omnia audienti, magna meuenti, multa suspicanti, nōnulla credēti. Magna vis est conscientiæ Iudices: & magna in vtranq; partē: vt neq; timeant, qui nihil cōmiserint: & pœnā semper ante oculos versari putent, qui peccarint. neq; vero sine ratione certa causā Milonis semper à Senatu probata est. videbant enim sapientissimi homines, facti rationē, præsentiā animi, defensionis constantiam. an vero oblitisestis Iudices recenti illo nūcio necis Clodianæ, non modo inimicorum Milonis sermones, & opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum? qui negabant eum Romā esse re-

diturum? siue enim illud animo irato, ac perciito feciſſet: vt incenſus odio trucidaret inimicum: arbitrabantur eum tanti mortẽ P. Clody putaſſe: vt æquo animo patria careret: cũ ſanguine inimici expleſſet odium ſuum. ſiue etiam illius morte patriã liberare voluiſſet: non dubitaturum fortẽ virum: quin, cũ ſuo periculo ſalutem Reip. attuliſſet: cederet æquo animo legibus: ſecũ auferret gloriam ſempiternã: nobis hæc fruenda relinqueret: quæ ipſe ſeruaſſet. multi etiã Catilinam atq; illa portenta loquebantur: erumpet: occupabit aliquẽ locum: bellum patriæ faciet. miſeros interdũ ciues optime de Repub. meritos: in quibus homines nõ modo res præclariſſimas obliuiſcuntur: ſed etiã nefarias ſuſpicantur. ergo illa falſa fuerũt: quæ certe vera extitiſſẽt: ſi Milo admiſiſſet aliquid: quod non poſſet honeſte, vereq; defendere. quid? quæ poſtea ſunt in eum congeſta? quæ quamuis etiã mediocriũ delictorum conſcientiam perculiſſent: vt ſuſtinuit dy immortales? ſuſtinuit? immo vero vt contempſit? ac pro nihilo putauit? quæ neq; maximo animo nocens, neq; innocens, niſi fortiſſimus vir, negligere potuiſſet. ſcutorum, gladiorum, frenorum, ſtaxorum, pilorum q; etiam multitudo deprehendi poſſe iudicabatur: nullum in vrbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebant: in quo Miloni nõ eſſet conducta domus: armain villam Otriculanã deuecta Tyberi: domus in cliuo Capitolino ſcutis referta, plena omnia malleorum ad vrbis incendia comparatorũ. hæc non delata ſolum, ſed penè credita: nec ante repudiata ſunt: quàm quæſita. laudabã equidẽ incredibilem diligentiam Cn. Pompei: ſed dicam vt ſentio Iudices: nimis multa audire coguntur: neq; aliter facere

Admissio.

Qui nescit dissimulare nescit Imperare.

facere poſſunt ij: quibus tota cõmiſſa eſt Reſpublica quin etiam audiendus ſit Popa Licinius neſcio quis de circo maximo: ſeruos Milonis apud ſe ebrios factos, ſibi conſtitiſſe eſſe de interficiendo Cn. Pompeio coniuraſſe: de quo poſtea ſe gladio percuſſum eſſe ab vno de illis, ne indicaret: Pompeio in hortos nunciauit. arceſſor in primus: de amicorum ſententia rem defert ad Senatum. nõ poteram in illius mei patriæq; cuſtodis tanta ſuſpicione non metu exanimari. ſed mirabar tamen credi Popæ: eorum ſeruorum confeſſionem ſeruorum audiri: vulnus in latere quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari. verum etiam vt intelligo cauebat magis Pompeius, quàm timebat, non ea ſolum, quæ timenda erant, ſed omnia ne aliquid vos timeretis. oppugnata domus C. Cæſaris clariſſimi, & fortiſſimi viri per multas noctis horas nunciabatur. nemo audierat. tam celebri loco: nemo ſenſerat: tamen audiebatur. non poteram Cn. Pompeium præſtantiſſima virtute ciuẽ, timidum ſuſpicari. diligentiam, tota Rep. ſuſcepta, nimiã nullam putabã. frequentiſſimo Senatu nuper in Capitolio ſenator inuẽtus eſt: qui Milonem cum telo eſſe diceret. nudauit ſe in ſanctiſſimo templo: quoniam vitã talis & ciuis, & viri fidem non faciebat: niſi eo tacente res ipſa loqueretur. omnia falſa atq; inſidioſe ficta comperta ſunt. cũ tamen ſimetuitur etiam nunc Milo: nõ iam hoc Clodianũ crimen timemus: ſed tuas Cn. Pompei (te enim iã appello ea voce: vt me audire poſſis) tuas inquã ſuſpiciones perhorreſcimus. ſi Milonẽ times: ſi hũc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas: ſi Italiæ delectus, vt nonnulli cõquiſitores tui dicitant: ſi hæc arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ,

si vigiliæ, si delecta iuuentus, quæ tuum corpus domũq; custodit: contra Milonis impetum armata est: atq; illa omnia in hunc vnum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, & incredibilis animus, & non vnius viri vires, atq; opes indicantur: siquidem in hũc vnum & præstantissimus dux electus, & tota Respub. armata est. sed quis non intelligit, omnes tibi Reip. partes ægras, & labantes, vt eas his armis sanares, & confirmares, esse cõmissas? quod si Miloni locus datus esset: probasset profecto tibi ipsi, neminem vnquã hominẽ homini chariorem fuisse, quàm te sibi: nullũ se vnquã periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa ipsa teterrima pestẽ sæpissime pro tua gloria contendisse: Tribunatũ suum ad salutem meam, quæ tibi charissima fuisset, cõsilijs tuis gubernatum: se à te postea defensum in periculo capitis: adiutum in petitione Præturæ: duos se habere semper amicissimos speraſſe: te tuo beneficio: me suo. quæ si non probaret: si tibi ita penitus insedisset ista suspicio: nullo vt euelli modo posset: si deniq; Italia à delectu, vrbs ab armis, sine Milonis clade nunquã esset cõquietura: nã iste haud dubitans cessisset patria is, qui ita natus est, & ita consueuit: te Magne tamen attestaretur, quod nunc etiam facit: vide quàm sit varia vitæ, commutabilisq; ratio: quàm vaga, volubilisq; fortuna: quantæ infidelitates in amicis: quàm ad tempus aptæ simulationes: quantæ in periculis fugæ proximorũ: quãtæ timiditates. erit, erit illud profecto tempus & illuscet aliquando ille dies: cum tu salutaribus vt spero rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatus, qui quàm crebro accidat, experti debemus scire: & amicissimi beneuolentiã, & grauissimi hominis

hominis fidem, & vnius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres. Quanquã quis hoc credat? Cn. Pompeium iuris publici, moris maiorũ, ciuitatisq; publicæ peritissimum, cum Senatus ei commiserit, vt videret, ne quid Respub. detrimenti caperet: quo vno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis: hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium expectaturum fuisse in eius consilijs iudicandis: qui vel iudicia ipsa tolleret. satis iudicatum est à Pompeio: falsò ista conferri in Milonem: qui legem tulit: qua, vt ego sentio, Milonẽ absolui oporteret: vt omnes cõtentur, liceret. Quod vero in illo loco, atq; in illis publicorũ præsidiorum copijs circumfusus sedet: satis declarat, se nõ terrorẽ inferre vobis: quid enim illo minus diguum? quàm cogere vt vos eum condemnetis: in quẽ animaduertere ipse, & more maiorũ, & suo iure posset? sed præsidio esse: vt intelligatis, contra hesternam concionẽ illam licere vobis quod sentiatis, libere iudicare. Nec verme Iud. Clodianũ crimen mouet: nec tãsum demens, tumq; vestri sensus ignarus, atq; expers: vt nesciã quid de morte Clodij sentiatis. de qua si iam nollem ita diluere crimen, vt dilui: tamen impune Miloni palàm clamare atq; mentiri glorioſe liceret: occidi, occidi, non Spurium Melium, qui annona leuanda, iacturisq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur: in suspicionem incidit regni appetendi: non T. Gracchum, qui collegæ magistratum per seditionẽ abrogauit: quorum interfectores implerunt orbem terrarũ nominis sui gloria: sed eum (auderet enim dicere: cum patriam periculo suo liberasset) cuius nefarium adul-

teriũ in puluinaribus sanctissimis nobilissimæ fœminæ comprehenderunt: eum, cuius supplicio Senatus solennes religiones expiandas sæpe censuit: eum, quẽ cũ sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se quæstionibus habitis dixit cõperisse: eum, qui ciuem, quem Senatus, quẽ populus, quem omnes gentes, vrbis ac vitæ ciuium conseruatorem indicabant: sermonẽ armis exterminauit: eum, qui regna dedit: ademit: orbẽ terrarum quibus cũ voluit partitus est: eum, qui pluribus cædibus in foro factis singulari virtute & gloria ciuem, domũ vi & armis compulit: eum, cui nihil vnquã nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eũ, qui ædem Nympharum incendit: vt memoriã publicæ recensionis tabulis publicis impressam extingueret: eũ deniq; cui iam nulla lex erat: nullũ ciuile ius: nulli possessionum termini: qui non calumnia litium, nõ iniustis vindiciis, ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat: qui non solum Hetruscos (eos enim penitus contempserat) sed hunc Cn. Pompeium virum fortissimũ, atq; optimum ciuem, in dicẽ nostrum pellere possessionibus, armis, castrisq; conatus est: qui cũ architectis & decempedis villas multorum, hortosq; peragrabat: qui Ianiculo, & alpibus spẽ possessionum terminabat suarũ: qui cũ ab equite Romano splendidissimo & forti viro, T. Pacanio non impetrasset: vt insulam in lacu precio venderet: repente lyntribus in eã insulam materiam, calcẽ, cementa, atq; arma conuexit: dominoq; trans ripã inspectante nõ dubitauit ædificiũ extruere in alieno: qui huic T. Furfanio, cui viro dij immortales? (quid enim de mulierecula Sanctia? quid de adolescente Apronio dico? quorum vtriq; mortem est

tem est minitatus: nisi sibi hortorum possessione cessisset) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniã quantam poposcerat non dedisset: mortuum se in domũ eius illatum. qua inuidia huic esset tali viro conflagrandũ? qui Appium fratrem hominem mihi coniunctum fidelissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit: qui parietẽ sic per vestibulũ sororis instituit ducere: sic aggere fundamenta: vt sororẽ non modo vestibulo priuarat: sed omni aditu & lumine. quanquam hæc quidem iam tolerabilia videbantur: & si æqualiter in Rempublicam, in priuatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat. sed nescio quomodo iam vsu obdurauerat, & percalluerat ciuitatis incredibilis patientia. quæ vero aderant iam, & impendebant: quonam modo ea aut depellere potuissetis? aut ferre imperium? nisi ille nactus esset. omitto socios, exteras nationes, Reges, Tetrarchas (vota enim feceratis, vt in eos se potius mitteret: quàm in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias) à liberis dico, à liberis, medius fidius, et à coniugibus vestris nunquã ille effrenatas suas libidines cohibuisset. fingi hæc putatis, quæ patent? quæ nota omnibus? quæ tenentur? seruorum exercitus illũ in vrbe conscripturum fuisse: per quos totam Remp. resq; priuatas omnium possideret. Quamobrem si cruentum gladiũ tenens clamaret T. Annius: adeste quæso, atq; audite ciues P. Clodium interfeci: eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudicijs frenare poteramus: hoc ferro, & hac dextera à ceruicibus vestris repuli: per me vnũ est factum, vt eius effrenatus, equitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerent: enimuero timendum quonã modo

id factum ferret ciuitas? nunc enim quis est, qui nõ probet? qui non laudet? qui non vnum post hominũ memoriam T. Annium plurimum Reipub. profuisse, maximam lætitia popu. Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, & dicat, & sentiat? Nequeo vetera illa populi Romani quanta fuerint gaudia indicare. multas tamen iam summorum imperatorum clarissimas victorias ætas nostra vidit: quarum nulla neq; tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantã. mandate hoc memoriæ Iudices. spero multa vos liberos q; vestros in Repub. bona esse visuros. in his singulis ita semper existimabitis, viuo P. Clodio nihil horum vos visuros fuisse. in spem maximam, & quemadmodũ confido, verissimam adducti sumus: hunc ipsum annũ, hoc summo viro consule, concussa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus, & iudicijs constitutis, salutarẽ ciuitati fore. nunquis igitur est tam demens? qui hoc P. Clodio viuo contingere potuisse arbitretur? Quid? ea quæ tenetis priuata atq; vestra, dominante homine furioso, quod ius perpetuæ possessionis habere potuissent? non timeo Iud. ne odio inimicitiarum mearũ inflammatus, libentius hæc in illum euomere videar, quàm verius. etenim & si præcipuum esse debebat: tamen ita communis erat omniũ ille hostis: vt in communi odio penè æqualiter versaretur odium meum. non potest dici satis, ne cogitari quidẽ: quantum in illo sceleris, quantum exitij fuerit. quin sic attendite Iudices, nempe hæc est quæstio de interitu P. Clodij. fingite animis, liberæ enim sunt cogitationes nostræ: & quæ volunt sic intuentur: vt ea cernimus, quæ videmus. fingite igitur cogitatione imaginẽ huius conditionis meæ: si possim efficere vt Milonẽ absoluatis: sed ita, si P. Clodius reuixerit. quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos viuus affecerat: qui mortuus inani cogitatione percussit? quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea virtute ac fortuna est: vt ea potuerit semper, quæ nemo præter illum: si is inquã potuisset, vt quæ stionẽ de morte P. Clodij ferre: sic ipsum ab inferis excitare: vtrũ putatis potius facturũ fuisse? etiam si propter amicitiam vellet illũ ab inferis reuocare: propter Rempublicam, non feciisset. Eius igitur mortis sedetis vltores: cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis: & de eius nece lata quæstio est: qui si eadem lege reuiuiscere posset: lata lex nunquam esset. huius ergo interfector non esset in confitendo ab his impetraturus, ne pœnam timeret, quos liberauisset? Græci homines deorum honores tribuunt his viris, qui Tyrannos necauerunt, quæ ego vidi Athenis? quæ alijs in vrbibus Græciæ? quas res diuinas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmina? propè ad immortalitatem & religionem & memoriam consecrantur. vos tanti conseruatorem populi, tanti sceleris vltorem, non modo honoribus nullis afficietis: sed ad supplicium rapi etiã patiemini? confiteretur, confiteretur inquã si fecisset, & magno animo, & libenter, se fecisse libertatis omnium causã. quod certe ei non confitendum modo fuisset: verum etiam prædicandum. Etenim si id non negat: ex quo nihil petit, nisi vt ignoscatur: dubitaret id fateri: ex quo etiam præmia laudis essent petenda? nisi vero gratius putat esse vobis: sui se capitis, quàm vestri ordinis defensorem fuisse: cum præsertim in ea confessione, si grati esse velletis: honores assequeretur amplissimos. si factum vobis non probaretur (quanquam qui poterat salus sua

cuiq; non probari? ) sed tamen si minus fortissimi viri virtus ciuibus grata cecidisset: magno animo constantiq; cederet ex ingrata ciuitate. nam quid esset ingratius? quam lætari cæteros: lugere eum solum, propter quē cæteri lætarentur? quanquam hoc animo semper omnes fuimus in patriæ proditoribus opprimendis: vt quoniam nostra futura esset gloria: periculum quoq; & inuidiam nostram putaremus. nam quæ mihi contribuenda laus esset ipsi: cum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem: si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quæ mulier sceleratum ac perniciosum ciuem occidere non auderet? si periculum non timeret? proposita inuidia, morte, pœna, qui nihilo segnius Remp. defendit, is vir vere putandus est. populi grati est, præmijs afficere bene meritos de Rep. ciues: viri fortis ne supplicijs quidem moueri: vt fortiter feciſſe pœniteat. quamobrem vteretur eadem confessione T. Annius, qua Hala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi: & si grata Respub. esset, lætaretur: si ingrata, tum in graui fortuna conscientia sua niteretur. sed huius beneficij gratiā Iud. fortuna populi Romani, & vestra felicitas, & dij immortales sibi deberi putant. Nec vero quisquā aliter arbitrari potest: nisi qui nullā vim cœlestem existimat, numen ue diuinū: quem neq; imperij vestri magnitudo, neq; sol ille, nec cœli, & signorum motus, nec vicissitudines rerum, atq; ordines mouent: neq; id, quod maximum est, maiorum sapientia: qui sacra, qui cerimonias, qui auspicia & ipsi sanctissime coluerunt: & nobis suis posteris prodiderunt. Est, est profecto illa vis: neq; in his corporibus, atq; in hac imbecillitate nostra ineſt

ineſt quiddam, quod vigeat: & sentiat: & non ineſt in hoc tanto naturæ, tam præclaro motu. nisi forte iccirco non putant: quia non apparet, nec cernitur: perinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua prouidemus, qua hæc ipsa agimus, ac dicimus: videre, aut pla ne qualis, aut vbi sit, sentire possimus. Ea vis, ea est igitur: quæ sæpe incredibiles huic vrbi felicitates, atq; opes attulit: quæ illam perniciem extinxit, ac sustulit: cui primum mentem iniecit: vt vi irritare ferroq; lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur q; ab eo: quem si vicisset, habiturus esset impunitatem, & licentiam sempiternam. non est humano consilio, ne mediocri quidem Iudices deorum immortalium cura res illa per fecta: religiones mehercule ipsæ, aræq;, cum illam beluam cadere viderunt: commouisse se videntur: & ius in illo suum retinuisse. vos enim Albani tumuli atq; luci, vos inquam imploro, atq; obtestor: vos q; Albanorum obrutæ aræ sacrorum populi Romani sociæ, & æquales: quas ille præceps amentia, cæsis, prostratisq; sanctissimis lucis substructionum insanis molibus oppresserat: vestrum aræ, vestræ religiones vigerunt: vestra vis valuit: quam ille omni scelere polluerit: tuq; ex tuo edito monte Latialis sancte Iupiter, cuius ille lucus, nemora, finesq; sæpe omni nefario stupro, & scelere macularat: aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti. vobis ille, vobis vestro in conspectu seræ, sed iustæ tamen & debitæ pœnæ solutæ sunt. nisi forte hoc etiam casu factum esse dicimus: vt ante ipsum sacrarium Bonæ deæ, quod est in fundo T. Sextij Galli in primis honesti, & ornati adolescentis: ante ipsam inquam Bonam deam, tum prælium commisisset: primum illud vulnus acceperit.

perit: quo teterrimam mortem obiret: vt non absolutus iudicio illo nefario videretur: sed ad hanc insignem pœnam reseruatus. Nec vero non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiã: vt sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exequys, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore, & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent: amboreretur etiam abiectus. non fuisse credo fas clarissimorum virorũ formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre: neq; vllo in loco potius mortem eius lacerari: quàm in quo vita esset damnata. Dura mihi medius fidius iã fortuna populi Romani, & crudelis videbatur: quæ tot annos illũ in hanc Remp. insultare videret, & pateretur. polluerat stupro sanctissimas religiones: senatus grauissima decreta perfregerat: pecunia se palàm iudicibus redemerat: vexarat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro salute Reip. gesta rescinderat: me patria expulerat: bona diripuerat: domum incenderat: liberos, coniugem meam vexauerat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magistratuum priuatorumq; cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: vastarat Hetruriã: multos sedibus, ac fortunis eiecerat: instabat: vrgebat: capere eius amentiam ciuitas, Italia, prouinciæ, regna non poterant: incidebantur iam domi leges, quæ nos nostris seruis addicerent: nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset: quod non hoc anno suum fore putaret: obstabat eius cogitationibus nemo: præter illum Milonem ipsum, qui poterat obstare: Cn. Pompeium nouo reditu in gratiam quasi deuinctum arbitrabatur: Cæsaris potentiã, suam potentiam esse dicebat: bonorum animos etiam in

meo



meo casu contempserat: Milo vnus vrgebat. Hic dij immortales, vt supra dixi, mentẽ dederunt illi perdito, ac furiaso: vt huic faceret insidias. aliter perire pestis illa non potuit. nunquã illum Respub. suo iure esset vlta. Senatus credo Prætorem eum circunscripsisset? ne cum solebat quidem id facere, in priuato eodem hoc, aliquid profecerat. An Consules in Prætore coercendo fortes fuissent? primum Milone occiso habuisset suos Consules, deinde quis in eo Prætore Consul fortis esset? per quem tribunum, virum consularem crudelissime necatũ esse meminisset. omnia possideret: teneret lege noua, quæ est inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis: seruos nostros libertos suos feci sset: postremo, nisi eum dij immortales in eam mentem impulissent: vt homo effœminatus fortissimum virum conaretur occidere: hodie Remp. nullam haberetis. An ille Prætor, ille vero Consul si modo hæc templa, atq; ipsa mœnia stare eo viuo tam diu, & consulatum eius expectare potuissent: ille denique viuus, mali nihil fecisset? qui mortuus vno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miserius? quid acerbius? quid luctuosius vidimus? templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput orbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab vniuerso populo concessam vni ordini, inflammari: excindi: funestari. neq; id fieri à multitudine imperita: quanquam esset miserum id ipsum: sed ab vno, qui cũ tantũ ausus sit vltro pro mortuo: quid ille miser pro viuo non esset ausus? in curiam potissimum abiecit: vt eam mortuus incenderet: quam viuus euerterat. & sunt qui de via Appia querantur? taceant de cunis & quando ab eo spirante forũ potuisset defendi: cu-

ius

ius non resistiterit cadaueri curia? excitate, excitate eum si potestis à mortuis: frangetis impetum viui: cuius vix sustinetis furias insepulti. nisi vero sustinuistis eos: qui cũ facibus ad curiam cucurrerunt: cum falcibus, ad Castoris cum gladys toto foro volitarunt. cædi vidistis populũ Romanum: concionem gladys disturbari: cũ audiretur silentio M. Celius Tribunus pl. vir fortissimus, & in suscepta causa firmissimus, & bonorum voluntati & authoritati Senatus deditus, & in hac Milonis siue inuidia, siue fortuna singulari, diuina, & incredibili fide.

Sed iam satis multa de causa: extra causam etiã nimis fortasse multa, quid restat? nisi vt orem, obtesterq; vos Iudices: vt eam misericordiam tribuatis fortissimo viro: quam ipse non implorat: ego etiam repugnante hoc imploro & exposco. Nolite si in vestro omnium fletu nullam lachrymam aspexistis Milonis: si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatã videtis, hoc minus ei parcere. atq; haud scio, an multo etiam sit adiuuandus magis. etenim si in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione, atq; fortunæ, timidos & supplices, & vt viuere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes seruare cupimus, eorumq; nos magis miseret: qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis ciuibus facere debemus? me quidẽ Iudices exanimant & interimunt hæ voces Milonis quas audio assidue: & quibus interfum quotidie. valeant, inquit, valeant ciues mei: sint incolumes: sint florentes: sint beati: stet hæc vrbs præclara, mihiq; patria charissima, quoquomodo merita de me erit: tranquilla Rep.



ciues mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur: ego cedam, atq; abibo. si mihi Repub. bona frui non licuerit, at carebo malis: quamprimum tetigero beneficiam moratam, & liberam ciuitatem, in ea conquiescam. O fruſtra inquit suscepti mi labores: O spes fallaces: O cogitationes inanes meæ. Ego cum Tribunus plebis Rep. oppressa me Senatui dedissem, quem extinctum acceperã: equitibus Romanis, quorum vires erant debiles: bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant: mihi vnquã bonorum præsidium defuturum putarem? ego cum te (me cum enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem: mihi non futurum in patria putarem locum? vbi nunc Senatus est, quẽ secuti sumus? vbi equites Romani, illi, illi inquit tui? vbi studia municipiorum? vbi Italiæ voces? vbi denique tua M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, opi, & defensio? mihi ne ea soli, qui pro te totiens morti me obtuli, nihil potest opitulari? Nec vero hæc Iud. vt ego nunc flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. negat enim se, negat ingratis ciuibus feciſſe, quæ fecerit: inuidis & omnia circunspicientibus pericula, nõ negat plebem, & infimã multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis vestris imminebat: eam quo tutior esset vita nostra, se feciſſe commemorat, vt non modo virtute flectere vos: sed etiam tribus suis patrimonijs deliniret: nec timuit, cũ ne plebẽ muneribus placaret, vos non conciliarit vniuersis in Remp. singularibus: Senatus erga se benevolentiã temporibus his ipsis sæpe esse perspectã: vestras vero, & vestrorũ ordinum occursationes, studia, sermones quocunq; casum fortuna dederit, secũ ablaturũ esse dixerit: etiã sibi vocẽ præconis modo defuisse: q̃ mi-

nime desiderarit: populi vero cunctis suffragijs quod vnum cupierit, se Consulem declaratum. nunc deniq; si hæc contra se sint futura: sibi facinoris suspicionem nõ facti crimen obstare. addit hæc, quæ certe vera sunt: fortes & sapientes viros non tam præmia sequi solere recte factorum, quàm ipsa recte facta. se nihil in vita nisi præclarissime fecisse. siquidem nihil sit præstabilius viro, quàm periculis patriam liberare. beatos esse, quibus ea res honori fuerit à suis ciuibus: nec tamen eos miseros, qui beneficio ciues suos vicerint. Sed tamen ex omnibus præmijs virtutis: si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium gloriam. esse hanc etiam, quæ breuitatem vitæ posteritatis memoria consolaretur: quæ efficeret, vt absentes adessemus, mortui viueremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam homines in cœlũ videantur ascendere. De me inquit semper populus Romanus, semper omnes gentes loquentur: nulla vnquam obmutescet vetustas: quin hoc tempore ipso, cum omnes à suis inimicis faces inuidiæ meæ subijciantur: tamen omni in hominum cœtu gratys agendis, & gratulationibus habendis, & omni sermone celebramur. Omitto Hetruriæ festos & actos & institutos dies. centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij, & opinor vltra: quam fines imperij populi Romani sunt, non solum famaiam de illo, sed etiam lætitia peragrauit. quamobrem vbi corpus hoc sit, non inquit laboro: quoniam omnibus in terris & iam versatur, & semper habitabit nominis mei gloria. Hæc tu mecum sæpe his absentibus: sed iisdem audientibus, hæc ego tecum Milo. Te quidem quod isto animo es, satis laudare non possum: sed quo est illa magis diuina virtus: eo maiore a te dolore

dolore diuellor. nec vero si mihi eripueris: reliqua est illa tamen ad consolandum querela: vt his irasci possim, à quibus tantum vulnus accepero. non enim inimici mei mihi eripient, sed amicissimi: non male aliquando mecum meriti, sed optime. Nullũ vnquam Iudices mihi tantũ dolorem inuretis: & si quis potest esse tantus? sed hunc quidẽ ipsum: vt obliuiscar quanti me semper fecerit is. quæ si vos cœpit obliuio, aut si in me aliquid offendistis: cur non id meo capite potius luitur? quàm Milonis? præclare enim vixero: si quid mihi acciderit, prius, quam hoc tantum mali videro. nunc me vna consolatio sustentat: quod tibi ô T. Anni nullũ à me amoris: nullum studij, nullum pietatis officium defuit. ego inimicitias potentium pro te appetiui: ego meum sæpe corpus & vitæ obieci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te supplicem abieci: bona, fortunas meas, ac liberorũ eorum in communionem tuorum temporũ contuli: hoc [illegible] ipso die si qua vis est parata: si qua dimicatio capitis futura, deposco. quid iã restat? quid habeo? quid dicã? quid faciam pro tuis in me meritis? nisi vt eam fortunam, quæcunq; erit tua: ducã meam? non recuso: nõ abnuo: vos ó, obsecro Iudices: vt vestra beneficia, quæ in me contulistis: aut in huius salute augeatis: aut in eiusdem exitio occasura esse iubeatis. His lachrymis nõ mouetur Milo: est quodã incredibili robore animi: exiliũ ibi esse putat, vbi virtuti non sit locus: mortẽ naturæ finem esse, non pœnam. Sed hic ea mente, qua natus est. quid vos Iudices? quo tandem animo eritis? memoriã Milonis retinebitis? ipsum eiicietis? et erit dignior locus in terris vllus, qui hanc virtutẽ excipiat? quam hic, qui protexit? vos, vos appello fortissimi viri: qui multum pro

Rep. sanguinẽ effudistis: vos in viri, & in ciuis inuicti appello periculo Centuriones, vosq; milites: vobis nõ modo inspectantibus, sed etiã armatis, & huic iudicio præsidẽtibus, hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur? exterminabitur? eyicietur? O me miserum: O me infelicẽ: reuocare tu me in patriã Milo potuisti per hos: ego te in patria per eosdẽ retinere non potero? quid respondebo liberis meis? qui te parentem alterũ putant? quid tibi Q. frater? qui nunc abes: cõsorti mecũ temporum illorũ? me nõ potuisse Milonis salutẽ tueri per eosdem: per quos nostrã ille seruasset? at in qua causa non potuisse? quæ est grata gentibus. à quibus nõ potuisse? ab his, qui maxime P. Clodij morte acquierunt. quo deprecante? me. quodnam concepi tantũ scelus? aut quod in me tantũ facinus admisi Iudices? cũ illa indicia cõmunis exitij indagaui: patefeci: protuli: extinxi. omnes in me meosq; redundant ex illo fonte dolores. quid me reducẽ esse voluistis? an vt inspectante me expellerentur hi, per quos essem restitutus? nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorẽ reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. nam qui possum putare me restitutũ esse? si distrahor ab iis, per quos restitutus sum? Vtinã dij immortales fecissent (pace tua patria dixerim: metuo enim ne scelerate dicã in te: quod pro Milone dicãpie) vt P. Clodius non modo viueret: sed etiam Prætor, Consul, Dictator esset: antequã hoc spectaculum viderẽ: O dij immortales fortem, & à vobis Iud. conseruandum virũ. minime, minime inquit: immo vero pœnas ille debitas luerit: nos subeamus. si ita necesse est, non debitas. hiccine vir patriæ natus, vsquam nisi in patria morietur? aut si forte pro patria, huius vos animi monumenta retinebitis: corporis in Italia nullũ sepulchrum esse patiemini? hunc sua quisquã sententia ex hac vrbe expellet? quem omnes vrbes expulsum à vobis ad se vocabunt. O terram illam beatam: quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam, si eiecerit: miseram, si amiserit. sed finis sit: neq; enim præ lachrymis loqui possum: & hic se lachrymis defendi vetat. vos oro obtestorq; Iudices: vt in sententijs ferendis, quod sentietis, id audeatis. vestram virtutem, iusticiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit: qui in iudicibus legendis optimum & sapientissimam quenq; legit.

# PRO C. RABIRIO POSTHVMO. ORATIO XL.

SIquis est Iudices: qui C. Rabiriũ, quod suæ fortunæ fundatas præsertim, atq; optime cõstitutas opes potestati regiæ, libidiniq; cõmiserit: reprehendendũ putet: ascribat ad iudicium suũ non modo meam, sed huius etiã ipsius, qui commisit, sententiam. neq; enim cuiquã eius consilium vehemẽtius, quàm ipsi displicet. quanquã hoc plerunq; facimus, vt cõsilia euentis ponderemus: & cui bene quid processerit, multũ illum prouidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus. si extitisset in rege fides, nihil sapientius Posthumo: quia sefellit Rex, nihil hoc amentius dicitur: vt iam nihil esse videatur, nisi diuinare, sapientis. Sed tamen si quis est Iudices: qui illã Posthumi siue inanem spem, siue inconsultã rationem, siue, vt grauissimo verbo vtar, temeritatem, vituperandam putet: ego eius opinioni non repugno. illud tamen deprecor: vt cũ ab ipsa fortuna crudelissime videat huius consilia esse mulctata: ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppressus est, addendum acerbitatis putet. satis est homines imprudentia lapsos non erigere. vrgere vero iacentes, aut præcipitantes impellere, certe est inhumanũ. præsertim Iudices cum sit hoc generi hominum prope natura datum: vti qua in familia laus aliqua fortè floruerit: hanc fere qui sunt eius stirpis, quod sermo hominum ad memoriã patrum virtute celebretur, cupidissime persequantur. si quidẽ non modo in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in deuotione



tione vitæ, & in ipso genere mortis imitatus est P. Deciũ filius. sint igitur similia Iud. parua magnis. fuit enim pueris nobis huius pater C. Curius princeps ordinis equestris, fortissimus & maximus Publicanus: cuius in negotijs gerendis magnitudinẽ animi non tam homines probasse nisi in eodem benignitas incredibilis fuisset: vt in augendæ rei non auaritiæ prædã, sed instrumentum boni cuiusq; quærere videretur. Hoc ille natus, quamuis patrem suum nunquã viderat: tamen & natura ipsa duce, quæ plurimum valet: & assiduis domesticorum sermonibus, in paternæ gloriæ similitudinem deductus est multa gessit: multa contraxit: magnas partes habuit Publicanorum: credidit populis: in Iuribus prouincijs eius versatus est: dedit se etiã Regibus. huic ipsi Alexandrino grandem iam ante pecuniã credidit. nec interea locuples tuæ amicos vnquã suos destitit: mittere in negocium: dare parteis: augere: fide sustẽtare. quid multa? cũ magnitudine animi, tũ liberalitate, vitã patris, & consuetudinẽ expresserat. pulsus interea regno Ptolemæus dolo, consilijs (vt dixit Sibylla, sensit Posthumus) Romam venit. huic egenti, & roganti hic infœlix pecuniã credidit. nec tũ primum. nam regnanti crediderat absens: nec temere se credere putabat: quod erat nemini dubium: quin is in regnũ restitueretur à S.P.Q.R. In dando autem & credendo processit longius: nec suã sõlum pecuniã credidit: sed etiam amicorũ. stulte. quis negat? aut quis iã non admonet? quod male cecidit? bene consultũ putares. Id est difficile: quod cũ spe magna sis ingressus: id non exequi vsq; ad extremũ. supplex erat rex: multa rogabat: omnia pollicebatur: vt iam metuere Posthu-

mus cogeretur: ne quod crediderat, perderet: si credendi cõstituisset modum. nihil autẽ erat illo blandius: nihil hoc benignius: vt magis pœniteret cœpisse: quã liceret desistere. hinc primum exoritur crimen illud: Senatum corruptũ esse dicunt. O dij immortales, hæc est illa exoptata iudiciorum seueritas? corruptores nostri causam dicunt: nos qui corrupti sumus, nõ dicimus. quid ego Senatum defendam hoc loco Iudices? omni equidẽ loco de bona ita de me est meritus ille ordo. sed id nec agitur hoc tempore: nec cum Posthumi causa, res ista coniuncta est. quanquã ad sumptum itineris, ad illam magnificentiã apparatus, comitatũq; regiũ, suppeditata pecunia à Posthumo est: factæq; syngraphæ sunt in Albano Cn. Pompey: cum ille Roma profectus esset: tamen non debuit is qui dabat: quo ille, qui accipiebat, consumeret, quærere: non enim latroni, sed Regi credidit: nec Regi inimico populi Romani: sed ei, cuius reditum Consuli datum à Senatu videbat. nec ei Regi, qui alienus ab hoc imperio esset: sed ei, qui cum fœdus feriri in Capitolio viderat. quod si creditor in culpa sit: non qui improbe credita pecunia vsus: damnetur is, qui fabricatus gladium est: & vendidit: nõis, qui illo gladio cuem aliquẽ interemit. Quamobrem neq; tu C. Memmi hoc facere debes: vt Senatũ, cuius authoritati te ab adolescentia dedisti: in tanta infamia versari velis: neq; ego id, quod non agitur, defendere. Posthumi enim causa: quæcunque est, seiuncta à Senatu est. Quod si item à Gabinio seiunctam ostendero: certe quod dicas, nihil habebis. est enim hæc causa: quo ea pecunia peruenerit: quasi quædã appendicula causæ iudicatæ, atq; damnatæ. sunt lites æstimatæ A. Gabinio: nec prædes dati: nec ex eius bonis,



nis, quanta summa litiũ fuisset, à pop. recipi lex æqua est. Lex Iulia. Iubet lex Iulia persequi abys, ad quos ea pecunia, quã quæsierit, qui damnatus sit, peruenerit. si est hoc nouũ in lege Iulia: sicuti multa sunt seuerius scripta, quàm in antiquis legibus, & sanctius iudicata: sanè etiam consuetudo huius generis iudiciorum noua sit, hoc toti idem verbis translatum caput est: quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Seruilia. per deos immortales quid agitur Iudices? aut quem hunc morem nouorum iudiciorũ in Rempub. inducimus? erat enim hæc consuetudo, nota vobis quidem omnibus. sed si vsus magister est optimus: mihi debet esse notissima. accusaui de pecunijs repetundis: Iudex sedi: Prætor quæsiui: defendi plurimos: nulla pars, quæ aliquam facultatem dicendi afferre posset, non mea fuit. ita contendo: neminem vnquam, quo ea pecunia peruenisset, causam dixisse: qui æstimandis litibus appellatus non esset. in litibus autem nemo appellatur: nisi ex testium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum. Itaq; in infrendis litibus adesse solebant: qui aliquid de se verebantur: & cum erant appellati: si videbatur, statim contradicere solebant. sin eius temporis recentem inuidiam pertimuerant, respondebant postea, quod cum fecissent, permulti sæpe vincerunt. hoc vero nouum est: ante hoc tempus omnino inauditum: in litibus Posthumi nomen est nusquam. in litibus dico? modo vos idem in A. Gabinium Iudices sedistis. num quis testis Posthumũ appellauit? testis autem? nũ accusator? num deniq; toto illo iudicio Posthumi nomẽ audistis? nõ igitur reus ex ea causa quæ iudicata est, redũdat Posthumus: sed est arreptus vnus eques Rom. de pecunijs repe-

tundis reus. quibus tabulis? quæ in iudicio à Gabinio re citatæ non sunt. quo teste? à quo tum appellatus nusquã est. qua appellatione litiũ? in qua Posthumi mentio facta nulla est. qua lege? qua non tenetur. Hic iam Iud. vestri consilij res est: vestræ sapientiæ: quid deceat, vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis. si enim quid liceat, quæritis: potestis tollere è ciuitate, quẽ vultis. tabella est, quæ dat potestatem: occultat eadẽ libidinem. cuius conscientia nihil est, quod quisquã timeat, si non pertimescat suam. vbi est igitur sapientia Iudicis? in hoc: vt non solum quid possit, sed etiã quid debeat, ponderet: nec quantũ sibi permissum, meminerit solum: sed etiam quatenus commissum sit. datur tibi tabella iudicij qua lege? Iulia de pecunijs repetundis. de quo reo? de Equite Romano. at iste ordo lege ea non tenetur. illo inquit capite, quod erat in Posthumũ: quod in Gabiniũ iudex esses. nihil Gabinio datum: cum in eum lites æstimarẽtur. at nunc audio: reus igitur Posthumus est ea lege: qua non modo ipse, sed totus etiam ordo solutus, ac liber est. Hic ego nunc non vos prius implorabo Equites Romani, quorum ius iudicio tentatur: quàm vos Senatores, quorum agitur fides in hunc ordinem: quæ quidem cum sæpe ante, tum in hac ipsa causa nuper est cognita. nam cum optimo, & præstantissimo Consule Cn. Pompeio de hac ipsa quæstione referente, existerent nonnulli, sed perpauci tamen acerbæ sententiæ: quæ censerent, vt Tribuni, vt Præfecti, vt Scribæ, vt comites omnes magistratum lege hac tenerentur: vos, vos inquam ipsi, & Senatus frequens restitit: & quanquam tum propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum tempus illud exarserat: tamen cum odium non



non restingueretis, huic ordini ignem nouum subijci nõ passus. hoc animo igitur Senatus. quid vos equites Romani, quid tandem estis acturi? Glaucia solebat homo impurus, sed tamen acutus populũ monere: vt cum lex aliqua recitaretur: primum versum attenderet: si esset, Dictator, Consul, Prætor, Magister equitum, ne laboraret: sciret nihil ad se pertinere. sin autem, quicunq; post hanc legem: videret ne qua noua quæstione alligaretur. Nunc vos equites Romani videte. scitis me ortum è vobis, omnia semper scinsisse pro vobis: nihil horum sine magna cura, & summa charitate vestri ordinis loquor: alius alios homines, & ordines, ego vos semper complexus sum. moneo, & prædico: integra re causæ, denuncio: omnes homines deosq; testor: dum potestis: dum licet: prouidete, ne duriorem vobis conditionem statuatis ordiniq; vestro: quàm ferre possit. serpet hoc malum, mihi credite, longius quam putatis. potentissimo, & nobilissimo tribuno Pl. M. Druso vnam in equestrem ordinem quæstionem ferenti: si quis obrem iudicatam pecuniam cœpisset: aperte equites Romani restiterunt. quid? hoc licere volebant? minime. neq; solum hoc genus pecuniæ capiendæ turpe, sed etiam nefarium arbitrabantur. attamen ita disputabant: eos veteribus legibus oportere: qui suo iudicio essent illam conditionem vitæ secuti. delectat amplissimus ciuitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, prouinciæ, sacerdotia, triumphi denig; imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita: est simul etiam sollicitudo aliqua, & legum, & iudiciorum maiorum quidam metus. nos ista nunquam contempsimus (ita enim disputabant) sed hanc vitam quietam, atque ociosam secuti sumus. quæ quo-

niam honore caret: careat etiam molestia. tam es tu Iudex, quã ego Senator. ita est. sed tu istud petijsti: ego hoc cogor. quare aut iudici mihi non esse liceat: aut legem, lege Senatoria non timere. hoc vos equites Romani ius à patribus acceptum amittetis? moneo, ne faciatis. rapiextur homines in hæc iudicia ex omni non modo inuidia, sed sermone maleuolorum: nisi cauetis. Si iam vobis nunciaretur in Senatu sententias dici: vt his legibus teneremini: concurrendum ad curiam putaretis: si lex ferretur: conuolaretis ad rostra. vos Senatus liberos hac lege esse voluit: populus nunquam alligauit: soluti huc conueniistis: ne constricti discedatis: cauete. nam si Posthumo fraudi fuerit: qui nec Tribunus, nec Præfectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinij fuit: quonam se modo defendent posthac, qui vestri ordinis cum magistratibus nostris fuerint his causis implicati? Tu inquit Gabinium, vt Regem reduceret, impulisti. non patitur mea etiam fides de Gabinio grauius agere: quẽ enim ex tantis inimicitijs receptum in gratiam summo studio defenderim: hunc afflictum violare non debeo. quo cum stante si me Cn. Pompeij authoritas in gratiam non reduxisset: nunc iam ipsius fortuna reduceret. sed tamen, cum ita dicis: Posthumi impulsu Gabinium profectum Alexandriam: si defensioni Gabinij fidem non habes: obliuiscere ne etiam accusationis tuæ? Gabinius se id fecisse dicebat Reipublicæ causa: quod classem Archelai timeret: quod mare refertum fore prædonum putaret. lege etiam id sibi licuisse dicebat. tu inimicus negas: ignosco: & eo magis, quod est contra illud iudicatum. redeo igitur ad crimen & accusationem tuam. quid vociferabare decẽ millia talentũ Gabinio esse promissa? huic videlicet



delicet perblandus reperiendus fuit: qui hominem, vt tu vis, auarissimum exoraret. sestertium bis millies & quadringenties ne magnopere contemneret. Gabinius illud quoquo consilio fecit, fecit certe suo: quæcunq; mens illa fuit, Gabinij fuit. siue ille vt ipse dicebat, gloriam, siue, vt tu vis, pecuniam quæsiuit: quæsiuit sibi. num Gabinij comes, vel sectator? negat: non ad Gabinij cuius id negocium erat: sed ad P. Lentuli clarissimi viri authoritatem, à Senatu profectam, & consilio certo, & spe non dubia, Romam contenderet. At Dioeetes fuit regius: & quidẽ in custodia etiam fuit regia: & vita eius oblata pœnæ est. multa præterea, quæ libido Regis, quæ necessitas coegit ferre, pertulit. quare omniũ rerum vna reprehensio est: quod regnum intrarit: quod potestati se Regis commiserit. verum si quærimus, stulte. quid enim stultius? quã quitem Ro. ex hac vrbe, huius inquam Reipub. ciuem, quæ est vna maxime, & fuit semper libera: venire in eum locum: vbi parendum alteri, & seruiendum sit? Sed ego in hoc tandem Posthumo non ignoscam homini mediocriter docto? qui videam sapientissimos homines esse lapsos? virum vnum totius Græciæ facile doctissimum Platonem, iniquitate Dionysij Siciliæ Tyranni, cui se ille commiserat: in maximis periculis insidijsq; esse versatum accepimus: Callisthenem doctum hominẽ comitem Magni Alexandri ab Alexandro necatũ: Demetrium & ex Republica Athenis, quam optime digesserat: & ex doctrina nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus est: in eodem isto Aegypti regno aspide ad corpus admota vita esse priuatum. planè confiteor fieri nihil posse dementius: quàm scientem in eum locum venire, vbi libertatem sis perditurus. sed huius istius fa-

cti

Rabirio Posthumo. 127

Ali stultitiam maiorem superior stultitia defendit. quæ facit vt hoc stultissimum facinus, quod in Regnum venerit: quod regi se commiserit: sapienter factum esse videatur. siquidem tam semper stulti, quàm sero sapientis est: cum stultitia sua impeditus sit: quoquomodo possit se expedire. Quamobrem illud maneat, & fixum sit: quod negȝ moueri, negȝ mutari potest: in quo æqui sperasse Posthumum dicunt: peccasse iniqui. ipse etiam insanisse se confitetur: quod suam, quod amicorum pecuniam Regi crediderit cum tanto fortunarum suarum periculo. hoc quidem semel suscepto, atqȝ contracto, perpetienda illa fuerunt: vt se aliquãdo ad suos vindicaret. itaqȝ obycias licet, quam voles. sæpe palliatum fuisse: aliqua habuisse non Romani hominis insignia: quotiens eorum quippiã dices: totiens vnum dices: atqȝ illud, temere hunc pecuniam Regi credidisse: suas fortunas, atqȝ famam libidini regiæ commisisse. fecerat temere: fateor: mutari factum iam nullo modo poterat: aut pallium sumendum Alexandriæ, vt & Romæ togato esse liceret: aut omnes fortunæ abiciendæ: si togam retinuisset. deliciarum causa, & voluptatis, non modo ciues Romanos, sed & nobilis adolescentis, et quosdam etiam Senatores summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe vidimus. chlamydatum illum L. Syllam Imperatore, L. vero Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumq; deuicit: non solum cum chlamyde, sed etiam cum causia in Capitolio statuam videtis. quorum impunitas fuit non modo à iudicio, sed etiam à sermone. facilius certe P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defenderet: qui cũ à Mythridate Mytilenis oppressus esset crudelitatem

delitatem Regis in togatos, vestitus mutatione vitauit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus vestris virtutis, antiquitatis, prudentiæ. Consularis homo soccos habuit, & palliũ: nec vero id hominitũ quisquam, sed tempori assignandum putauit. Posthumo crimen vestitus afferet, is, in quo spes fuit, posse sese aliquando ad fortunas suas peruenire? nã vt ventũ est Alexandriã ad Auletem Iudices: hæc vna ratio à rege proposita Posthumo est seruandæ pecuniæ: si curationem, & quasi dispensationem regiam suscepisset. id autem facere non poterat nisi Diœcetes: hoc enim nomine vtitur, qui à rege esset constitutus. odiosum negocium Posthumo videbatur. sed erat nulla omnino recusatio. molestum etiam nomen ipsum. sed res habebat nomen hoc apud illos, non hic imposuerat. oderat vestitum etiam illum: sed sine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. ergo aderatavis (vt ait Poeta ille noster) quæ summas frangit infirmatqȝ opes. moreretur inquies. nam id sequitur. Sic esset certe: si sine maximo dedecore tam impeditis suis rebus potuisset emori. nolite igitur fortunam conuertere in culpam: neq; regis iniuriam, huius crimen putare: nec consilium ex necessitate, nec voluntatem ex vi interpretari. nisi forte eos etiam, qui in hostes, aut in prædones inciderint: si aliter quippiam coacti faciant quã libere vituperandos putes. nemo nostrum ignorat, etiam si experti non sumus: consuetudinem regiam. regum autem sunt hæc imperia, animaduerte, & dicto pare. & præter rogitatum si quærare: & illæ minæ, si te secundo lumine hic offendero, moriere. quæ non vt delectemur solum legere & spectare debemus: sed vt cauere etiam, & effugere discamus. At ex hoc ipso crimen exoritur.

ait

ait enim, dum Gabinio pecuniã Posthumus cogeret ex decumis Imperatorum: pecuniam sibi coëgisse. non intelligo hoc quale sit: vtrum accessionem decumæ, vt nostri facere coactores solent centesimæ, an decessionem de summa fecerit. si accessionem: vndecim millia talentum ad Gabinium peruenerunt. at non modo abs te decẽ millia abiecta sunt, sed etiam ab his æstimata. addo illud etiã: qui tandem conuenit, aut tam graui onere tributorum ad tantam pecuniam cogendam mille talentũm accessionem esse factã: aut in tanta mercede hominis, vt vis auarissimi, mille talentũm decessionem esse concessam? neq; enim fuit Gabinij, remittere tantum de suo: nec Regis, imponere tantum pati suis. aderunt testes Legati Alexandrini. hi nihil in Gabiniũ dixerunt. immo hi Gabinium laudauerunt. vbi ergo ille mos? vbi consuetudo iudiciorum? vbi exempla? solet ne is dicere in eum, qui pecuniam redegit, * qui in illum cuius nomine à pecunia redigeretur, non dixerit? Age si is, qui nõ dixit, solet: etiam, ne is solet, qui laudauit? ijsdem testibus, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præiudicatarem ad has causas deferri solet? & ait etiam meus familiaris, & necessarius: eandem causam Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium: quæ mihi fuerat, cur eundem defenderem. mihi C. Memmi causã defendendi Gabinij fuit reconciliatio gratiæ. neq; me vero pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. nam si me inuitũ putas, ne Cn. Pompeij animum offenderem, defendisse: causam, & illum, & me vehementer ignoras. neq; enim Pompeius me sua causã quicquam facere voluisset inuitum: neq; ego, cui omnium ciuiũ libertas charissima fuisset, meã proiecissem. quamdiu



diu inimicissimus Gabinio fui: non amicissimus mihi non Pompeius fuit. nec postea quàm illius authoritate rem dedi veniam, quam debui, quicquam simulaui: vt cum mea perfidia illi etiam ipsi facerem, cui beneficium dedissem: iniuriam. nam non redeundo in gratiam cum inimico, non violabam Pompeium. si per eum reductus insidiose rediissem: me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem. At de me omittamus. ad Alexandrinos istos reuertamur. quod habent os? quam audaciam? modo vobis inspectantibus in iudicio Gabinij tertio quoque verbo excitabantur. negabant pecuniam Gabinio datam. recitabatur identidẽ Pompeij testimonium: Regem ad se scripsisse nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem datam. non est inquit tum Alexandrinis testibus creditum. quid? postea creditum? non. quamobrem? quia nunc aiunt: quod tũ negabant. quid ergo? ista conditio est testium? vt quibus creditum non sit negantibus: iisdem credatur dicentibus? at si verum tum cum verissima fronte dixerunt: nunc mentiuntur. si tunc mentiti sunt: doceant nos verum. quid vultis? fileant. dicere audiebamus Alexandriam nunc cognoscimus: illinc omnes præstigiæ: illinc inquam omnes fallaciæ: omnia denig; ab his nummorum argumenta nata sunt. nec mihi longius quicquã est Iudices: quàm videre hominum vultus. dixerunt hic modo nobiscum ad hæc subsellia quibus superciliys renuentibus decem millium crimini? iam nostis insulsitatem Graecorũ. humeris gestum agebant. tum temporis credo causa: nũc scilicet tempus nullũ est. vbi semel quis peierauerit: ei credi postea, etiam si per plureis deos iuret, nõ oportet. præsertim Ind. cum in his iudicijs, ne locus

quidem

quidem nouo testi soleat esse: ob eamq; causam iydem iudices retineantur, qui fuerint de reo: vt his nota sint omnia, neq; quid fingi noui possit. lites quo ea pecunia peruenerit: non suis proprys iudicys in reum facti condemnari solent. Itaq; si aut prædes dedisset Gabinius: aut tantum ex eius bonis, quanta summa litiũ fuisset: populus recepisset: quamuis magna ad Posthumum ab eo pecunia peruenisset, non redigeretur: vt intelligi facile possit: quod ex ea pecunia ad quem eorum, qui damnatus est, peruenisse in illo primo iudicio planũ factum sit: id hoc genere iudicy redigi solere. nunc vero quid agitur? vbi terrarum sumus? quid tam insolens, tam peruersum præposterumue dici, aut excogitari potest? Accusatur is, qui non abstulit à rege, sicut Gabinius iudicatus est: sed qui maximã Regi pecuniam credidit. ergo is Gabinio dedit: qui non huic reddidit. iam cedo: cum is qui pecuniam Posthumo debuit: non huic, sed Gabinio dederit: condemnato Gabinio, vtrum illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet? At habet, & celat. sunt enim qui ita loquantur. quod genus tandem est istud ostentationis, & gloriæ? si nihil habuisset vnquam: tamen si quæsisset: cur is dissimularet habere, causa non esset. qui vero duo lauta & copiosa patrimonia accepisset: remq; præterea bonis, & honestis rationibus auxisset: quid esset tandem causæ, cur æstimari vellet nihil habere? An cum credebat inductus vsuris, id agebat: vt haberet quàm plurimum? posteaquam exegit, quod crediderat: vt existimaretur egere, nouum genus hoc gloriæ concupiscit? Dominatus est enim inquit Alexandriæ. immo vero in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiam: vidit in vinculis familiares suos: mors ob oculos

ob oculos sæpe versata est: nudus atq; egens ad extremũ inter regno. At permutata aliquando pecunia est. duæ naues Posthumi Puteolis sunt: auditæ, visæq; mercs fallaces quidem & fucosæ, chartis, & linteis, & vitro dealbatæ: quibus cum multæ naues refertæ fuissent: vna nõ potuit parua artata. plus ille Puteolanus sermo illius tẽporis, vectorumq; cursus, atq; ostentatio, tum subinuisum apud maleuolos Posthumi nomen propter opinionem pecuniæ nescio quam, ætatem vnã complures annos reperstitistis sermonibus. verum autem Iud. si scire vultis: nisi C. Cæsaris summa in omneis, incredibilis in hunc eadem liberalitas extitisset: nos hũc Posthumum iam pridem in fõro non haberemus. ille onera multorum huius amicorũ excepit vnus: quæq; multi homines necessarij secundis Posthumi rebus descripta sustinuerunt: hũc eius afflictis fortunis vniuersa sustinet. vmbrã Equitis Rom. & imaginem videtis Iudices vnius amici conseruatam auxilio & fide. nihil huic eripi potest præter hoc simulachrum pristinæ dignitatis: quod Cæsar solus tuetur, & sustinet. quæ quidẽ in miserrimis rebus huic tamẽ tribuenda est maxima. nisi vero hoc mediocri virtute effici potest? vt tantus ille vir, tanti ducat hunc, & afflictum præsertim & absentem: & in tanta fortuna sua, vt alienа respicere magnum sit: tanta oppugnationem maximarũ rerum, quas gerit, atq; gessit: vt vel oblivisci aliorum non sit mirum: vel se reminerit, oblitum esse facile possit probare. multas equidẽ C. Cæsaris virtutes magnas incredibileisq; cognoui. sed sunt cæteræ maioribus quasi theatris propositæ, & penè populares. castris locum capere: exercitũ instruere: expugnare vrbes: aciẽ hostium profligare: hanc vim frigorum hyememq;, quã

Virtutes Cæsaris.

nos vix huius vrbis tectis sustinemus. excipere: his ipsis diebus hostem persequi: tum cum etiã feræ latibulis se tegant, atq; omnia bella iure gentium conquiescant. sunt ea quidem magna, quis negat? sed magnis excitata sunt præmijs ad memoriã hominũ sempiternam. quo minus admirandũ est: eum facere illa, qui immortalitatem cõcupierit. hæc mira laus est: quæ non poëtarum carminibus, non annaliũ monumentis celebratur: sed prudentiũ iudicio expenditur. Equitẽ Romanũ, veterem amicum suum, studiosum, amantem, obseruantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atq; iacturis: sed experientia patrimony amplificandi, labentem excepit: corruere nõ simit fidsit, & sustinuit, re fortuna, si de: hodieq; sustinet: nec amicũ pendentẽ corruere patitur: nec illius animi aciem perstringit splendor sui nominis: nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ. sint sane illa magna: quæ reuera magna sunt: de iudicio animi mei, vt volet, quisq; sentiat: ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in suos, memoriã amicitiæ, reliquis virtutibus omnibus antepono. Quam quidem vos Iud. in nouo genere bonitatẽ inusitatam claris ac prepotentibus viris non modo nõ aspernari, ac refutare: sed cõplecti etiam, & augere debetis: & eo magis, quod videtis hos quasi sumptos dies ad labefactandum illius dignitatẽ. ex qua illi nihil detrahi potest: quod nõ aut fortiter ferat: aut facile restituat. amicissimũ hominẽ si honestate spoliatum audierit, nec sine magno dolore feret: nec id amiserit, quod posse esset recuperari. Satis multa hominibus non iniquis hæc esse debent. nimis etiã multa vobis: quos æquissimos esse confidimus.



dimus. Sed vt omnium vel suspicioni, vel maleuolentiæ, vel crudelitati satisfiat: occultat pecuniã Posthumus: latent regiæ diuitiæ: ecquis est ex tanto populo, qui mea C. Rabiry Posthumi nummo sestertio sibi addici velit? Sed miserum me, quanto hæc dixi cũ dolore. hem Posthume, tu ne es Curij filius: C. Rabiry iudicio, & voluntate filius, natura sororis filius? tu ne ille in omneis partes liberalis? cuius multos bonitas locupletauit. qui nihil profudisti: nihil vllam in libidinem contulisti? tua Posthume nummo sestertio à me addicuntur? O meum miserum, acerbumq; præconium. at hoc etiã optat. misere: vt condemnetur à vobis: ita bona veneant: vt solidũ cuiq; soluatur: nihil iã aliud ni si fidẽ curat: nec vos hunc, si iam obliuisci uestræ mansuetudinis volueritis: omnequã præterea potestis eripere. quod Iud. ne faciatis, quæ testorq; vos: atq; eo magis, si aduenticia pecunia petitur ab eo: cui sua non redditur. nam in eum, cui misericordia opitulari debeat: inuidia quæsita est. sed iã, quoniam, vt spero, fidem quam potui, tibi præstiti Posthume: reddam etiã lachrymas, quas debeo. quas quidẽ ego tuas in meo casu plurimas vidi. versatur ante oculos lacrymosa nox meis omnibus: cũ tu totũ te cũ tuis copijs ad me detulisti. tu comitibus, tu præsidio, tu etiã tãto põderi auri, quantũ tẽpus illud postulabat, discessum illũ sustinuisti: tu nunquã meis me absente liberis, nunquã cõmodi meæ defuisti. possum excitare multos reductos testes liberalitatis tuæ. quod sæpe audiui patri tuo, quid fecisset magno adiumẽto in iudicio capitis fuisse: sed iã omnia tibi nota: bonitatis ipsius inuidiã reformido. iã indicat tot hominũ fletus, quam sis charus tuus: & me dolor debilitat, includitq; vocem. vos obsecro Iudices: vt huic opti-

Optimg. mo viro, quo nemo melior vnquam fuit: nomen Equitis Ro. & vsuram huius lucis, & vestrum conspectum ne eripiatis. hic vos aliud nihil orat: nisi vt rectis oculis hanc vrbem sibi intueri, atq; in hoc foro vestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat: nisi vnius amici opes subuenissent.



# PRO M. MARCELLO. ORATIO XLI.

Silentium.

Iuturni silentij P.C. quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia: finē hodiernus dies attulit: idemq; initiū quæ vellem, quæq; sentirem, meo pristino more dicendi. tantū enim mansuetudinem, tam inusitatā, inauditamq; clementiam, tantū in summa potestate rerum omnium, modū, tam denig; incredibilem sapientiam, ac penè diuinā, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello vobis, P.C. Reiq; pub. reddito, non sōlum illius, sed meam etiā vocem & authoritatem, & vobis, & Reip. conseruatā, ac restitutam puto. dolebam enim P.C. ac vehementer angebar: cū viderem virū talem, qui in eadē causa, in qua ego, fuisset: non in eadem esse fortuna. nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebā: versari me in vestro veteri curriculo, illo æmulo atq; imitatore studiorū, ac laborum meorū, quasi quodam socio à me, & comite distracto. ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinē C. Cæsar intercluſam aperuisti: & his omnibus ad bene de omni Rep. sperandū, quasi signum aliquod sustulisti. intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in meipso, sed paulo antea omnibus, cū M. Marcellum Senatui, populoq; Ro. Reiq; pub. cōcessisti, cōmemoratis præsertim etiam offensionibus: te authoritatē huius ordinis, dignitatēq; Reip. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis ante actæ vitæ hodierno die maxi-

mum cœpit, cum summo consensu senatus, tũ præterea iudicio tuo grauissimo, & maximo. ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus: cũ in accepto tanta sit gloria. est vere fortunatus ille: cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illũ ventura sit, letitia peruenerit. quod ei quidẽ merito atq; optimo iure contigit. quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artiũ studio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præstantior? Nullius tantum est flumen ingenij: nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaq; copia: quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsaris tuas gestas possit. tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua: nullã in his esse laudem ampliorem: quam eã, quã hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idq; libenter crebris vsurpare sermonibus: omnes nostrorũ Imperatorum, omnes exterarum gentium, potẽtissimorumq; populorum, omnes clarissimorũ regum res gestas, cum tuis nec contentionũ magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionũ, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. nec vero disunctissimas terras citius cuiusquã passibus potuisse peragrari: quàm tuis non dicã cursibus, sed victorijs illustratæ sunt. quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear: vt ea vix cuiusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim. sed tamen sunt alia maiora. nam bellicas laudes solent quidã extenuare verbis: easq; detrahere ducibus: cõmunicare cũ militibus: ne propria sint Imperatorum. & certe in armis, militũ virtus, locorũ opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuuant. maximam vero partẽ quasi sui iure



iure fortuna sibi vendicat: & quicquid prospere gestũ est: id penè omne ducit suum. At vero huius gloriæ C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, sociũ habes neminem totũ hoc, quantumcunq; est: quod certe maximum est: totum inquam tuum est. nihil tibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. quin etiã illa ipsa rerum humanarũ domina fortuna in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam esse totam, & propriam fatetur. nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur: nec ad consilium casus admittitur. domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti: quæ & naturam, & conditionem vt vinci possent, habebant. nulla est enim tanta vis, tanta copia: quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangiq; possit: verum animũ vincere, iracundiam cohibere, victoriã temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute, præstantiã non modo extollere iacentem, sed etiã amplificare eius pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo: sed simillimum deo iudico. Itaq; C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illa quidẽ non solum nostris, sed penè omnium gentium literis atq; linguis: neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam dũ audiuntur, aut dũ leguntur, obstrepi clamore militũ videntur, & tubarũ sono. at vero cũ aliquid clemẽter, mãsuete, iuste, moderate, sapienter factũ, in iracundia præsertim, quæ est inimico consilio: & in victoria, quæ natura insolens & superba est: aut audimus, aut legimus:

quo studio incendimur? non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis? vt eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligimus, te vero, quem præsentem intuemur: cuius mentem, sensumq;, & os cernimus: vt quicquid belli fortuna reliquum Reipub. fecerit: id esse saluum velis. quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur? parietes medius fidius C. Cæsar, vt mihi videtur: huius curiæ tibi gratias agere gestiũt: quod breui tempore futura sit illa authoritas in his maiorum suorũ & suis sedibus. Equidem cũ M. Marcelli viri optimi, & cõmemorabili pietate ac virtute preditilachrymas modo vobiscum viderem: omniũ Marcellorum meum pectus memoriã effodit. quibus tu etiã mortuis M. Marcello conseruato, dignitatem suã reddidisti: nobilissimamq; familiã, iam ad paucos redactam, penè ab interitu vendicasti. hunc tu igitur diẽ tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. hæc enim res vnius est propria Cæsaris. cæteræ duce te gestæ magnæ illæ quidẽ: sed tamen multo magnoq; comitatu. huius autem rei tu idem dux es, & comes: quæ quidem tanta est: vt nulla sicut trophæis, monumentisq; tuis allatura sit finem ætas. nihil enim est opere, aut manufactum, quod aliquando non conficiat, & consumat, vetustas. at vero hæc tua iustitia, & lenitas animi floresceret quotidie magis: ita vt quantum operibus tuis diuturnitas detrahet: tantũ afferat laudibus. & cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam ante pietate, & misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. vereor vt hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit: atq; ego ipse cogitans sentio.



tio, ipsam victoriam vicisse videris: cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. nam cum ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidissemus: clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus. recte igitur vnus inuictus es: à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visq;, deuicta est. atque hoc C. Cæsaris iudicium P. C. quàm late pateat, attendite. omnes enim qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reip. misero funestoq; compulsi: etsi aliqua culpa tenemur erroris humani: à scelere certe liberati sumus. nam cũ M. Marcellum deprecantibus vobis, Reip. conseruauit: memet mihi, & item Reip. nullo deprecante: reliquos amplissimos viros, & sibi ipsis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in consessu videtis: non ille hostes induxit in Curiam: sed indicauit à pleriscq; ignoratione potius, & falso atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate ciuile bellum esse susceptum. quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendumq; esse putaui: semperq; dolui non modo pacem, sed orationem etiam ciuium pacem efflagitantium repudiari. neq; enim ego illa, nec vlla vnquam secutus sum arma ciuilia: semperq; mea consilia pacis, & togæ socia, non belli, atq; armorum fuerunt. hominem sum secutus priuato officio, non publico: tantumq; apud me grati animi fidelis memoria valuit: vt nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens & sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium. quod quidẽ meum consilium minime obscurum fuit. nam & hoc in ordine integrare, multa de pace dixi: & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. ex quo nemo erit tam iniustus rerum æstimator: qui dubitet, quæ Cæsaris voluntas de bello fue-

vit: cũ pacis authores conseruandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atq; id minus mirum videretur fortasse tũ, cum esset incertus exitus, & anceps fortuna belli. qui vero victor, pacis authores diligit: is profecto declarat, maluisse se non dimicare, quã vincere. Atq; huius quidem rei M. Marcello sum testis. nostri enim sensus, vt in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. quotiens ego eum, & quanto cum dolore vidi? cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentem? quo gratior tua liberalitas C. Cæsar nobis, qui illa vidimus, debet esse. non enim iam causæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ. vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. quos amisimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: vt dubitare debeat nemo: quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret: quoniam ex eadem acie conseruat, quos potest. alterius vero partis nihil amplius eo dicam: quàm id, quod omnes verebamur, nimis iracundã futuram fuisse victoriam. quidam enim non modo armatis, sed interdũ etiam ociosis minabantur. nec quid quisq; sensisset: sed vbi fuisset, cogitandum esse dicebant. vt mihi quidẽ videantur dij immortales, etiam si pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiuerint: qui ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerunt: vel placati iam, vel etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam victoris, & sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono: & fruere cum fortuna, & gloria, tum etiam natura & moribus tuis. ex quo quidem maximus



mus est fructus, iucunditas q; sapienti. cætera cũ tua recordabere, & si persæpe virtuti, tamen plerunq; felicitati tuæ congratulabere. de nobis, quos in Repub. tecum simul saluos esse voluisti, quotiens cogitabis: totiens de maximis tuis beneficijs, totiens de mirabili liberalitate, totiens de singulari sapientia tua cogitabis. quæ non modo summa bona, sed nimirũ audebo vel sola dicere. tantus est enim splendor in laude vera: tanta in magnitudine animi, & consilij dignitas: vt hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata esse videantur. noli igitur in conseruandis bonis viris defatigari, nõ cupiditate aliqua præsertim, aut prauitate aliqua lapsis, sed opinione officij stultã fortasse, certe non improba, & specie quadam Reipublicæ. non enim culpa vlla tua est: si te aliqui timuerunt: contraq; summa laus: quod plerique minime timendum fuisse senserunt. Nunc venio ad grauissimã querelam, & atrocissimam suspicionem tuam: quæ non tibi ipsi magis, quàm cum omnibus ciuibus, tũ maxime nobis, qui à te conseruati sumus, prouidenda est. quã etsi spero esse falsam: nunquam tamẽ verbis extenuabo. tua enim cautio, nostra cautio est. vt si in alterutro peccandum sit: malim videri nimis timidus, quã parum prudens. sed quisnam iste tam demens qui tibi scilicet insidiaretur? de tuis ne? tametsi qui magis sunt tui: quã quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui vnà tecum fuerunt? non est credibile tantus in illo furor: vt quo duce omnia summa sit adepta huius vitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris: cauendũ est, ne quid inimici. qui? omnes enim, qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt: aut tua misericordia retinuerunt: vt aut nulli supersint de ini-

de inimicis: aut qui superfuerunt, amicissimi sint. sed tamen, cum in animis hominum tanta latebræ sint, & tanti recessus: augeamus sanè suspicionem tuam: simul enim augebimus & diligentiam. uam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in Republica, tam nihil vnquam nec de sua, nec de cõmuni salute cogitans? qui non intelligat tua salute, contineri suam? & ex vnius tui vitam pendere omnium. Equidem dies noctesq; de te, vt debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & incertos euentus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimesco: doleoq;, cum Resp. immortalis esse debeat: eam in vnius mortalis anima consistere. si vero ad humanos casus, incertosq; euentus valetudinis, sceleris etiam accedat, insidiarumq; consensio: quem deũ, etiam si cupiat, opitulari posse Reip. credamus? Omnia sunt excitanda tibi C. Cæsar vni: quæ iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda iudicia: reuocanda fides: comprimendæ libidines: propaganda soboles: omnia, quæ delapsa iam fluxerunt: seueris legibus vincienda sunt: non sunt recusandum in tanto ciuili bello, tantoq; animorum ardore & armorum, quin quassata Respub. quicunq; belli euentus fuisset, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ: multaq; vterq; dux faceret armatus: quæ idẽ togatus fieri prohibuisset. quæ quidem tibi nunc omnia belli vulnera sananda sunt: quibus præterte mederi nemo potest. Itaq; illam tuam præclarissimam & sapientissimam vocẽ inuitus audiui: satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ. satis si ita vis naturæ fortasse: addo etiam si placet gloriæ. at quod maximum est: patriæ certe parum. quare omitte quæso istã

doctorum



doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. sæpe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere: satis te tibi vixisse credo: sed tum id audirem, si tibi soli vixeres: aut si tibi etiam soli natus esses: nunc cum omnium salutem ciuium, cunctamq; Rempublicam, res tuæ gestæ complexæ sint: tantum abes à perfectione maximorum operum: vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum vitæ tuæ, non salute Reipub. sed æquitate animi definies? quid? si istud, ne gloriæ quidem tuæ satis est? cuius te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, nõ negabis. parum ne igitur inquies gloriam magnam relinquemus? immo vero alys, quamuis multis satis: tibi uni parum. quicquid enim est, quamuis amplum sit: id certe parum est, tum cũ est aliquid amplius, quod si rerum tuarum immortalium C. Cæsar hic exitus futurus fuit: vt deiectis aduersarijs Remp. in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide quæso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quã gloriæ. siquidem gloria illustris, ac peruagata multorum, & magnorũ vel in suos ciues, vel in patriã, vel in omne genus hominũ famam meritorũ. hæc igitur tibi reliqua pars est: hic restat actus: in hoc elaborandum est: vt Rempub. constituas: eaq; tu imprimis composita summa tranquillitate & otio perfruare. Tum te si voles, cum & patriæ quod debes, solueris: & naturã ipsam expleueris satietate viuendi, satis diu vixisse dicito. quid enim est omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? quod cũ venerit: omnis voluptas præterita pro nihilo est: quia postea nulla futura sit. quanquam iste tuus animus nunquam

his

bis angustijs, quas natura nobis ad viuendum dedit, contentus fuit: semper immortalitatis amore flagrauit. nec vero hæc tua vita dicenda est: quæ corpore & spiritu continetur. illa inquam illa vita est tua Cæsar: quæ vigebit memoria sæculorum omnium: quam posteritas alet: quam ipsa æternitas semper intuebitur. huic tu inseruias, huic te ostentes oportet. quæ quidē quæ miretur iam pridem multa habet: nunc etiam quæ laudet expectat. obstupescent posteri certe Imperia, Prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos, audientes & legentes tuos. sed nisi hæc vrbs stabilita tuis consilijs, et institutis erit: vagabitur modo nomen tuum longe, atq; late: sedem quidem stabilem, & domicilium certū non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio: cum alij laudibus ad cœlum res tuas gestas efferent: alij fortasse aliquid requirent, idq; vel maximum: nisi belli ciuilis incendium salute patriæ restinxeris: vt illud fati fuisse videatur, hoc consilij. seruiigiturijs etiam iudicibus: qui multis post sæculis de te iudicabunt: & quidem haud scio, an incorruptius quam nos. nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iudicabunt. id autem, etiam si tunc ad te, vt quidam falso putant, non pertinebit: nunc certe pertinet, te esse talem: vt tuas laudes obscuratura nulla vnquā sit oblivio. Diuersæ voluntates ciuium fuerunt, distractaq; sententia. non enim consilijs solum & studijs, sed armis etiam, & castris dissidebamus. erat autem obscuritas quædam: erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabāt, quid optimum esset: multi quid sibi expediret: multi



quid deceret: nonnulli etiam quid liceret. perfuncta Resp. est hoc misero, fataliq; bello: victis, qui non furiosa inflammaret odiū suum: sed bonitate leniret: neq; omnes, quibus iratus esset: eosdem etiam exilio, aut morte dignos iudicaret. arma ab alijs posita, ab alijs erepta sunt. ingratus est iniustusq; ciuis: qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: vt etiā ille sit melior: qui in acie cecidit: quàm qui in causa animam profudit. quæ enim pertinacia quibusdam: eadem alijs constantia videri potest. sed quia iam omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris: restat vt omnes vnum velint: qui habent aliquid non solum sapientiæ, sed etiam sanitatis. quia nisi te C. Cæsar saluo, & in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime vsus es, manente, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse volumus, & hortamur, & obsecramus: vt vitæ, vt saluti tuæ consulas: omnesq; tibi, vt pro alijs etiam loquar, quod de me ipse sentio. quoniam subesse aliquid putas, quod cauendum sit: non modo excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum pollicemur. Sed vt vnde est orsa, in eodem terminetur oratio mea: maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar: maiores etiam habemus. nam omnes idem sentiunt, quod ex omnium precibus, & lachrymis sentire potuisti: sed quia non est astantibus omnibus necesse dicere: à me certe dici volunt: cui necesse est quodammodo, & quod volunt: et quod M. Marcello à te huic ordini populoq; Ro. & Reip. reddito, præcipue id à me fieri debere intelligo. nam lætari omnes, non vt de vnius solum, sed vt de communi omnium salute sentio: quod autem summæ

beneuo-

beneuolentiæ est: quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit: vt vix C. Marcello optimo, & amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini: cum id solicitudine, cura, labore, tam diu præstiterim, quam diu est de illius salute dubitatum: certe hoc tempore magnis curis, molestijs, doloribus, liberatus præstare debeo. Itaq; C. Cæsar sic tibi gratias ago: vt omnibus meritis à te non conseruato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam posse non arbitrabar: maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

PRO



# PRO Q. LIGARIO AD C. CÆSAREM.

## ORATIO XLII.

NOuum crimen C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit: Q. Ligarium in Africa fuisse: idq; C. Pansa præstanti viro ingenio, fretus fortasse ea familiaritate, quæ est ei tecum, ausus est confiteri. Itaq; quo me vertam nescio. paratus enim veneram: cum tu id neq; per te scire, neq; audire aliunde potuisses: vt ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. sed quoniam diligentia inimici inuestigatum est, quod latebat: confitendum est, vt opinor: præsertim cum meus necessarius C. Pansa fecerit: vt id iam integrum non esset: omissaq; controuersia omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est: qua plurimi sunt conseruati: cum à te non solum liberatam culpæ, sed errati veniam impetrauissent. Habes igitur Tubero quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum: sed tamen hoc ita confitentē: se in ea parte fuisse, qua te Tubero: qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaq; prius de vestro delicto confitea mini necesse est: quàm Ligarij vllam culpā reprehendatis. Q. igitur Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio: Legatus in Africam cū Consule C. Considio profectus est: qua in Legatione & socys, & ciuibus ita se probauit: vt decedens Considius prouincia, satisfacere hominibus non posset: si quenquam aliū prouinciæ præfecisset. Itaq; Q. Ligarius cum diu recusans nihil

proficisset: Prouinciam acceptt inuitus: cui sic præfuit in pace: vt & ciuibus, & socys gratissima esset eius integritas, & fides. bellũ subito exarsit. quod, qui erant in Africa, ante audierũt geri, quàm parari. quo audito partim cupiditate inconsiderata, partim cæco quodam timore, primo saltis causa, post etiã study sui quærebant aliquẽ ducem, tum Ligarius domũ spectans, & ad suos redire cupiens, nullo se implicari negocio passus est. Interim P. Actius Varus, qui Prætor Africã obtinuerat, Vticam venit. ad eũ statim concursum est. atq; ille non mediocri cupiditate arripuit imperiũ: si illud imperium esse potuit: quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitæ, nullo publico consilio deferebatur. Itaq; Ligarius qui omne tale negocium cuperet effugere: paulũ aduentu Vari conquieuit. Adhuc C. Cæsar Q. Ligarius omni culpa vacat. domo est egressus non modo nullũ ad bellum: sed ne ad minimã quidem suspicionem belli legatus in pace profectus, in prouincia pacatissima ita se gessit: vt ei pacẽ esse expediret. profectio certe animũ tuũ non debet offendere. num igitur remansio? multo minus. nam profectio voluntatẽ habuit non turpẽ: remansio etiam necessitatẽ honestam vt vrgeret præfecturam. Ergo hæc duo tempora carent crimine. vnũ, cum est Legatus profectus: alterũ, cũ efflagitatus à prouincia, præpositus Africæ est: tertium est tempus, quo post aduentum Vari in Africa restitit. quod si est criminosum: necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc vllo modo euadere: Vticæ potius, quàm Romæ? cũ P. Actio, quàm cum concordissimis fratribus? cũ alienis esse, quàm cum suis maluisset? cũ ipsa Legatio plena desiderij, ac solicitudinis fuisset, propter incredibilẽ quendam fratrum amorẽ: hic æquo animo esse potuit, belli dissidio distractus à fratribus? Nullum igitur habes Cæsar adhuc in Q. Ligario signum alienæ à te voluntatis. cuius ego causam animaduerte quæso qua fide defendam: cũ prodo meam. O clementiam admirabilem, atq; omnium laude prædicatione literis monumẽtisq; decorandã: M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse: in qua seipsum confitetur fuisse: nec tuas tacitas cogitationes extimescit: nec quid tibi de alio audienti de seipso occurrat, reformidat. vide quàm non reformidẽ: vide quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur: quantum potero voce contendam: vt hoc populus Romanus exaudiat. suscepto bello Cæsar, gesto etiã ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. apud quẽ igitur hoc dico? nempe apud eũ, qui, cum hoc sciret: tamẽ me, antequã vidit, Reipublicæ reddidit: qui ad me ex Aegypto literas misit: vt essem idẽ, qui fuissem: qui cum ipse Imperator in toto imperio populi Romani vnus esset: esse me alterũ passus est: à quo hoc ipso C. Pansa mihi nuncum perferente, concessos fasces laureatos tenui, quo ad tenendos putaui: qui mihi tũ denique se salutẽ putauit reddere: si ea nullus spoliatam ornamentis redderet. Vide quaso Tubero, vt qui de meo facto non dubitem dicere: de Ligarij non audeam confiteri. Atq; hæc propterea de me dixi: vt mihi Tubero, cum de se eadem dicerem, ignosceret. cuius ego industria gloriaq; faueo: vel propter propinquã cognationem: vel quod eius ingenio studijs q; delector: vel quod laudem adolescentis propinqui exi-

stimo etiam ad meum aliquem fructum redundare, sed hoc quæro, quis putet fuisse crimen esse in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipse in eadē Africa esse voluit, & prohibitū sē à Ligario queritur: & certe cōtra ipsum Cæsarem est congressus armatus. quid enim Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorū? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? nimis vrgeo: cōmoueri videtur adolescens: ad me reuertar. ysdem in armis fui. quid autē aliud egimus Tubero? nisi vt quod hic potest, nos possemus? quorū igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est: eorum ipsorū ad crudelitatē te acuet oratio? Atq; in hac causa nonnihil equidem Tubero etiā tuam, sed multo magis patris tui prudentiā desidero: quod homo cum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causæ quod esset, nō viderit. nā si vidisset, quouis, pfecto, quàm isto modo, à te agi maluisset. arguis fatentē: non est satis: accusas eū, qui causam habet, aut, vt ego dico, meliorē quàm tu: aut, vt tu vis, parem. Hæc nō modo mirabilia sunt, sed prodigijs similia, quæ dicā. non habet eam vim ista accusatio: vt Q. Ligarius cōdemnetur: sed vt necetur. hoc egit ciuis Ro. ante te nemo. externi isti mores usq; ad sanguinem incitare solent odium aut leuium Græcorū, aut immaniū Barbarorū. nam quid aliud agis? vt Romæ ne sit? vt domo careat? ne cū optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho auunculo suo, ne cū eius filio consobrino suo, ne nobiscum viuat? ne sit in patria? nū in patria est? num potest magis carere his omnibus, quàm caret? Italia prohibetur: exulat. nō tu ergo hunc patria priua-

re, qua

re, qua caret, sed vita vis. At istud ne apud eum quidem Dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte mulctabat, quisquam egit isto modo. ipse iubebat occidi, nullo postulante: præmys etiam inuitabat. quæ tamen crudelitas ab hoc eodē aliquot annis post, quē tu nunc crudelē esse vis, vindicata est? Ego vero istud non postulo: inquies. ita mehercule existimo Tubero. noui enim te: noui patrē tuum: noui domū, nomen q; vestrum: studia denique generis ac familiæ vestræ, virtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarum artium, atq; optimarum, nota sunt mihi omnia. itaq; certo scio, vos non petere sanguinem: sed parū attenditis. res enim eò spectant: vt ea pœna, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. quæ est igitur alia præter mortē? si enim in exilio est, sicuti est: quid amplius postulatis? an ne ignoscatur? hoc vero multo acerbius, multoq; est grauius. quod nos domi petimus, precibus, & lachrymis prosternati ad pedes, non tā nostræ causæ fidentes, quàm huius humanitati: id ne impetremus, pugnabis? & in nostrum fletum irrumpes? & nos iacentes ad pedes supplicum voce prohibebis? Si cum hoc domi faceremus: quod & fecimus, & vt spero non frustra fecimus: tu derepente irrupisses, & clamare cœpisses: C. Cæsar caue credas: caue ignoscas: caue te fratrū pro fratris salute obsecrantium misereat: nonne omnem humanitatē exuisses? quanto hoc durius, quod nos domi petimus: id à te in foro oppugnari? & in tali miseria multorū, perfugium misericordiæ tollere? Dicam planè C. Cæsar quod sentio: Si in hac tanta tua fortuna, lenitas tanta non esset: quantā tu per te, per te inquam obtines (intelligo quid

loquor) acerbissimo luctu redundaret ista victoria: quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent: cum etiam de victis reperiantur, quàm multi, qui cum à te nemini ignoscì vellent: impedirent clementiam tuam: cum etiam hi quibus ipse ignouisti, nolint te in alios esse misericordem. Quod si probare Cæsari possemus in Africa Ligarium omnino non fuisse: si honesto, & misericordi mendacio, saluti ciui calamitoso esse vellemus: tamen hominis non esset, in tanto discrimine, & periculo ciuis refellere, & coarguere nostrum mendacium: & si esset alicuius, eius certe non esset: qui in eadem causa & fortuna fuisset. sed tamen aliud est, errare Cæsarem nolle: aliud nolle misereri. tum diceres, caue Cæsar credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. nunc quid dicis? caue ignoscas. hæc nec hominis, nec ad hominem vox est. qua qui apud te C. Cæsar vtetur: suam citius abiiciet humanitatem: quam extorquebit tuam. Ac primus aditus & postulatio Tuberonis hæc, vt opinor, fuit: velle se de Q. Ligarij scelere dicere. non dubito quin admiratus sis: vel quod de nullo alio quisquam: vel quod is qui in eadem causa fuisset: vel quidnam noui facinoris afferret. scelus tu illud vocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. aly errore appellant: aly timorem: qui durius: spem, cupiditatem, odium, pertinaciã: qui grauissime, temeritatem: scelus præter te adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium & verum nomẽ nostri mali quæratur: fatalis quædam calamitas incidisse videtur: & improuidas hominum mentes occupauisse: vt nemo mirari debeat humana cõsilia diuina necessitate esse superata.



liceat esse miseros: quanquam hoc victore esse non possumus. sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. fuerint cupidi: fuerint irati: fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris, parricidij liceat. (n. Pompeio mortuo, liceat multis alijs carcere, quãdo hoc quisquam ex te Cæsar audiuit? aut tua quid aliud arma voluerunt? nisi à te contumeliam propulsare? quid egit tuus ille inuictus exercitus? nisi vt suum ius tueretur, & dignitatem tuam? quid? tu cum pacem esse cupiebas, id ne agebas? vt tibi cum sceleratis, an vt cum bonis ciuibus conueniret? mihi vero Cæsar tua in me maxima merita, tanta certe non viderentur: si me vt sceleratum à te conseruatum putarem. quomodo autem tu de Rep. benemeritus esses: si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? secessionem tu illã existimauisti Catilinitio, non bellum: non hostile odiũ, sed ciuile dissidium: vtrisq; cupientibus Rempub. saluam: sed partim consilijs, partim studijs, à communi vtilitate aberrantibus. principũ dignitas erat pene par: non par fortasse eorum, qui sequebantur: causa tũ dubia: quod erat aliquid in vtraq; parte, quod probari posset. nunc melior certe ea iudicanda est: quã etiam dij adiuuerunt. cognita vero clementia tua, quis non eam victoriã probet: in qua occiderit nemo, nisi armatus? sed vt omittam communem causam: veniamus ad nostram. vtrum tandem existimas facilius fuisse Tubero Ligarium ex Africa exire: an vos in Africam non venire? poteramus ne inquies? cum Senatus censuisset? si me consulis: nullo modo. sed tamen Ligariũ Senatus idem legauerat, atq; ille eo tempore paruit: cum parere Senatui necesse erat: vos tunc paruistis, cum parere nemo,

qui noluit. reprehendo igitur? minime vero. neq; enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiæ, disciplinæ sed hoc nõ concedo: vt quibus rebus gloriemini in vobis: easdem in alijs reprehendatis. Tuberonis sors coniecta est, ex S.C. cũ ipse non adesset: morbo etiam impediretur: statuerat se excusare. hæc ego noui propter cõmunes necessitudines, quæ mihi sunt cũ L. Tuberone: domi natus eruditi, militiæ contubernales, post affines, in omni denig; vita familiares. magnum etiam vinculũ: quod ijsdem semper studijs vsi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse. sed ita quidam agebant: ita Reip. sanctissimũ nomen opponebant: vt, etiamsi aliter sentiret: verborum tamen ipsorũ pondus sustinere non posset. cessit authoritati amplissimi viri, vel potius paruit: vnà est profectus cũ ijs: quorum erat vna causa. tardius iter fecit. itaq; in Africam venit iã occupatum. hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius. nam si crimen est prohibere illũ voluisse: non minus magnũ est, vos Africam, omnium prouinciarũ arcẽ, natam ad bellũ contra hanc vrbem gerendum obtinere voluisse: quàm aliquẽ se Imperatore esse maluisse. atq; is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperiũ se habere dicebat. fasces certe habebat. Sed quoquomodo sese illud habet: hæc querela vestra Tubero quid valet? recepti in prouinciam non sumus. quid si essetis? Cæsari ne eam tradituri fuissetis? an contra eũ retenturi? Vide quid licentiæ Cæsar nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ. si respondebit Tubero, Africam, quo Senatus eum, sors q; miserat: tibi patrem suum traditurum fuisse: non dubitabo apud ipsum te, cuius id eum facere interfuit, grauissimis verbis eius consilium reprehendere. non enim si tibi ea



tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. sed iam hoc totum omitto: non tam vt ne offendam tuas patientissimas aures: quàm ne Tubero quod nunquam cogitauit, facturus fuisse videatur. veniebatis igitur in Africam prouinciam vnam ex omnibus huic victoriæ maxime infestam: in qua erat Rex potentissimus, inimicus huic causæ: aliena voluntas: conuentus firmi, atque magni. quero quid facturi fuissetis? quanquam quid facturi fueritis non dubitem: cum videam, quid feceritis. prohibuistis in prouincia vestra pedem ponere, vt perhibetis, summa cum iniuria. quomodo id tuli stis? acceptæ iniuriæ querelam ad quem detulistis? nempe ad eum, cuius authoritatem secuti in societatem belli veneratis. quod si Cæsaris causa in Prouinciã veniebatis: ad eum profecto excluſi Prouincia venissetis. venistis ad Pompeium. quæ est ergo apud Cæsarem querela? cum eum accusetis: à quo queramini vos prohibitos contra Cæsarem bellum gerere. Atq; in hoc quidẽ vel cum mendacio si vultis, gloriari per me licet: vos Prouinciam fuisse Cæsari tradituros: etiam si à Varo & quibusdam alijs prohibiti essetis. ego autem confitebor culpam esse Ligarij: qui vos tantæ laudis occasione priuauerit. Sed vide quæso Cæsar constantiam ornatissimi viri L. Tuberonis: quam ego, quamvis ipse probarem, vt probo: tamen non commemorarem: nisi à te cognouissem in primis eam virtutem sõlere laudari. quæ fuit igitur vnquam in vllo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio an melius patientiam possem dicere? quotus enim istud quisq; fecisset? vt à quibus partibus in dissensione ciuili non esset receptus, esseq; etiam cum crudelitate eiectus: ad eas ipsas rediret? magni cuiusdam animi, atq;

eius viri est: quem de suscepta causa propositaq; sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum possit depellere. vt enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuissent: honos, nobilitas, splendor, ingenium, quæ nequaquam fuerunt: hoc certe præcipuum Tuberonis fuit: quod iusto cum Imperio, ex S.C. in prouinciam suã venerat. hinc prohibitus non ad Cæsarem, ne iratus, nõ domum, ne iners: non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur: in Macedoniam, in Cn. Pompeij castra venit, in eam ipsam causam, à qua erat reiectus cum iniuria. Quid? cum ista res nihil commouisset eius animum, ad quem veneratis: languidiore credo studio in causa fuistis? tantummodo in præsidijs eratis? animi vero à causa abhorrebant? an, vt fit in ciuilibus bellis, nec in vobis magis, quã in reliquis: omnes vincendi studio tenebamur. pacis equidẽ semper author fui: sed tum sero: erat enim amentis cum aciem videres: pacem cogitare. omnes inquam vincere volebamus. tu certe præcipue: qui in eum locum venisses: vbi tibi esset pereundũ, nisi vicisses. quanquam, vt nunc res habet: non dubito quin hanc salutem anteponas illi victoriæ. Hæc ego non dicerem Tubero: si aut vos constantiæ vestræ, aut Cæsarem beneficij sui pœniteret. Nunc quæro vtrum vestras iniurias, an Reip. persequamini? si Reipublicæ: quid de vestra in ea causa perseuerantia respondebitis? si vestras: videte ne erretis, qui Cæsarem vestris inimicis iratum fore putetis: cum ignouerit suis. Itaq; num tibi videor Cæsar in causa Ligarij occupatus esse? num de eius facto dicere? quicquid dixi ad vnam summam referri volo, vel humanitatis, vel clementiæ, vel misericordiæ tuæ. Causas Cæsar ego multas:

multas: & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio bonorum tuorum: certe nunquam hoc modo: ignoscite Iudices: errauit: lapsus est: non putauit: si vnquam post hac ad parentem sic agi solet. ad Iudices, non fecit: non cogitauit: falsi testes: fictum crimen. dic te Cæsar de facto Ligary Iudicem esse: quibus in præsidijs fuerit, quæret. taceo: ne hæc quidem colligo: quæ fortasse valerent etiam apud Iudicem: legatus ante bellum profectus: relictus in pace: bello oppressus, in eo non acerbus fuit: totus etiam studio fuit tuus. ad Iudicem sic agi solet: sed ego ad parentem loquor. erraui: temere feci: pœnitet: ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto: vt ignoscas oro: si nemo impetrauit: arroganter peto: si plurimi: tu idem fer opem: qui spem dedisti. an sperandi Ligario causa non sit? cum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi? quanquam neq; in hac oratione spes est posita causæ, nec in eorum studijs qui à te pro Ligario petunt tui necessarij. vidi enim, et cognoui quid maxime spectares: cum pro alicuius salute multi laborarent: causas apud te rogantium gratiores esse. quàm preces: neq; spectare quàm tuus esset necessarius is, qui te oraret: sed quàm illius, pro quo laboraret. Itaq; tribuis tu quidem tuis ita multa: vt mihi beatiores illi esse videantur interdum: qui tua liberalitate fruuntur: quàm tu ipse, qui illis tam multa concedis: sed video tamen apud te causas vt dixi rogantium valere, plus quã preces: abijsq; te moueri maxime: quorum iustissimum dolorem videas in petendo. In Q. Ligario conseruando multis tu quidem gratum facies necessarijs tuis: sed hoc quæso considera, quod sõles. possum fortissimos viros Sabinos, tibi probatissimos, totumq; agrum Sabinum florem

rem Italiæ, robur Reipublicæ proponere. nostri optime homines animaduerte horum omnium mœsticiam, & dolorem huius T. Brochi, de quo non dubito quid existimes: lachrymas, squalorem q3 ipsius, & filij vides. quid de fratribus dicam? noli Cæsar putare de vnius capite nos agere. aut tres Ligarij retinendi in ciuitate sunt: aut tres ex ciuitate exterminandi. quoduis exiliũ his est optatius: quàm patria, quàm domus, quã dij penates, vno illo exulante. si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt: moueant te horum lachrymæ: moueat pietas: moueat germanitas: valeat tua vox illa, quæ vicit. te enim dicere audiebamus: nos omnes aduersarios putare: nisi qui nobiscum essent: te omnes, qui contra te non essent, tuos. vides ne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brochorũ domum, hunc L. Martium, C. Cestium, L. Cornificiũ, hosce omnes equites Ro. qui adsunt veste mutata: non solum notos tibi, verum etiam probatos viros, qui tecum fuerunt? Atq3 his maxime irascebamur: & hos requirebamus: & his nonnulli etiam minabantur. conserua igitur tuis suos: vt quemadmodum cætera, quæ dicta sunt à te: sic hoc verissimum reperiatur. Quod si penitus perspicere posses concordiam Ligariorum: omnes fratres tecum iudicares fuisse. an potest quisquam dubitare: quin si Q. Ligarius in Italia esse potuisset: in eadẽ sententia fuisset futurus: in qua fratres fuerunt? quis est, qui horum consensum conspirantem, & penè conflatum, in hac propè æqualitate fraterna non nouerit? qui hoc non sentiat? quid uis prius futurum fuisse: quàm vt hi fratres diuersas sententias fortunasq3 sequerentur. voluntate igitur omnes tecum fuerunt. tempestate abreptus est vnus. qui si consilio id fecisset: esset eorum similis: quos tu tamen saluos esse voluisti. Sed inerit ad bellum: dissenserit non à te solum, verum etiam à fratribus: hi te orant tui. Equidem cum tuis omnibus negocijs interessem: memoria teneo qualis tum T. Ligarius Quæstor Vrbanus fuerit erga te, & dignitatem tuam. sed parum est me hoc meminisse: ibero etiam te, qui obliuisci nihil soles, nisi iniurias: quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenij tui: te aliquid de huius Quæstoris officio cogitantem: etiam de alijs quibusdam Quæstoribus reminiscentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud: neq3 enim hoc diuinabat: ni fiat tu eum studiosum, & bonum virũ iudicaris: nunc à te supplex fratris salutem petit. quam huius admonitu officio cum vtrisq3 his dederis: tres fratres optimos, & integerrimos, non solum sibi ipsos, neq3 his tot actalibus viris, neq3 nobis necessarijs suis, sed etiam Reipub. condonaueris. fac igitur quod de homine nobilissimo, & clarissimo M. Marcello restituto feciſti nuper in curia: nunc idem in foro de optimis, & huic omni frequentia probatissimis fratribus. vt concessisti illum Senatui: sic da hunc populo: cuius voluntatem clarissimã semper habuisti. & si ille dies tibi gloriosissimus, populo Ro. gratissimus fuit: noli obsecro dubitare C. Cæsar similem illi gloriæ laudem quam sæpissime quærere. nihil est enim tam populare quàm bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est. homines enim ad deos nulla re propius accedunt: quàm salutem hominibus dando. nihil habet nec fortuna tua maius: quàm vt possis: nec natura tua melius: quàm vt velis conseruare quamplurimos. Longiorem orationem causa forsitan postulat: tua certe natura breuiorem

breuiorē. quare cū vtilius esse arbitrer te ipsum, quàm me, aut quenquam loqui tecum: finem iam faciam. tantum te ipsum admonebo: si illi absenti salutem dederis: præsentibus his omnibus te daturum.

PRO



# PRO REGE DEIOTARO AD C. CÆSAREM. ORATIO XLIII.

VM in omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicendi commoueri soleam vehementius, quàm videtur vel vsus, vel ætas mea postulare: tum in hac causa ita me multa perturbant: vt quantum mea fides studij mihi afferat ad salutem Regis Deiotari defendendam: tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite fortunisq; Regis: quod ipsum etsi nonniquum est, in tuo duntaxat periculo: tamen est ita inusitatum, regem capitis reum esse: vt ante hoc tempus non sit auditum. deinde eum Regem, quem ornare antea cunctō cū Senatu solebamus, pro perpetuis eius in nostram Remp. meritis: nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. accedit vt accusatorem alterius crudelitate, alterius indignitate perturber. crudelis Castor est: ne dicam sceleratum, & impium: qui nepos auum in discrimen capitis adduxerit: adolescentiaq; suæ terrorem intulerit ei: cuius senectutē tueri, & tegere debebat: commendationemq; ineuntis ætatis ab impietate, & scelere duxerit: aui seruum corruptū præmijs ad accusandum dominum impulerit: et à legatorū pedibus abduxerit. Fugitiui autē dominū accusantis, & dominum absentem, & dominum amicissimū nostræ Reipublicæ, cum os videbam: cum verba audiebā: non tam afflictam regiam conditionem dolebam: quàm de fortunis communibus extimescebam. nam cum more maiorū de seruo in dominum, ne tormentis quidem quæ-

ri li-

ri liceat: in qua quæstione dolor verã vocem elicere posſit, etiam ab inuito: exortus eſt ſeruus: qui quem in eculeo appellare non poſſet: eum accuſet ſolutus. perturbat me C. Cæſar etiam illud interdum: quod tamen, cum te penitus recognoui: timere deſino. re enim iniquum eſt: ſed tua ſapientia ſit æquiſſimum. nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitã conſilium facinoris iniſſe arguare: ſi per ſe ipſum conſideres, graue eſt: nemo enim fere eſt: qui ſui periculi iudex, non ſibi ſe æquiorem: quàm reo præbeat. ſed tua Cæſar præſtans, ſingularisq; natura hunc mihi metũ minuit. non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quàm intelligo quod de te cæteros velis iudicare. moueor etiam loci ipſius inſolentia: quod tantam cauſam, quanta nulla vnquã in diſceptatione verſata eſt: dico intra domeſticos parietes: dico extra conuentũ, & eam frequentiam: in qua oratorum ſtudia niti ſolent: in tuis oculis, in tuo ore, vultuq; acquieſco: te vnũ intueor: ad te vnũ omnis mea ſpectat oratio: quæ mihi ad ſpẽ obtinendæ veritatis grauiſſima ſunt: ad modũ animi & ad omnẽ impetum dicendi, contentionemq; leuiora. hanc enim C. Cæſar cauſam ſi in foro dicerem eodẽ audiente, & diſceptante te: quantã mihi alacritatẽ populi Ro. concurſus afferret? quis enim ciuis ei Regi non faueret? cuius omnẽ ætatem in populi Ro. bellis conſumptã eſſe meminiſſet? ſpectarem curiam: intuerer forum: cœlum deniq; teſtarer ipſum. ſic cum et deorũ immortalium, & populi Romani, & Senatus beneficia in Regem Deiotarum recordarer: nullo modo mihi deeſſe poſſet oratio. quæ quoniam anguſtiora parietes faciunt: actioq; cauſæ maxima debilitatur loco: tuum eſt

Cæſar,



Cæſar, qui pro multis ſæpe dixiſti: quid nunc mihi animi ſit, ad te ipſum referre: quo facilius tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationẽ animi. Sed ante quã de accuſatione ipſa dico: de accuſatorum ſpe pauca dicam. qui cum videantur neq; ingenio neq; vſu, atq; exercitatione rerum valere: tamẽ ad hanc cauſam non ſine aliqua ſpe, & cogitatione venerunt. Iratum te Regi Deiotaro fuiſſe non erant neſcij: affectum illum quibuſdã incõmodis, & detrimentis propter offenſionem animi tui meminerant: teq; cũ huic iratum, tum ſibi amicũ cognouerant: cumq; apud ipſum te, de tuo periculo dicerent: fore putabant, vt in exulcerato animo facile fictum crimen inſideret. Quamobrem hoc nos primum metu Cæſar per fidem, & conſtantiam, & clementiã tuam libera: ne reſidere in te vllam partem iracundiæ ſuſpicemur. per dexterã te iſtam oro: quã Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam inquam dexterã, non tam in bellis, & in prælijs, quàm in promiſſis, & fide firmiorẽ. tu illius domũ inire, tu vetus hoſpitium renouare voluiſti: te eius dij penates acceperunt: te amicũ & placatum Deiotari regis aræ focique viderunt. cũ facile exorari Cæſar, tum ſemel exorari ſoles: nemo vnquã te placauit inimicus: qui vllas reſidiſſe in te ſimultatis reliquias ſenſerit. quanquam cui ſunt inauditæ cũ Deiotaro querelæ tuæ? nunquã tu illum accuſauiſti vt hoſtẽ: ſed vt amici officio parum functum: quod propenſior in Cn. Pompei amicitiã fuiſſet, quàm in tuam. cui tamen ipſi regi veniã te daturum fuiſſe dicebas: ſi tum auxilia Pompeio, vel ſi etiã filium miſiſſet: ipſe tamen excuſatione ætatis vſus eſſet. itaq; cum maximis eũ rebus liberares: perparuã amicitiæ

culpã relinquebas. itaq; non sõlum in eum nõ animaduertisti: sed omni metu liberauisti: hospitem agnouisti: regem reliquisti. neq; enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is rex, quem Senatus hoc nomine sæpe honorificentissimis decretis appellauisset: quiq; eum illũ ordinem ab adolescentia grauissimũ sanctissimumq; duxisset: ysdẽ rebus est perturbatus, homo longinquus, & alienigena: quibus nos in media Repu. nati, semperq; versati. cum audisset Senatus consentientis authoritate arma sumpta: Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, nouis Imperatoribus Rempub. defendendam datã: mouebatur animo: & vir huic imperio amicissimus de salute Populi Rom. extimescebat: in qua etiam suã inclusam esse videbat. in summo tamen timore quiescendũ sibi esse arbitrabatur. maxime vero perturbatus est: vt audiuit Consules ex Italia profugisse: omnesq; Consulares, sic enim nunciabatur: cunctũ Senatum, totam Italiã, esse effusam. talibus enim nuncijs & rumoribus patebat ad orientẽ via: nec vlli veri subsequebantur. nihil ille de conditionibus tuis, nihil de studio concordiæ & pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominũ contra dignitatẽ tuam. quæ cum ita essent: tamen vsq; eò se tenuit: quoad à Cn. Pompeio ad eum legati literæq; venerunt. Ignosce, ignosce Cæsar, si eius viri authoritate Rex Deiotarus cessit: quẽ nos omnes secuti sumus: in quem, cũ dy atq; homines omnia ornamenta contulissent: tũ tu ipse plurima, & maxima: neq; enim situæ res gestæ cæterorũ laudibus obscuritatẽ attulerunt: iccirco Cn. Pompey memoriã amisimus. quantũ nomen eius fuerit: quãtæ opes, quanta omni genere bellorum gloria, quanti

honores



honores Populi Romani, quanti Senatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille superiores vicerat gloria: quanto tu omnibus præstitisti. itaq; Cn. Pompey bella, victorias, triumphos, consulatus admirantes numerabamus: tuos enumerare non possumus. Ad eum igitur Rex Deiotarus venit hoc misero fataliq; bello: quem ante iustis hostilibusq; bellis adiuuerat: quo cũ erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate coniunctus, et venit, vel rogatus, vt amicus: vel accersitus, vt socius: vel euocatus, vt is, qui Senatui parere didicisset. postremo venit vt ad fugientem, non vt ad insequentem: id est ad periculi, non ad victoriæ societatem. itaq; Pharsalico prælio facto, à Pompeio discessit: spem infinitam persequi noluit: vel officio, si quid debuerat: vel errori, si quid nescierat: satisfactum esse duxit: domum se contulit: teq; Alexandrinum bellum gerente, vtilitatibus tuis paruit. ille exercitum Cn. Domitij amplissimi viri, suis tectis, & copijs sustentauit: ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum, & probatissimũ omnibus delegisti, pecuniam misit: ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit: qua ad bellum veteris: ille corpus suum periculo obiecit: tecumq; in acie contra Pharnacem fuit: tuumq; hostem, esse duxit suum. Quæ quidem à te in eam partem accepta sunt Cæsar: vt eum amplissimo Regis honore & nomine afficeris. Is igitur non modo à te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suæ interficere voluisse. quod tu, nisi eum furiosissimum iudicas: suspicari profectò non potes. vt enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium necare hospitem: cuius tanto im-

portunitatis, omnium gentium, atq; omnis memoriæ clarissimũ lumẽ extinguere: cuius tantæ ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimescere: cuius tã inhumani, & ingrati animi, à quo Rex appellatus esset: in eum Tyrannum inueniri: vt hæc omittã, cuius tanti furoris fuit? omnes Reges, quorũ multi erãt finitimi: omnes liberos pop. omnes socios, omnes prouincias, omnia denig; omniũ arma contra sẽ vnum excitare? quonã ille modo cum regno, cum domo, cũ coniuge, cum clarissimo filio distractus esset? tanto scelere non modo perfecto, sed etiã cogitato? At credo hæc homo inconsultus & temerarius non videbat? quis consideratior illo? quis rectior? quis prudentior? quanquã hoc loco Deiotarum non tam ingenio, & prudentia, quàm fide & religione vitæ defendendum puto. nota tibi est hominis probitas C. Cæsar: noti mores: nota constantia. cui porrò, qui modo populi Romani nomen audiuit: Deiotari probitas, integritas, grauitas, virtus, fides non sit audita? quod igitur facinus, nec in hominem imprudentẽ cadere posset, propter metũ præsentis exitij: nec in facinorosum, nisi esset idẽ amentissimus: id vos & à viro optimo, & ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis. At quàm non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidẽ. Cum inquit in castellum Luceium venisses: & domum Regis hospitis tui diuertisses: locus erat quidã, in quo erant ea composita: quibus te Rex numerare constituerat. huc te è balneo, priusquã accumberes, ducere volebat. ibi enim erant armati, qui te interficerent: in eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur Regẽ fugitiuus, dominum seruus accuset. Ego mehercule Cæsar initio, cum est ad me ista causa delata: Phidippum medicum,

Defensio.

Vir. Homo.



dicum seruum regiũ, qui cum missus esset: ab ipso adolescente existimauit esse corruptum. hac suspicione sum uersus: medicũ indicem subornabit: finget videlicet aliquod crimen veneni. & si à veritate longe tamen à consuetudine criminandi non multũ res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de veneno. at id fieri potuit. primo occultius in potione, vel in cibo: deinde etiam impunius fit: quod, cum est factum, negari potest. si palàm te interemisset: omnium in se gentium non solũ odia, sed etiam arma conuertisset. si veneno: Iouis illius quidẽ hospitalis numen nunquã celare potuisset: homines vero fortasse celasset. quod igitur & occultius conari, & efficere cautius potuit: id tibi & medico callido, & seruo, vt putabat, fideli non credidit. de armis, de ferro, de insidijs celare te noluit? At quàm festine crimen contexitur? Tua te inquit eadem, quæ semper, fortuna seruauit. negauisti tum te inspicere velle. quid postea? an Deiotarus re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum? nullus erat aliius insidiandi locus? At eodem te cũ cœnauisses rediturũ dixeras. itaq; feciſti. horã vnam aut duas eodem loco armatos, vt collocati fuerant, retinere magnum fuit? cum in conuiuio comiter, & iucunde fuisses: tum illæc iuisti vt dixeras. quo in loco Deiotarum talem erga te cognouisti: qualis rex Attalus in P. Africanum fuit: cui magnificentissima dona vt scriptum legimus, vsq; ad Numantiã misit ex Asia: quæ Africanus inspectante exercitu accepit. Quod cum præsens Deiotarus regio & animo, & more fecisset: tu in cubiculum discessisti. Obsecro Cæs. repete tẽporis illius memoriam: pone illũ ante oculos diẽ: vultus ho-

Veneficium.

minum te intuentiũ, atq; admirantium recordare. nũ quæ trepidatio? num qui tumultus? nũ quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis grauissimi & sanctissimi disciplina? quid igitur causæ excogitari potest, cur te lautũ voluerit, cœnatum noluerit occidere? In posterũ inquit diem distulit: vt cũ in castellum Luceiũ ventũ esset: ibi cogitata perficeret. Non video causam loci mutãdi: sed tamen acta res criminose est. cũ inquit vomere te post cœnã velle dixisses: in balneum te ducere cœperũt: ibi enim erant insidiæ: at te eadẽ tua fortuna seruauit in cubiculũ te ire malle dixisti. Dy te perdant fugitiue: ita non modo nequã, & improbus, sed & fatuus, & amens es. quid? ille signa ænea in insidys posuerat? quæ è balneo in cubiculum transferri nõ possent? Habes crimina insidiarũ. nihil enim dixit amplius. horum inquit erã conscius. quid tum? ita demens ille erat? vt eũ, quẽ conscium tanti sceleris habebat: à se dimitteret? Romam etiã mitteret? vbi & inimicissimũ sciret esse nepotem suum, & C. Cæsarem, cui fecisset insidias: præsertim cum is vnus esset: qui posset de absente se vindicare? Et fratres meos inquit, quod erant conscij, in vincula coniecit. cũ igitur eos vinciret: quos secum habebat: te solutum Romã mittebat: qui eadem scires, quæ illos scire dicis. Reliqua pars accusationis duplex fuit: vna, regem semper in speculis fuisse: cum à te animo esset alieno. altera, exercitũ eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicã breuiter vt cætera. nunquã eas copias Rex Deiotarus habuit: quibus inferre bellũ Populo Ro. posset. sed quibus fines suos ab excursionibus hostium, & latrocinys tueretur: & Imperatoribus nostris auxilia mitteret.

fines.



Atq; antea quidem maiores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri potest. At misit ad Cæcilium, nescio quem. sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit. non quæro quã verisimile sit: aut non habuisse Regem quos mitteret: aut eos, quos misisset, non paruisse: aut qui dicto audientes in tanta re non fuissent: eos vinctos potius quàm necatos fuisse. sed tamen cum ad Cæcilium mittebat: vtrum causam illã victã esse nesciebat? an Cæcilium iustũ magnum hominẽ putabat? quẽ profectò is, qui optime nostros homines nouit: vel quia nõ nosset: vel si nosset, contemneret. Addidit etiã illud, equitas non optimos, misisse tibi. veteres credo Cæsar: nihil ad tuũ equitatũ. sed misit ex ys, quos habuit, electos. At ne scio quẽ ex eo numero seruum iudicatũ. non arbitror: nõ audiui. sed in eo, etiã si accidisset: culpam Regis nullam fuisse arbitrarer. Alieno autẽ à te animo fuit. quomodo? speraui credo difficiles tibi Alexandriæ fore exitus propter regionis naturã, & fluminis. At eo ipso tempore pecuniã dedit: exercitum aluit: quem Asiæ præfeceras, ei nullain re defuit: tibi victori nõ solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atq; ad aciem præsto fuit. Secutum est bellum Africanum. graues de te rumores sparsi: qui etiam furiosum illum Cæcilium excitauerunt. quo tum animo te fuisse? qui auctionatus sit: seseq; & filiũ suum expoliare maluerit: quàm tibi pecuniã non submi nistrare. At eo inquit tẽpore ipso Niceam, Ephesumq; mittebat: qui rumores Africanos exciperent: & celeriter ad se referrẽt. atq; cũ esset nunciatũ, Domitium naufragio periisse: te in castello circunsederi: de Domitio dixit versum Græcum eadẽ sententia: qua etiam nos ha-

Aduig.

bemus Latinum: pereant amici: dum vnà inimici intercidant: quod ille, si esset tibi inimicissimus: nunquam tamẽ dixisset. ipse enim mansuetus: versus immanis. qui autẽ Domitio poterat esse amicus: qui tibi esset inimicus? tibi porrò inimicus cur esset? à quo cũ vel interfici belli lege potuisset: regem & se, & filium suum constitutos esse meminisset? Quid deinde furcifer? quo progreditur? ait hac lætitia Deiotarum elatum, vino se obruisse, in conuiuioq; nudum saltauisse. quæ crux huic fugitiuo potest satis supplicij afferre? Deiotarum saltantem quisquam aut ebrium vidit vnquam? omnes sunt in illo rege virtutes: quod te Cæsar ignorare non arbitror: sed præcipue singularis, & admiranda frugalitas. & si hoc verbo scio laudari Reges non solere. frugi hominem dici, non multum laudis habet in rege. fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes. illa priuata est. vt volet quisq; accipiat: ego tamen frugalitatem. id est modestiam, & temperantiam virtutem esse maximã iudico. hæc in illo est ab ineunte ætate, tum à cæcta Asia, tum à magistratibus legatisq; nostris, tum ab Equitibus Romanis, qui in Asia negociati sunt: perspecta, & cognita. multis ille quidem gradibus officiorum erga Rempub. nostram ad hoc regium nomẽ ascendit. sed tamen quicquid à bellis Populi Rom. vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationesq; iungebat: vt non solum Tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur. qui igitur adolescens nondum tanta gloria præditus nihil vnquam nisi seuerissime, & grauissime fecerit: is ea existimatione, eaq; ætate saltauit? Imitari



tari potius Castor aui mores, disciplinamq; debebas: quã optimo & clarissimo viro fugitiui ore maledicere. quod si saltatorem auum habuisses: neq; eum virum, vnde pudoris pudicitiæq; exempla peterentur: tamen hoc male dictum minime in illam ætatem conueniret. quibus ille studijs ab ineunte ætate se imbuerat: non saltandi, sed bene vt armis, optime vt equis vteretur: ea tamen illum cuncta iam ætate exacta defecerant. itaq; Deiotarum cum plures in equum sustulissent: quod hærere in eo senex posset, admirari solebamus. hic vero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Græcia commilito fuit: cum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus: quos vnà cum eo ad Pompeium pater miserat: quos concursus facere solebat? quàm sciactare? quàm se ostentare? quàm nemini in illa causa studio & cupiditate concedere? cum vero exercitu amisso, ego qui pacis semper author fui: post Pharsalicum autem prælium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abyciendorum: hunc ad meam authoritatem non potui adducere: quod & ipse ardebat studio ipsius belli: & patri satisfaciendũ esse arbitrabatur. felix ista domus: quæ non impunitatem solum adepta sit: sed habet etiam accusandi licentiã. calamitosus Deiotarus: qui ab eo, qui in ysdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam à suis accusetur. vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti. Sint sanè inimicitiæ: quæ esse non debebant. rex enim Deiotarus vestram familiam abiectam, & obscuram è tenebris in lucem vocauit. quis tuum patrem antea, qui esset, quã cuius gener esset, audiuit? sed quamuis ingrate, & impie necessitudinis nomen repudiaueritis: ta-

men inimicitias hominum more gerere poteratis: non si
cto crimine insectari : non expetere vitam : non capitis
arcessere. Esto concedatur hæc quoq; acerbitatis, & odij
magnitudo, adeo ne? ut etiã omnia vitæ, salutisq; com-
munis, atq; etiam humanitatis iura violentur? seruum
sollicitare verbis, spe, præmijsq; corrumpere, adducere
domum, contra dominum armare, hoc est non uni pro-
pinquo, sed omnibus familys bellũ nefarium indicere.
nam ista corruptela serui, si non modo impunita fuerit:
sed etiam à tanta authoritate approbata: nulli parietes
nostram salutem, nullæ leges, nulla iura custodient. ubi
enim id, quod intus est, atq; nostrum, impune euolare
potest, contraq; nos pugnare: fit in dominatu seruitus: in
seruitute dominatus. O tempora, O mores: Cn. Domi-
tius ille, quẽ nos pueri Consulem, Censorem, Pontificem
maximum vidimus: cũ Tribunum plebis M. Scaurũ
principem ciuitatis in iudiciũ populi vocauisset: Scau-
riq; seruus ad eum clàm domum venisset: & crimina
in dominum delaturum se esse dixisset: comprehendi ho
minem iussit: ad Scaurumq; deduci. vide quid inter-
sit? & si inique Castorem Domitio comparo. sed tamen,
ille inimico seruum remisit. tu ab auo abduxisti. ille in-
corruptum audire noluit. tu corrupisti. ille adiutorẽ ser-
uum contra dominum repudiauit. tu etiam accusatorẽ
adhibuisti. At semel iste est corruptus à vobis? nonne
cum esset productus, & cum tecum fuisset: refugit ad
legatos? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit?
nonne audiente hoc Seru. Sulpitio clarissimo viro, qui
tum casu apud Domitium cœnabat: et hoc T. Torqua-
to optimo adolescente, se à te corruptum, tuis promissis
in fraudem impulsum esse confessus est? Quæ est ista
tam



tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhuma
nitas? Iccirco in hanc vrbem venisti? vt huius vrbis iu-
ra & exempla corrumperet? domesticaq; tua inhu-
manitate nostræ ciuitatis humanitatem inquinares? At β
quàm acute collecta crimina? Blesamius inquit, eius
enim nomine optimi hominis, nec tibi ignoti, maledice-
bat tibi: ad regem inquit scribere solebat: te inuidiose
Tyrannum existimari: statua inter Regis posita animos
hominum vehementer offensos: plaudi tibi non solere.
nonne intelligis Cæsar, ex vrbanis maleuolorum seru-
unculis hæc ab istis esse collecta? Blesamius Tyran-
num Cæsarem scriberet? multorum enim ciuium capita
viderat? multos iussu Cæsaris vexatos, verberatos, neca
tos? multas afflictas, & euersas domos? armatis milit-
ibus refertum forum? quæ semper in ciuili victoria sensi-
mus: ea te victore non vidimus. solus inquã es C. Cæsar:
cuius in victoria ceciderit nemo nisi armatus. & quem
nos liberi in summa Reip. libertate nati non modo non
Tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria vi-
demus ducem: is Blesamio, qui viuit in regno, Tyran-
nus videri potest? Nã de statua quis queritur? vna præ-
sertim? cum tam multas videat? valde enim inuiden-
dum est eius statuæ: cuius trophæis non inuidemus. nam
si locus affert inuidiam: nullus locus est ad statuam qui
dem rostris clarior. De plausu autem quid respon-
am? qui nec desideratus vnquam à te est: & nonnun-
quam obstupefactis hominibus ipsa admiratione com-
pressus est: & fortasse eo prætermissus: quia nihil vul-
gare te dignum videri potest. Nihil à me arbitror
prætermissum: sed aliquid ad extremam causæ partem
reseruatum: id autem aliquid est: te vt plane Deiotaro
recon-

reconciliet oratio mea. non enim iam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. quod abest longissime mihi crede Cæsar. quid enim retineat per te meminit: non quid amiserit: neque se à te mulctatum arbitratur: sed, cum existimaret multis tibi multa esse tribuenda: quo minus à se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres non recusauit. Etenim si Antiochus magnus ille Rex Asiæ, cum posteaquam à Scipione deuictus Tauro tenus regnare iussus esset: omnemq; hanc Asiam, quæ est nunc nostra prouincia, amisisset, dicere est solitus: benigne sibi à populo Rom. esse factum: quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis vteretur: potest multo facilius Deiotarus consolari. ille enim furoris mulctam sustinuerat: hic erroris. omnia tu Deiotaro Cæsar tribuisti: cum & ipsi, & filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atq; conseruato, nullum beneficium populi Romani, nullum iudicium de se Senatus imminutum putat: magno animo & erecto est: nec vnquam succumbet inimicis: ne fortunæ quidem. multa se arbitratur & peperisse antea factis, & habere in animo, atq; virtute: quæ nullo modo possit amittere. quæ enim fortuna? aut quis casus? aut quæ tanta possit iniuria, omnium Imperatorum de Deiotaro decreta delere? ab omnibus enim est ornatus: qui, postquam in castris esse potuit per ætatem: in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella gesserunt, Senatus vero iudicia de illo tam multa, tamq; honorifica, quæ publicis populi Ro. literis, monumentisq; consignata sunt, quæ vnquam vetustas obruet? aut quæ tanta delebit oblivio? quid de virtute eius dicã? quid de magnitudine animi? gravitate? constantia? quæ omnes



docti, atq; sapientes summa, quidã etiam sola bona esse dixerunt: hisq; nõ modo ad bene, sed etiam ad beate viuendum contentam virtutem esse. Hæc ille reputans, & dies & noctes cogitans, non modo tibi non succenset (esset enim non solum ingratus: sed etiam amens) verum omnem tranquillitatem, & quietem senectutis acceptam refert clementiæ tuæ. quo quidẽ animo cum antea fuit: tum non dubito quin tuis literis, quarum exemplum legi: quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti: se magis etiam erexerit, ab omniq; sollicitudine abstraxerit. iubes enim eum bene sperare: & bono esse animo. quod scio te non frustra scribere solere. memini enim iisdem ferè verbis ad me te scribere: meq; tuis literis bene sperare non frustra esse iussum. Laboro equidem Regis Deiotari causa: quo cum mihi amicitiam Resp. conciliauit: hospitiũ voluntas vtriusq; coniunxit: familiaritatem consuetudo attulit: summam vero necessitudinem magna eius officia in me, & in exercitum meum effecerunt: sed cum de illo laboro, tum de multis amplissimis viris: quibus semel ignotum à te esse oportet: nec beneficium tuum in dubium vocari: nec hærere in animis hominum solicitudinem sempiternam: nec accidere, vt quisquam te timere incipiat eorum, qui semel à te sint liberati timore. Non debeo C. Cæsar quod fieri solet in tantis periculis tentare: quonam modo dicendo misericordiam tuam commouere possim. nihil opus est. occurrere ipsa solet supplicibus, & calamitosis nullius oratione enocata. propone tibi duos Reges: & id animo contemplare, quod oculis non potes: dabis profecto misericordiæ: quod iracundiæ negauisti. multa sunt tuæ clementiæ monumenta: sed maxime eorum incolumitates:

mitates: quibus salutem dedisti. quæ si in priuatis gloriosa sunt: multo magis commemorabuntur in regibus. semper regium nomen in hac ciuitate sanctum fuit. sociorum vero regum, & amicorum, sanctissimum. quod nomen hi Reges ne amitterent, te victore timuerunt: retentũ vero, & à te confirmatum posteris etiam suis tradituros esse confido. corpora vero sua, pro salute Regũ suorum hi legati tibi regij tradunt, Hieras, & Blesamius, & Antigonus tibi, nobisq; omnibus iam diu noti: eademq; fide et virtute præditus Dorilaus: qui nuper cum Hiera legatus est ad te missus: tum Regum amicissimi, tum tibi etiam probati, vt spero. Exquire de Blesamio, nunquid ad Regem contra dignitatem tuam scripserit? Hieras quidem causam omnem suscipit: & criminibus illis pro Rege se supponit reum: memoriam tuam implorat: qua vales plurimum. negat vnquam se à te in Deiotari Tetrarchia pedem discessisse: in primis finibus tibi præsto fuisse dicit: vsq; ad vltimos prosecutum: cum è balneo exisses: tecũ se fuisse: cum illa munera inspexisses cœnatus: cum in cubiculo recubuisses: eandemq; assiduitatem tibi se præbuisse postridie. quamobrem, si quid eorum, quæ obiecta sunt, cogitatum sit: non recusat, quin id facinus suum Iudices. Quocirca C. Cæsar velim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus: aut incolumem famam cum salute. quorum alterum optare illorum crudelitatis est: alterum conseruare clementiæ tuæ.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA PRIMA. ORATIO XLIIII.

A Ntequam de Republica Patres C. dicã ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror: exponã vobis breuiter consilium & professionis, & reuersionis meæ. Ego cũ sperarem aliquando ad vestrũ consiliũ auctoritatemq; Remp. esse reuocatam: manendũ mihi statuebã quasi in vigilia quadã consulari, ac senatoria. nec vero vsquã discedebam: nec à Rep. deiciebã oculos, ex eo die, quo in ædẽ Telluris conuocati sumus. in quo templo, quantũ in me fuit, ieci fundamenta pacis: Atheniensiumq; reuocaui vetus exemplũ: Græcum etiã verbum vsurpaui: quod tum in sedandis discordijs vsurpauerat ciuitas illa: atq; omnẽ memoriã discordiarum obliuione sempiterna delendã censui præclara tũ oratio M. Antonij: egregia etiã voluntas: pax denicq; per eũ, & per liberos eius cũ præstãtissimis ciuibus cõfirmata est. Atq; his principijs reliqua consentiebant. ad deliberationes eas, quas habebat domi de Repub. principes ciuitatis adhibebat: ad hũc ordinẽ res optimas deferebat: summa cum dignitate & cõstantia ad ea, quæ quæsita erant, respondebat: nihil tũ, nisi quod erat notũ omnibus, in C. Cæsaris cõmentarijs reperiebatur. nũ qui exules restituti? vnũ aiebat: præterea neminẽ. nũ immunitates datæ? nullæ respõdebat. aſsẽtiri etiã nos Ser. Sulpitio clarissimo viro volui: ne qua tabula post Idus Martias vllius decreti Cæ-

saris, aut beneficy figeretur. multa prætereo, eaq; præclara. ad singulare enim M. Antonij factum festinat oratio. Dictaturam, quæ vim iam regiæ potestatis obsederat: funditus ex Repub. sustulit. de qua ne sententias quidem diximus. Scriptum Senatus consultum, quod fieri vellet, attulit. quo recitato, authoritatem eius summo studio secuti sumus: eiq; amplissimis verbis per Senatus consultum gratias egimus. Iux quædam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus: sed etiam regni timore sublato: magnumq; pignus ab eo Reipub. datum: se liberam ciuitatem esse velle: cum Dictatoris nomen, quod sæpe iustum fuisset: propter perpetuæ dictaturæ recentem memoriam funditus ex Rep. sustulisset. liberatus cædis periculo paucis post diebus Senatus: cuius impactus est fugitiuo illi, qui in C. Mary nomen inuaserat. atq; hæc omnia cõmuniter cum collega. alia porro propria Dolobellæ. quæ nisi Collega abfuisset: credo eius fuisse futura communia. Nam cum serperet in vrbe infinitum malum: idq; manaret indies latius: ij demq; busto in foro facerent: qui illam insepultã sepulturam effecerant: & quotidie magis magisq; perditi homines, cum suis similibus seruis, tectis ac templis vrbis minarentur: talis animaduersio fuit Dolobellæ cum in audaces sceleratosq; seruos, tum in impuros, & nefarios liberos: taliq; euersio illius execratæ columnæ: vt mirũ mihi videatur: tam valde reliquũ tempus ab illo vno die dissensisse. ecce enim Cal. Iunij, quibus vt adessemus edixerat, mutata omnia. nihil per Senatũ: multa & magna per seipsum & absente populo & inuito. Consules designati se audere negabant in Senatum venire: patriæ liberatores vrbe carebant ea: cuius à ceruicibus iugum seruile deiecerant. quos tamen ipsi consules, & in concionibus, & in omni sermone laudabant. veterani qui appellabantur: quibus hic ordo diligentissime caueram: non ad conseruationem earum rerũ, quas habebant: sed ad spem nouarum prædarũ incitabantur. quæ cum audire mallẽ, quam videre: haberemq; ius legationis liberum: ea mente discessi: vt adessem Cal. Ianuarij: quod initium Senatus cogendi fore videbatur. Exposui P. C. profectionis consilium. nunc reuersionis, quæ plus admirationis habet: breuiter exponam. Cum Brundusium, iterq; illud, quod tritum in Græciã est, non sine causa vitauissem: Cal. sextilibus veni Syracusas: quod ab vrbe ea transmissio in Græciã laudabatur. quæ tamen mihi vrbs coniunctissima, plus vna me nocte, cupiens retinere non potuit. veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios aduentus suspicionis aliquid afferret, si essem cõmoratus. cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini: venti detulissent: ab eo loco conscendi, vt transmitterẽ. nec ita multũ prouectus, reiectus austro sum in eum ipsum locũ, vnde conscenderam. cumq; intempesta nox esset, mansissemq; in villa P. Valerij comitis, & familiaris mei: postridieq; apud eundẽ ventum expectans manerem: municipes Rhegini cõplures ad me venerũt: ex his quidã Roma recentes: à quibus primum accipio M. Antony concionẽ: quæ ita mihi placuit: vt ea lecta de reuersione primum cœperim cogitare. nec multo post, edictum Bruti affertur, & Cassy. quod quidem mihi, fortasse quod eos, etiam plus Reip. quam familiaritatis gratia diligo: plenũ æquitatis videbatur. adde-

bant præterea (fit enim plerunq; vt ij, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid: quo faciant id, quod nũciant, lætius) Remp. conuenturam Cal. Sextilibus: Senatum frequentẽ fore: Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis Gallys prouincijs, ad authoritatẽ Senatus esse rediturum: tũ vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum: vt mihi nulli neq; remi, neq; venti satis facerent. non quo me ad tempus occursurum putarem: sed ne tardius, quàm cuperẽ, Reipub. gratularer. Atq; ego celeriter Veliã deuectus Brutum vidi, quanto meo dolore non dico. turpe mihi ipsi videbatur, in eam vrbẽ me audere reuerti, ex qua Brutus excederet: & ibi velle tuto esse: vbi ille non posset. neq; vero illum similiter, atq; ipse eram, cõmotum esse vidi. erectus enim maximi, ac pulcherrimi facti conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur. ex quo primũ cognoui, quæ Cal. Sextilibus in Senatu fuisset L. Pisonis oratio. qui quanquã parum erat (id enim ipsum à Bruto audieram) à quibus debuerat, adiutus: tamen & Bruti testimonio, quo quid potest esse grauius? & omniũ prædicatione, quos postea vidi: magnã mihi videbatur gloriam consecutus. Hunc igitur vt sequerer properaui: quem præsentes non sunt secuti: non vt proficerem aliquid (neque enim sperabam id: neq; perficere poteram) sed vt, si quid mihi humanitus accidisset (multa autẽ impendere videbantur præter naturam etiã præterq; fatum) huius diei vocem testem Reipub. relinquerẽ meæ perpetuæ erga se voluntatis. Quoniam vtriusq; consilij causam P. C. probatam vobis esse confido prius quam de Rep. dicere incipio: pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria, cui fui amicus: idq; non nullo eius officio



officio debere esse, præ me semper tuli. Quid tandem erat causæ? cur in Senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solus ne aberam? an nõ sæpe minus frequentes fuistis? an eares agebatur? vt etiã ægrotos deferri oporteret? Annibal credo erat ad portas? aut de Pyrrhi pace agebatur? ad quam causam etiã Appium illum & cæcum & senem delatum esse memoriæ proditũ est. de supplicationibus referebatur. quo in genere Senatores de esse non solent. coguntur enim non pignoribus, sed eorũ, quorum de honore agitur, gratia. quod idẽ fit, cum de triumpho refertur. ita sine cura Consules sunt: vt pene liberum sit Senatori non adesse. qui cum mihi mos notus esset, cumq; è via languerem, & mihimet displicerem: misi pro amicitia qui hoc diceret. at ille vobis audientibus, cũ fabris se domũ meam venturum esse dixit. nimis iracunde hoc quidẽ, & valde intemperanter. cuius enim maleficij ista pœna est? vt dicere in hoc ordine auderet: se publicis operis disturbaturũ publice ex Senatus sententia ædificatam domum? quis autẽ vnquã tanto damno Senatorem coegit? aut quid est vltra pignus, aut mulctã? qui si scisset quam sententia dicturus essem: remisisset aliquid profectò de seueritate cogendi. an me censetis P. C. quod vos inuiti secuti estis: decreturum fuisse? vt parentalia cum supplicationibus miscerentur? vt inexpiabiles religiones in Remp. inducerentur? vt decernerentur supplicationes mortuorum? nihil dico quis fuerit ille L. Brutus: qui & ipse regio dominatu Remp. liberauit: & ad simile virtutem, & simile factũ stirpem prope quingentesimũ annum propagauit: adduci tamen no possem: vt quem qua mortuum con-

iungerem cum deorum immortalium religione: vt eius sepulchrum nusquã extet, vbi parentetur: ei publice supplicetur. Ego vero eam sententiam dixissem Patres Conscripti: vt me aduersus populũ Ro. si quis accidisset grauior Reip. casus: si bellum, si morbus, si fames: facile possim defendere: quæ partim iam sunt: partim timeo ne impendeant. sed hoc ignoscant dij immortales velim & populo Romano, quid non probat, & huic ordini, qui decreuit inuitus. Quid de reliquis Reipub. malis? licet ne dicere? mihi vero licet, & semper licebit, dignitatem tueri: mortem contemnere. potestas modo veniendi in hunc locum sit: dicendi periculum non recuso. Atq; vtinam P. C. Cal. Sextilibus adesse potuissem: non quo profici potuerit aliquid: sed ne vnus modo Consularis, quod tũ accidit: dignus illo honore, dignus Rep. inueniretur. qua quidem ex re magnũ accipio dolore: homines amplissimis populi Ro. beneficijs vsos L. Pisonem ducem optimæ sententiæ non secutos. iccirco ne nos populus Ro. consulares fecit? vt in altissimo amplissimoq; gradu dignitatis locati Rempub. pro nihilo haberemus? non modo voce nemo L. Pisoni Consularis, sed ne vultu quidẽ assensus est. quæ ná, malum, est ista voluntaria seruitus? fuerit quædam necessaria. nec ego hoc ab omnibus ijs desidero: qui sententiam loco Consulari dicunt. alia causa est eorum, quorum silentio ignosco: alia eorum, quorum vocem requiro: quos quidẽ doleo in suspicionẽ populo Ro. venire. non metu, quod ipsum est turpe: sed alium alia de causa deesse dignitati suæ. quare primũ maximas gratias & habeo & ago, L. Pisoni: qui non quid efficere posset in Repub. cogitauit: sed quid ipse facere deberet. deinde à vobis P. C. peto: vt etiam, si sequi

sequi minus audebitis orationem atq; authoritatẽ meã: benigne tamen me, vt feciſtis adhuc, audiatis. Primum igitur acta Cæsaris seruanda censeo. non quo probẽ, quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis, & otij. vellem adesset Antonius, modo sine aduocatis. sed, vt opinor, licet ei minus valere: quod mihi heri per illũ non licebat. doceret me, vel potius vos P. C. quemadmodum ipse Cæsaris acta defenderet. an in commentariolis, & chirographis, & libellis se vno authore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Cæsaris firma erunt? quæ ille in æs incidit: in quo populi iussa, perpetuasq; leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem existimo nihil tam esse in actis Cæsaris, quam leges Cæsaris. an si cui quid ille promisit, id erit fixum? quod idem facere nõ potuit: vt multis multa promissa non fecit. quæ tamen multo plura reperta sunt illo mortuo: quam viuo beneficia per omnes annos tributa, & data. sed non muto: non moueo: summo etiam studio præclara illius acta defendo. pecunia vtinam ad ædẽ Opis maneret, cruenta quidẽ illa. sed his temporibus, cũ ijs quorum est, nõ redditur necessaria. quanquã ea quoq; sit effusa: si ita in actis eius fuit. ecquid est? quod tã proprie dici possit actũ eius, qui togatus in Repub. cum potestate, imperioq; versatus sit, quam lex? quære acta Gracchi: leges Semproniæ proferuntur: quære Syllæ, Corneliæ. quid? Cn. Pompei tertius Consulatus, in quibus actis consistit? nempe in legibus. à Cæsare ipso si quæreres, quid nã egisset in vrbe, & toga? leges multas responderet se, & præclaras tulisse. chirographa vero aut mutaret, aut non daret: aut, si dedis-

set: non ist as res in actis suis duceret. Sed ea ipsa concedo: quibusdam in rebus etiam conniueo. in maximis vero rebus, id est legibus, acta Cæsaris dissolui, ferendum nõ puto. Quæ lex melior, vtilior, optima etiã in Repub. sæpius flagitata? quàm ne Prætoriæ prouinciæ plusquã annum, ne plusqua biennĩ Consulares obtinerentur? hac lege sublata videtur ne vobis acta Cæsaris seruari? quid? ea lege, quæ promulgata est de tertia Decuria iudicum: nonne omnes iudiciariæ leges Cæsaris dissoluuntur? & vos acta Cæsaris defenditis: qui leges eius euertitis? nisi forte, si quid memoriæ causa retulit in libellum, id numerabitur in actis: & quamuis iniquũ & inutile sit, defendetur? quod ad populũ Centuriatis comitijs tulit: id in actis Cæsaris nõ habebitur? At quæ est ista tertia decuria? centurionum inquit. quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiã ante Põpeia, Aurelia nõ patebat? census præfiniebatur inquit. nõ Centurioni quidẽ solum, sed Equiti etiã Romano. itaq; viri fortissimi atq; honestissimi, qui ordines duxerũt: res & iudicat, et iudicauerũt. Nõ quæro inquit istos: quicunq; ordinẽ duxit, iudicet. at si feratis, quicunq; equo meruisset, quod est laudatius: nemini probaretis. in iudice enim spectari & fortuna debet, & dignitas. Nõ quæro inquit ista: addo etiã iudices manipulares ex legione Alaudarũ. aliter enim nostri negant posse se saluos esse. Q cõtumelioſum honorẽ ijs, quos ad iudicandũ nec opinãtes vocatis. Hic enim est legis iudex: vt y in tertia Decuria iudicẽt: q libere iudicare nõ audeat: in quo quãtus est error dy immortales eorũ: qui istã legẽ excogitauerũt: vt .n. q sq; sordidissimus videbitur: ita libẽtissime scueritate iudicãdi sordes suas eluet: labora

bitq;

Centurio. Eques. Iudex. Vocatio.



bitq; vt honestis Decurijs potius dignus videatur: quã in turpes iure coniectus. Altera promulgata lex est: vt & de vi, & de maiestate damnati, ad populum prouocent, si velint. Hæc vtrum tandem lex est? an legum omnium dissolutio? quis enim est hodie? cuius interſit istam legẽ manere? nemo reus est istis legibus: nemo est quem futurum putemus. armis enim gesta, nunquam profecto in iudicium vocabuntur. At res populares? vtinam quidem velletis aliquid esse populare. omnes enim iam ciues de Reipub. salute vna & mente, & voce consentiunt. quæ est igitur ea cupiditas eius legis ferendæ? quæ turpitudinem summam habeat: gratiam nullam? quid enim turpius quàm qui maiestatem populi Romani per vim minuerit: eum damnatum iudicio, ad eam ipsam reuerti: propter quam sit iure damnatus? Sed quid plura de lege disputo? quasi vero id agatur: vt quisquam prouocet. id agitur: id fertur: ne quis omnino vnquã istis legibus reus fiat. quis enim aut accusator tam amens reperietur? qui reo condemnato obij ci se multitudini conductæ velit? aut iudex? qui reum damnare audeat: vt ipse ad operas mercenarias statim pertrahatur? non igitur prouocatio ista lege datur: sed duæ maxime salutares leges, quæstiones q; tollũtur? quid est igitur aliud? quàm adhortari adolescentes, vt turbulenti, vt seditiosi, vt pernicioſi ciues velint esse? quam autem ad Reip. pestem furor tribunitius impelli non poterit, his duabus quæstionibus de vi, & de maiestate sublatis? quid? quod abrogatur his legibus Cæsaris, quæ iubent, ei, qui de vi, item q; ei, qui maiestatis damnatus sit, aqua & igni interdici? quibus cum prouocatio datur: nonne acta Cæsaris rescinduntur? Quæ quidem

Prouocabo. Arma gesta.

uuuu v

ego P.C. qui illa nunquam probaui: ita conseruanda concordiæ causa arbitratus sum: vt non modo, quas vi-uus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem: sed ne illas quidem, quas post mortem Cæsaris prolatas esse & fixas videtis. de exilio reducti sunt à mortuo: ciuitas data non solum singulis, sed etiam nationibus, & prouincijs vniuersis: immunitatibus infinitis sublata vectigalia à mortuo. ergo hæc vno viro optimo authore domo prolata defendimus. eas leges, quas ipse vobis inspectantibus recitauit, pronunciauit, tulit, quibus latis gloriabatur, ijsq; legibus Remp. contineri putabat: de prouincijs, de iudicijs: eas inquam Cæsaris leges nos, qui defendimus acta Cæsaris, euertendas putabimus? Ac de ijs tamen legibus, quæ promulgata sunt, saltem queri possumus: de ijs, quæ iã perlatæ dicuntur, ne illud quidem licuit. illæ enim nullo promulgatione latæ sunt ante, quàm scriptæ. Quærunt quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum P.C. bonis Tribunis pl. leges malas metuat. paratos habemus, qui intercedant: paratos, qui Remp. religione defendant: vacui metu esse debemus. quas tu mihi intercessiones inquis? quas religiones nominas? eas scilicet, quibus Reip. salus continetur. negligimus ista, & nimis antiqua, & stulta ducimus. foru sepietur: omnes claudentur aditus: armati in præsidijs multi in locis collocabuntur: quid tũ? quod erit ita gestum: id lex erit? & in æs incidi iubebitis? cedo illa legitima, quæ Consules populũ iure rogauerunt. hoc enim à maioribus accepimus ius rogandi: populus quæ iure sciuit. qui populus? is ne, qui exclusus est? quo iure? an eo, quod vi & armis omne sublatum est? Atq; ego hoc dico de futuris, quod est Augurũ:

ante



ante dicere ea, quæ vitari possunt: quæ si facta nõ erunt, refelletur oratio mea. loquor de legibus promulgatis: de quibus est integrum vobis. demonstro vicia: tollite. denuncio vim, arma: remouete. Irasci quidem mihi Dolobellæ pro Rep. dicenti noui oportebit. quanquã quidem id facturum non arbitror. noui enim facilitatem tuam. collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quæ bona ipsi videtur: mihi, ne grauius quippiam dicam: auorum & auunculi sui consulatum si imitaretur: fortunatior videretur. sed eum iracundum audio factum. video autẽ quàm sit odiosum, habere iratum eundem & armatũ: cum tanta præsertim gladiorum sit impunitas. sed propamius vt opinor æquum: quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. ego si quid in vitam eius, aut in mores contumeliose dixero: quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. si consuetudinem meam, quã semper in Rep. habui, tenuero: id est, si libere quæ sentiam, de Rep. dixero: primũ deprecor ne irascatur. deinde si hoc non impetro: peto, vt sic irascatur, vt quibus armis vtatur, si ita necesse est, vt dicit, sui defendendi causa: ijs qui pro Rep. quæ ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant, quid hac postulatione dici potest æquius? Quod si, vt à quibusdã mihi eius familiaribus dictum est: omnis eum quæ habetur contra voluntatem eius oratio, grauiter offendit: etiam si nulla inest contumelia: feremus amici naturam. sed ijdem illi ita mecum: non idem tibi aduersario Cæsaris licebit: quod Pisoni socero. & simul admonent quiddã, quod cauebimus: nec erit iustior P.C. in Senatum non veniendi morbi causa: quàm mortis. Sed per deos immortales, te enim intuens Dolobella, qui es mihi charissimus: non possum

de vtriusq;

de vtriusq; vestrum errore reticere. credo enim vos homines nobiles, magna quædam spectantes, non pecuniam, vt quidam nimis credduli suspicantur: quæ semper ab amplissimo quoq;, clarissimoq; contempta est: non opes violentas, & populo Ro. minime ferendam potentiam, sed charitatem ciuium & gloriam concupisse: ea autem est gloria, & laus, recte factorum, magnorumq; in Remp. meritorum: quæ cum optimi cuiusq;, tum etiã multitudinis testimonio comprobatur. Dicerem Dolobella qui recte factorum fructus esset: nisi te paulisper esse expertum viderem. quẽ potes recordari in vita tibi illuxisse diem lætiorem? quàm cum expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris pœna affectis, te domum recepisti? cuius ordinis? cuius generis? cuius deniq; fortunæ studia tum laudi, & gratulationi tuæ se non obtulerunt? qui mihi etiam, quo authore te in ys rebus vti arbitrabantur: & gratias boni viri agebant: & tuo nomine gratulabantur. recordare quæso Dolobella consensum illum theatri: cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fierant infensi: significauerunt se beneficio nouo memoriam doloris veteris abiecisse. hanc tu potuisti Dolobella (magno loquor cũ dolore) hanc tu inquam æquo animo potuisti tantam dignitatem deponere? Te autem M. Antoni absentem appello: vnũ illum diem, quo in ade Telluris senatus fuit: non omnibus ys mensibus, quibus te quidam multum à me dissentientes beatũ putant, anteponis? quæ fuit oratio tua de concordia? quanto metu veterani, quanta solicitudine ciuitas cum à te liberata est? cum tuum Collegam depositis inimicitys, oblitus auspiciorum, auguria te ipso augure nunciante, illo primum die Collegam tibi esse



esse voluisti: Reip. charissimus tuus paruus filius in Capitoliũ à te missus pacis obses fuit. quo Senatus die lætior? quo populus Romanus? qui quidẽ nulla in concione vnquam frequentior fuit. tũ deniq; liberati per viros fortissimos videbamur: quia, vt illi voluerant, libertatẽ pax consequebatur. proximo, altero, tertio, deniq; reliquis consecutis diebus non intermittebas quasi donũ aliquod quotidie afferre Reipublicæ. maximum autẽ illud: quod Dictaturæ nomen sustulisti. hæc iusta est à te, à te inquam, mortuo Cæsari nota ad ignominiam sempiternã. vt enim propter vnius M. Manly scelus, decreto, gentis Manliæ neminem patricium M. Manlium vocari licet: sic tu propter vnius Dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti. nũ huiusce, cum pro salute Reip. tanta gessisses, fortunæ te? num amplitudinis? nũ claritatis? num gloriæ pœnitebat? vnde igitur subito tanta ista mutatio? non possum adduci, vt suspicer, te pecuniã capũ licet quod cuiq; libet, loquatur: credere non est necesse. nihil enim vnquã in te sordidum, nihil humile cognoui. quanquã nihil est tam sanctum, quod non soleant domestici deprauare nonnunquam: sed noui firmitatẽ tuam: atq; vtinam vt culpam sic etiam suspicionem vitare potuisses. illud magis vereor: ne ignorans verũ iter gloriæ, glorioſum putes, plus te vnum posse: quã omnes: & metui à ciuibus tuis, quàm diligi malis. quod si ita putas: totam ignorans viam gloriæ. charum esse ciuibus, bene de Rep. mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum est. metui vero & in odio esse, inuidioſum, detestabile, imbecillum, caducum, quod videmus etiã in fabulis, ipſis illis, qui oderint dũ metuãt, dixerint: pernicioſum fuisse. Vtinam Antoni animum tuum meminisses: de quo tamen

men multa audisti ex me sæpissime. putas ne illum immortalitatem mereri voluisse: vt propter armorum metuendorum licentiam metueretur? illa erat vita: illa secunda fortuna: libertate esse parem cum cæteris: principem dignitate, itaq; vt omittam res aui tui prosperas: acerbissimum eius diem supremum malim: quã L. Cinnæ dominatum: à quo ille crudelissimè est interfectus. Sed quid oratione te flectam? si enim exitus C. Cæsaris efficere hoc non potest: vt malis charus esse, quàm mei tui: nihil cuiusquam proficiet, nec valebit oratio. quem qui beatum fuisse putant, miserrimi ipsi sunt. beatus est nemo, qui ea lege viuit: vt non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare flecte te quaso: & maiores tuos respice: atq; ita gubernа Rempublicam: vt natum te esse cives tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus esse quisquam potest. Et populi quidem Ro. iudicia multa ambo habetis: quibus vos non satis moueri permoleste fero. quid enim gladiatorij clamores innumerabilium ciuium? quid populi versus? quid Pompeij statuæ plausus infiniti? quid ij Tribuni plebis, qui vobis aduersantur? parum ne hæc significant incredibiliter consentientem populi Ro. vniuersi voluntatem? quid Apollinarium ludorum plausus? vel testimonia potius & indicia populi Romani? vobis parua esse videbantur? O beatos illos: qui cũ adesse ipsis, propter vim armorum, non licebat: aderant tamen: & in medullis populi Romani ac visceribus hærebant. nisi forte Actio tum plaudi, & sexagesimo post anno palmã dari putabatis: non Bruto, qui ys ludis ita caruit: vt in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti: desiderium liberatoris sui perpe-

tuo

tuo plausu & clamore leniret. Equidem is sum: qui istos plausus, cum à popularibus ciuibus tribuerentur, semper contempserim. idemq; cum à summis, medijs, infimis, cum denique ab vniuersis, hocidem fit: cumq; ij, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt: non plausum illum, sed iudicium puto. Sin hæc leuiora vobis videntur: quæ sunt grauissima: num etiam hoc contemnitis? quod sensistis tam charam populo Ro. vitam A. Hirtij fuisse? satis enim erat, probatum illum esse populo Romano, vt est: iucundum amicis, in quo vincit omnes: charum suis, quibus est ipse charissimus. tantam tamen felicitudinem bonorum, tantum timorem omnium, in quo meminimus? certe in nullo. quid igitur? hoc vos per deos immortales quale sit non interpretamini? quid eos de nostra vita cogitare censetis? quibus eorum, quos sperant Reipublicæ consulturos, vita tam chara sit?

Cæpi P.C. reuersionis meæ fructum: quoniam ea dixi: vt quicunq; casus consecutus esset: extaret conscientiæ meæ testimonium: & sum à vobis benigne, ac diligenter auditus. quæ potestas si mihi sæpius sine meo vestroq; periculo fiet, vtar. si minus: quantum potero, non tam mihi me, quàm Reip. reseruabo. mihi ferè satis est, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam. huc si quid accesserit: non tam mihi, quàm vobis, Reiq; publicæ accesserit.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA SECVNDA. ORATIO XLV.

Vonam meo fato P.C. fieri dicam: vt nemo his annis viginti Reip. hostis fuerit: qui non bellum eodem tempore mihi quoq; indixerit. Nec vero necesse est à me quenquam nominari vobis, eum ipsi recordemini. mihi pœnarum illi, plusquam optarẽ, dederunt. te miror Antoni quorum facta imitere: eorũ exitus non perhorrescere. Atq; hoc in alijs minus mirabar. nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius: omnes à me Reip. causâ lacessiti. tu, ne verbo quidem violatus, vt audacior quàm L. Catilina furiosior, quam P. Clodius videre: vltrò maledictis me lacessisti: tuamq; à me alienationem ad ciues impios tibi gloriæ fore putauisti. quid putem? contemptum ne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mediocritate ingenij, quid despicere possit Antonius. an in Senatu facillime detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis ciuibus bene gestæ Reipublicæ testimonium multis, mihi vni conseruatæ dedit. an decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est. quid enim plenius? quid uberius? quàm mihi & pro me, & contra Antonium dicere? illud profectò est. non existimauit suis similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus. Cui primus quàm de cæteris rebus respondeo: de amicitia, quam à me violatam esse criminatus est: quod grauissimum crimen



crimen iudico, pauca dicamus. Contra rem suam venisse me nescio quando quæstus est. an ego non venirẽ contra alienum pro familiari, & necessario meo? non veni cum contra gratiã, non virtutis specie, sed ætatis flore collectam? non venirẽ contra iniuriam? quã iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure Prætorio? sed hoc eiccirco cõmemoratum à te puto, vt te infimo ordini cõmendares: cum omnes recordarentur libertinũ generum, & liberos tuos nepotes Q. Fadi libertini homînis fuisse. Etenim te in disciplinam meam tradideras: nam ita dixisti: domum meam ventitaras. nec tu, si id fecisses, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses. sed nec feci sti, nec si cuperes: tibi id per C. Curionem facere licuisset. Auguratus petitionem mihi te concessisse dixisti. O incredibilem audaciam: O impudentiam prædicandam. quo enim tempore me Augurem à toto Collegio expetitum Cn. Pompeius, & Q. Hortensius nominauerunt: neq; enim licebat à pluribus nominari: nec tu soluendo eras, nec te vllo modo nisi eversa Repub. fore incolumẽ putabas. poteras autẽ eo tẽpore Auguratum petere: cum in Italia Curio non esset? aut tũ, cum es factus, vnam tribũ sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de vi condemnati sunt: quod tui nimis studiosi fuissent. At beneficio sum vsus tuo? quo? quanquã illud ipsum, quod commemoras, semper præmetuli. malui me tibi debere cõfiteri: quàm cuiquã minus prudenti nõ satis gratus videri. sed quo beneficio? quod me Brundusij non occideris? quem ipse videor, qui tibi, vt tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, saluum esse voluisset, in Italiam ire iussisset: eũ tu occideres? fac potuisse. quod est

aliud P. C. beneficium latronum: nisi vt commemorare possint, his se vitã dedisse, quibus non ademerint quod si esset beneficium: nunquam vy, qui illũ interfecerunt, à quo erant seruati: quos tu ipse viros clarissimos appellare soles: tantam essent gloriã consecuti. quale autem beneficium est? quod te abstinueris à nefario scelere? qua in re, non tam iucundum videri mihi debuit: non interfectum à te: quàm miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium: quandoquidem maius accipi à latrone nullũ potuit. in quo potes me dicere ingratum? an de interitu Reipublicæ queri non debui, ne de te ingratus viderer? an in illa querela misera quidem & luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me Senatus populusq; Romanus collocauit: necessaria, quid dictũ à me cum cõtumelia? quid non moderate? quid non amice? Et quidem cuius temperantiæ fuit: de M. Antonio querentem, abstinere maledicto? præsertim cũ tu reliquias Reipub. dissipauisses: cum domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent venalia: cum legis eas, quæ nunquã promulgatæ essent, & de te, & à te latas confiterere: cum auspicia Augur, intercessionem Consul sustulisses: cum esses fœdissime stipatus armatis: cum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, vino lustruq; consectus. At ego, tanquam mihi cum M. Crasso cõtentio esset: quo cũ multæ, & magnæ fuerunt: non cum vno gladiatore nequissimo: de Repub. grauiter querens, de homine nihil dixi. itaq; hodie perficiã: vt intelligat quantum tũ à me beneficium acceperit. At etiam literas, quas me sibi misisse diceres: recitauit homo cũ humanitatis expers, & vitæ communis ignarus. quis enim vnquã, qui paulum modo bonorũ consuetudinem nosset: literas ad se ab amico missas, offensione aliqua inposita in mediũ protulit? palamq; recitauit? quid hoc? aliud? quàm tollere è vita vitæ societatem? tollere amicorum colloquia absentium? quàm multa loca solent esse in epistolis? quæ prolata si sint: inepta esse videantur? quàm multa seria? neq; tamen vllo modo diuulganda? hoc inhumanitatis tuæ. stultitiã incredibilem videte. quid habes quod mihi opponas homo disserte? vt Mucie Tamisio, & Tyroni Numisio videris. qui cũ hoc ipso tempore stent cum gladijs in conspectu Senatus: ego quoq; te disertum putabo: si ostenderis quomodo sis cum sicarios defensurus. sed quid oppones tandem? negem me vnquam istas literas ad te misisse? quo me reconuinces? an chirographo? in quo habes scientiam quæstuosam. qui possis? sunt enim librarij manu, Iam video magistro tuo: qui te tanta mercede, quantam proferam: nihil sapere docuit. quid est minus non dicere oratoris, sed hominis? quàm obycere aduersario: quod de se verbo negarit: longius progredi non possit. qui obiecerit. at ego non nego: teq; in isto ipso conuinco non inhumanitatis solũ, sed etiã amentiæ. quod enim verbũ in istis literis est non plenũ humanitatis? officij? beneuolentiæ? omne autẽ crimen tuum est: quod de te in his literis non male existimẽ: quod scribam tanquã ad ciuem, tanquam ad bonum virũ, non tanquã ad sceleratum, & latronem. At ego tuas literas, & si iure poterã à te lacessitus: tamen non proferam: quibus petis, vt tibi per me liceat, quendam de exilio reducere: adiurasq; id te multo me, non esse facturum: idq; à me impetras. quid enim interponerẽ me audaciæ tuæ? quam neq; authori-

tas huius ordinis, neq; existimatio populi Romani, neq; leges vllæ possent coercere? veruntamen quid erat, quod me rogares? si erat is, de quo rogabas: Cæsaris lege reductus? sed videlicet meam gratiã voluit esse. in quo, nec ipsius quidẽ vlla esse poterat lege lata. Sed cum mihi P. C. & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda sint: alterũ peto à vobis: vt pro me dicentem benigne, alterũ ipse efficiam: vt contra illũ cum dicã, attente audiatis. simul illud oro: si meã cum in omni vita, tum in dicendo moderationẽ, modestiamq; cognoscitis: ne me hodie cum isti, vt prouocauit, respondebo: oblitũ esse putetis mei. non tractabo vt Consulem. ne ille quidẽ me vt Consularẽ. & si ille nullo modo Consul: vel quod ita vixit: vel quod ita Rempub. gerit: vel quod ita factus est Cõsul. ego sine vlla controuersia Consularis, vt igitur intelligeretis, qualẽ me esse consularẽ profiteretur: obiecit mihi Consulatũ meum. qui Consulatus verbo meus P. C. vt vester fuit. quid enim constituit? quid gessit? nisi ex huius ordinis consilio? authoritate? sententia? Hæc tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaq; gesta sunt: ausus es vituperare? quis autẽ meum Consulatum, præter P. Clodium, qui vituperaret inuentus est? cuius quidẽ te fatum, sicuti C. Curionem manet: quoniã id domi tuæ est: quod fuit illorũ vtriq; fatale. non placet M. Antonio Consulatus meus. at placuit P. Seruilio, vt eũ primum nominẽ ex illius temporis Cõsularibus, qui proxime est mortuus: placuit L. Catulo: cuius semper in hac Rep. viuet authoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pisoni, M. Labeoni, L. Volcatio, C. Figulo,

C. Figulo, D. Syllano, L. Murenæ: qui tunc erant Consules designati: placuit idẽ quod Consularibus M. Catoni: qui cũ multa, vita excedens, prouidit: tũ, quod a Consulẽ non vidit. maxime vero Consulatũ meũ Cn. Pompeius probauit: qui, vt me primũ decedens ex Syria vidit: complexus, & gratulans meo beneficio patriam se visurum esse dixit. sed quid singulos cõmemoro? frequentissimo Senatui sic placuit: vt esset nemo, qui mihi non vt parenti gratias ageret: qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas, Rempub. referret acceptũ. Sed quoniam illis, quos nominaui, tot & talibus viris, Respublica orbata est: veniamus ad eos: qui duo è consulari numero reliqui sunt. L. Cotta vir summo ingenio, summaq; prudentia, rebus his gestis, quas tu reprehendis: supplicationem decreuit verbis amplissimis: eiq;, illi ipsi, quos modo nominaui, Consulares, Senatusq; cunctus assensus est. qui honos post conditam hanc vrbẽ habitus est togato ante me nemini. L. Cæsar auunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua grauitate sententiam dixit in sororis suæ virũ, vitricum tuum? hunc tu, cũ auunculum, & præceptorẽ omnium consiliorum, totiusq; vitæ debuisses habere: vitrici te similem, quàm auunculi esse maluisti. huius ego alienus consilijs Consul vsus sum. tu sororis filius, quid ad eum vnquã de Republica retulisti? ad quos refers dij immortales? ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt. hodie non descendit Antonius. cur? dat natalicia in hortis. cui? nominem nominabo. putatote eum Phormioni, alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni. O' fœditatem hominis flagitiosam: O' impudentiam, nequitiam, libidinẽ

nonferendam.tu cum Principem Senatorẽ,ciuem singularem,tam propinquum habeas: ad eũ de Repub.nihil refers:ad eos refers,qui domũ suam nullã habent: tuam exhauriunt. tuus videlicet salutaris Consulatus:perniciosus meus? adeo ne pudorẽ cum pudicitia perdidisti? vt hoc in eo templo dicere ausus sis: in quo ego Senatum illum, qui quondam florens orbi terrarũ præsidebat,cõsulebam: tu homines perditissimos cũ gladijs collocasti. At etiam ausus es: quid autem est,quod tu non audeas? Cliuum Capitolinum dicere me Consule plenum seruorum armatorum fuisse. vt illa credo nefaria Senatusconsulta tum fierent,vim afferebã Senatui. O miserum, siue illa tibi nota non sunt: nihil enim boni nosti: siue sunt: qui apud tales viros tam impudenter loquare quis enim Eques Romanus? quis præter teadolescens nobilis? quis vllius ordinis? qui se ciuem meminisset: cum Senatus in hoc templo esset:in Cliuo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quanquã nec scribæ sufficere,nec tabulæ nomina illorũ capere potuerunt. Etenim cum homines nefarij de patriæ parricidio consiterentur,consociorum indicys, sua manu,voce penè literarum coacti,se vrbem inflammare,ciues trucidare,vastare Italiam,delere Rempub. consensisse:quis esset? qui ad salutem cõmunem defendendã non excitaretur? præsertim cum Senatus populusq; Romanus haberet ducẽ: qualis si quidem nunc esset:tibi idẽ quod illis accidit, contigisset. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat à me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit vnquam. quem,quia iure ei fui inimicus: doleo à te iam omnibus vicys esse superatum. Qui autem tibi venit in mentem,redigere in memoriam nostram, te domi P.Lentuli esse educatũ? an verebare?ne non putaremus natura te potuisse tam improbũ euadere, nisi accessisset etiam disciplina? Tam autem eras exercitus: vt tota in oratione tecũ ipse pugnares: vt nõ modo nõ cohærentia inter se diceres:sed maxime disiuncta,atq; contraria: vt non tanta mecũ, quãta tecum tibi esset contentio. Vitricum tuum in tanto fuisse scelere fatebare: pœna affectum querebare. Ita quod proprium meũ est, laudasti: quod totius Senatus est:reprehendisti. nam cũ comprehensio sontium,mea animaduersio, Senatus fuerit:homo disertus non intelligit eũ,quẽ contra dicit,laudari à se:eos,apud quos dicit,vituperari. Iam illud cuius est non dico audaciæ (cupit enim se audacem dici) sed,quod minime vult,stulticiæ? qua vincit omnes:Cliui Capitolini mentionem facere? cũ inter subsellia nostra versentur armati: cum in hac cella concordiæ (ò dij immortales) in qua me Consule salutares sententiæ dictæ sunt: quibus ad hanc diẽ viximus: cum gladijs homines collocati stent.accusa Senatum: accusa Equestrem ordinem: qui tum cũ Senatu copulatus fuit : accusa omnes ordines:omnes ciues: dum confiteare hunc ordinem,hoc ipso tempore, ab Ithyreis circumsederi. hæc tu non propter audaciã dicis tam impudenter:sed, qui tantarum rerum repugnantiam non videas, nihil profectò sapis. quid est enim dementius? quàm cum ipse contra Rempub. pernicosa arma cœperis, obijcere alteri salutaria? At etiam quodam loco facetus esse voluisti.quàm id,dy boni,nõ decebat.in quo est tua culpa nõnulla.aliquid.n. salis ab vxore mima trahere potuisti. cedãt arma togæ. quid tũ? nonne cesserũt? at postea tuis armis cessit toga.

Ithyrei Ithyrei de Progne filij xxx iiij (vt Tim fabulæ) à Progne Matre & scripto Spurij epistolæ apposito, in pharsalum missi sunt.

quæramus igitur utrũ melius fuerit: libertati populi Romani, sceleratorum arma, an libertatem nostrã armis tuis cedere? Nec vero tibi de versibus respondebo. tantũ dicã breuiter: neq; illos, neq; vllas te omnino literas nosse. me nec Reipub. nec amicis vnquam defuisse: & tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subciuis: vt meæ vigiliæ, meæq; literæ & iuuentuti vtilitatis, & nomini Romano laudis aliquid afferrent. sed hoc non huius temporis. ad maiora veniamus.

Succisiui. Successiui. Subcessiui.

P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti. quid nam homines putarent? si tum occisus esset: cum tu illũ in foro spectante populo Romano gladio stricto insecutus es, negociumq; transegisses: nisi ille se sub scalas tabernæ librariæ coniecisset, hisq; oppilatis impetum tuum compressisset? sed quid? ego fauisse me tibi fateor: suasisse ne tu quidem dicis. at Miloni ne fauere quidem potui. prius enim rem transegit: quàm quisquam tum suspicaretur eum facturum esse. At ego suasi. scilicet is animus erat Milonis: vt prodesse Reipublicæ sine suasore non posset? At lætatus sum. quid ergo? in tanta lætitia cunctæ ciuitatis me vnum tristem esse oportebat? quanquam de morte P. Clody fuit quæstio non satis prudẽter illa quidem constituta. quid enim attinebit noua lege quæri de eo? qui hominẽ occidisset: cum esset legibus quæstio constituta? quæsitum est tamen. quid ergo? tum cum res agebatur: nemo in me dixit: & tot annis post tu es inuentus, qui diceres? Quod vero dicere ausus es, idq; multis verbis: opera mea Pompeium à Cæsaris amicitia esse disiunctum: ob eamq; causam mea culpa ciuile bellum esse natum: in eo non tu quidem totare, sed, quod maximum est, temporibus errasti. Ego M. Bibulo

Fauere. Errare.



Bibulo præstantissimo ciue Consule, nihil prætermisi quantum facere, enitiq; potui: quin Pompeium à Cæsaris coniunctione auocarem. in quo Cæsar fuit fœlicior. ipse enim Pompeium à mea familiaritate disiunxit. Postea vero quã se totum Pompeius Cæsari tradidit: quid ego illum ab eo distrahere conarer? stulti erat sperare: suadere impudentis. duo tamen tempora inciderunt: quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: ea velim reprehendas si potes. vnum, ne quinquennij imperium Cæsari prorogaretur. alterum ne pateretur fieri, vt absentis eius ratio haberetur. quorum si vtrumuis persuasissem: in has miserias nunquam incidissemus. Atq; idem ego cum iam omnes opes suas & Reip. Pompeius ad Cæsarem detulisset: seroq; eadem sentire cœpisset, quæ ego ante multo prouideram: inferriq; patriæ bellum nefarium viderem: pacis, concordiæ, compositionis author esse non destiti: meaq; illa vox est nota multis: vtinam Cn. Pompei cum C. Cæsare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses. fuit alterum grauitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea M. Antoni semper & de Pompeio & de Rep. consilia fuerunt. quæ si valuissent, Resp. staret: tu tuis flagitys egesta re infamia, concidisses. Sed hæc vetera. illud vero recens, Cæsarem meo consilio interfectum. iam vereor P. Cne, quod turpissimum est: præuaricatorem mihi apposuisse videar: qui me non solum meis laudibus ornaret: sed etiam honoraret alienis. quis enim meũ in istius societate gloriosissimi facti nomen audiuit? cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatũ dico? cuius non statim diuulgatũ? citius dixerim iactasse se aliquos: vt fuisse in ista societate viderentur so-

Facere. Pax, Concordia. Vbi enim sunt Antonij?

occultatum. xxx v

cy, cum socij non fuissent: quam vt quisquam cælare vellet. quam verisimile porrò est in tot hominibus partim obscuris, partim adolescentibus, neminẽ occultantibus, meum nomen latere potuisse? etenim si authores ad liberandam patriã desiderarentur illis authoribus: Brutos ego impellerem? quorum vterq; L. Bruti imaginem quotidie videret: alter, etiam Halæ. his igitur maioribus orti ab alienis potius consiliũ peterent, quàm à suis? & foris potius, quã domi? quid? C. Cassius in ea familia natus, quæ nonmodo dominatum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit, me authorem credo desideranit? qui etiã sine his clarissimis viris, hanc rem in Ciliciam ad ostium fluminis Cydni confeciſſet: si ille ad eã ripam, quã constituerat: non ad contrariam nauim applicuisset. Cn. Domitium non patris interitus clarissimi viri? non auunculi mors? non spoliatio dignitatis? ad recuperandam libertatem, sed mea authoritas excitauit? an C. Trebonio persuasi? cui ne suadere quidẽ ausus essem? quo etiam maiorẽ ei Respub. gratiam debet: qui libertatem populi Romani vnius amicitiæ præposuit: depulsoq; dominatus, quàm particeps esse maluit. an L. Tullius Cimber me est authorem secutus? quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus: quàm facturum putaui. admiratus sum autẽ ob eam causam: quod immemor beneficiorum, memor patriæ fuisset. quid duos Seruilios, Cascas dicam, an Halas? & hos authoritate mea censetis excitatos potius, quàm charitate Reipublicæ? longum est persequi cæteros: idq; Reip. præclarum, fuisse tam multos: tũ multo ipsis gloriosius est. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæsare interfecto inquit statim cruentũ alte extollens M. Brutus

Consilium. Familia.

tus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit: atq; ei recuperatam libertatem est gratulatus. Cur mihi potissimũ? qui sciebam? Vide ne illa causa fuerit appellandi me: quod cum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram: me potissimũ testatus est: se æmulum mearum laudum extitisse. tu autem omnium stultissime nõ intelligis: si id, quod me arguis, voluisse interfici Cæsarem, crimen sit: etiam lætatum esse morte Cæsaris, crimen esse. quid enim interest inter suasorem facti, & probatorem? aut quid refert vtrum voluerim fieri? an gaudeam factum? ecquis est igitur, te excepto, qui illum regnare gaudebas: qui illud aut fieri noluerit? aut factum improbarit? omnes enim in culpa. etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Cæsarem occiderunt. aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: voluntas nemini. Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. sic enim dixit. M. Brutus, quem ego honoris causa nomino: cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamauit. ex quo intelligi debet eum consciũm fuisse. Ergo ego sceleratus appellor à te: quem tu suspicatum aliquid suspicaris? ille, qui stillantem præ se pugionem tulit: is à te honoris causa nominatur? esto sit in verbis tuis hic stupor. quanto in rebus sententiisq; maior? constitue hoc Consul aliquando: Brutorum, C. Cassij, Cn. Domitij, C. Trebonij, reliquorum, quam velis causam esse: edormi crapulam inquam, & exhala. an faces admouendæ sunt? quæ te excitent tantæ causæ indormientem? nunquã ne intelligis statuendum tibi esse, vtrũ illi, qui istã rem gesserunt, homicidæ rei sint? an vindices libertatis? Attende enim paulisper: cogitationemq; sobrij hominis ad punctum temporis suscipe. Etenim ego, qui

Suasor. Probator actor. Occisio. Sceleratq. Homicidæ Vindices. Homo sobrius, honestus.

qui sum illorum, vt ipse fateor, familiaris: vt à te arguor, socius: nego quicquam esse medium. confiteor eos, nisi liberatores populi Romani, conseruatoresq; Reip. sint: plusquam sicarios, plusquam homicidas, plus etiã quàm parricidas esse. siquidem est atrocius patriæ parentem, quàm suum occidere. tu homo sapiens & considerate quid dicis? si parricidæ: cur honoris causa à te sunt & in hoc ordine, & apud populum Ro. semper appellati? cur M. Brutus te referente legibus est solutus? si ab vrbe plusquam decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur prouinciæ Cassio & Bruto datæ? cur Quæstores additi? cur legatorum numerus additus? Atq; hæc acta per te. non igitur homicidæ. Sequitur vt liberatores tuo iudicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. sed tamen hæc est summa conclusionis meæ: quoniam scelere à te liberati sunt: ab eodem te amplissimis præmijs dignissimi iudicati sunt. Itaq; iam retexo orationem meam: scribam ad illos: vt si quis forte, quod à te mihi obiectum est, quærent sit ne verum? ne cui negent. etenim vereor, ne aut celatum me ab ipsis, illis non honestum, aut inuitatum refugisse, mihi sit turpissimum. quæ enim res vnquam, prò sancte Iupiter, non modo in hac vrbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quæ glorioſior? quæ commendatior erit hominum memoriæ sempiternæ? In huius me consilij societate, tanquam in equum Troianum includi cũ principibus non recusõ. ago etiam gratias, quoquo animo facis. tanta enim res est: vt inuidiam istam, quam tu in me vis concitare: cum laude non comparem. quid enim



enim beatius illis quos tu expulsos à te prædicas, & relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus? qui illos, quo accesserint: non affari, atq; appetere videatur? qui homines tam agrestes? qui sẽ, cum eos aspexerint, non maximum cœpisse vitæ fructum putent? quæ vero tam immemor posteritas? quæ tam ingratæ literæ reperientur? quæ eorum gloriam non immortalitatis memoriã prosequantur. tu vero ascribe me talem in numerum. sed vnam rem vereor, ne non probes. si enim fuissem: non solum regem, sed regnum etiam de Rep. sustulissem: & si meus stilus ille fuisset, vt dicitur, mihi crede non solum vnum actum, sed totam fabulam confecissem. quanquam si interfici Cæsarem voluisse crimen est: vide quæsõ Antoni, quid tibi futurum sit: quem & Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cœpisse notissimum est: & ob eius consily societatem, cum interficeretur Cæsar: tũ te à Trebonio vidimus seuocari. Ego autem, vide quàm tecũ agam non inimice. quod bene cogitasti aliquando, laudo: quod non indicasti, gratias ago: quod non feceris, ignosco. virum res illa quærebat. quod si te in iudiciũ quis adducat, vsurpetq; illud Cassianum, cui bono fuerit: vide quæsõ ne hæreas. quanquam quidem illud fuit, vt tu dicebas, omnibus bono, qui vni seruire nolebant: tibi tamen præcipue, qui non modo nõ seruis: sed etiam regnas: qui maximo tere alieno ad ædem Opis liberasti: qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipauisti: ad quẽ è domo Cæsaris tã multa delata sunt: cuius domus quæstuosissima est falsorum commentariorum, & chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium, flagitiosissimæ nundinæ. etenim quæres

egestati,

gestati, & æri alieno tuo præter mortem Cæsaris subuenire potuisset? nescio quid conturbatus mihi esse videris. nunquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? liberabo te metu: nemo credet vnquam: nõ est tuum de Rep. bene mereri: habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros Resp. authores: ego te dico tantum gaudere: fecisse non arguo. Respondi maximis criminibus, nunc etiam reliquis respondendum est. Castra mihi Pompeij atq; omne illud tempus obiecisti. quo quidẽ tempore, si, vt dixi, meum consilium, authoritas q; valuisset, tu hodie egeres: nos liberi essemus: Resp. non tot duces, & exercitus amisisset. fateor enim me, cum ea, quæ acciderunt, prouiderem futura, tanta in mœsticia fuisse: quanta cæteri optimi ciues, si idem prouidissent, fuissent: dolebam, dolebam P.C. Remp. vestris quondã meisq; consilijs conseruatam breui tempore esse perituram: neq; vero eram tam indoctus, ignarusq; rerum: vt frangerer animo, propter vitæ cupiditatem: quæ me manens conficeret angoribus: dimissa molestijs omnibus liberasset, illos ego præstantissimos viros, lumina Reip. viuere volebam: tot Consulares, tot Prætorios, tot honestissimos Senatores, omnem præterea florem nobilitatis, ac iuuentutis, tum optimorum ciuium exercitus: qui si viuerent, quamuis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum ciuibus bello ciuili vtilior videbatur) Remp. hodie teneremus. quæ sententia si valuisset: ac nõ y maxime, quorũ ego vitæ consulebam: spe victoriæ elati obstitissent: vt alia omittam: tu nunquã in hoc ordine, vel potius nunquam in hac vrbe mansisses. At vero Cn. Pompei voluntatem à me abalienabat oratio mea. an ille quenquam plus dilexit? cum vllo aut sermones, aut consilia contulit sæpius? quod quidem erat magnum: de summa re dissentientes: in eadem consuetudine amicitiæ permanere. sed & ego quid ille, & contra ille quid & ego sentirem, & spectarem videbat. ego incolumitati, ciuium primum, & postea dignitati, ille præsenti dignitati potius consulebat. quod autem habebat vterq; quid sequeretur: iccirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille consularis vir, ac penè diuinus de me sensit, sciunt qui eum Pharsalica fuga Raphum prosecuti sunt. Nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderij: cum me vidisse plus fateretur: se sperauisse meliora. & eius viri nomine me insectari audes: cuius me amicum, te sectorem esse fateare? sed omittatur bellum illud: in quo tu nimium fœlix fuisti. Ne iocis quidem respondebo: quibus me in castris vsum esse dixisti. erant quidem illa castra plena curæ. veruntamen homines, quamuis in turbidis rebus sint: tamen si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. quod autem idem mœsticiam meam reprehendit: idem iocum: magno argumento sit: me in vtroq; fuisse moderatum. Hæreditates mihi negasti venire. Vtinam hoc vnum verum crimen esset. plures amici mei, & necessary viuerent. sed qui istuc tibi venit in mentẽ? ego enim amplius HS ducenties acceptum hæreditatibus retuli. quanquam in hoc genere fateor feliciorem esse te, me nemo nisi amicus fecit hæredem: vt cum illo cõmodo, si quod erat, animi quidam dolor iungeretur. tuis, quem nunquam vidisti, L. Rubrius Cassina fecit hæredem, & quidem vide, quàm te amarit is: qui albus aut ne fueris ignorans, fratris filium præterijt: Q. Fury honestissimi equitis Romani, suiq; amicissimi, quem palam

palàm hæredem ſemper factitarat: ne nomen quidem perſcripſit: quem nunquam viderat, ac ne vnquam ſaltauerat, fecit hæredem. velim mihi dicas, niſi moleſtum eſt: L. Turſelius qua facie fuerit? qua ſtatura? quo municipio? qua tribu? nihil ſcio inquies, niſi quæ prædia habuerit. igitur fratrem exhæredans te faciebat hæredem. In multas præterea pecunias alieniſſimorum hominũ eiectis veris hæredibus, tanquam hæres eſſet, inuaſit. quanquam hoc maxime admiratus ſum: mentionem te hæreditatũ auſum eſſe facere: cum ipſe hæreditatem patris non adiſſes. hæc vt colligeres homo amentiſſime, tot dies in aliena villa declamaſti? quanquã tu quidem, vt tui familiariſſimi dictitant, vini exhalandi, nõ acuendi ingenij cauſa declamitas. Tum vero adhibes ioci cauſa magiſtrum ſuffragio tuo, & compotorum tuorum Rhetorem: cui conceſſiſti, vt in te quæ vellet diceret: falſum omnino hominem: ſed materia facilis in te et in tuos dicta dicere. Vide autem inter te & auum tuum quid interſit? ille ſenſim dicebat, quod cauſæ prodeſſet. tu curſim dicis aliena. at quanta merces Rhetori data eſt? audite: audite P.C. & cognoſcite Reip. vulnera: duo millia iugerum Campi Leontini Sex. Clodio Rhetori aſſignaſti, & quidem immunia: vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres. num etiam hoc homo audaciſſime ex Cæſaris commentarijs? Sed dicam alio loco de Leontino agro, & de Campano: quos iſte agros ereptos Reip. turpiſſimis poſſeſſoribus inquinauit. Iam enim quoniam criminibus eius ſatis reſpondi: de ipſo emendatore & correctore noſtro quædam dicenda ſunt. nec enim omnia effundam: vt ſi ſæpius decertandum ſit, vt erit, ſemper nouus veniam. quam facultatem mihi multitudo

× Declamitare.

multitudo iſtius vitiorum, peccatorumq; largitur. Vis ergitur te inſpiciamus à puero? ſic opinor. à principio ordinamur. Tenes ne memoria prætextatũ te decoxiſſe? patris inquies iſta culpa eſt. concedo. etenim eſt pietatis plena defenſio. illud tamen audaciæ tuæ, quod ſedeſti in quatuordecim ordinibus: cũ eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus conſtitutus: quamuis qui fortunæ vicio non ſuo decoxiſſet. Sumpſiſti virilem togam: quam ſtatim muliebrẽ ſtolam reddidiſti. primo vulgare ſcortũ: certa flagitij merces: nec ea parua, ſed cito Curio interemit: qui te à meretricio quæſtu abduxit: & tanquã ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili, & certo locauit. nemo vnquam puer emptus libidinis cauſa tam fuit in domini poteſtate: quàm tu in Curionis. quotiens te pater eius domo ſua eiecit? quotiens cuſtodes poſuit: ne limen intrares? cum tamen tu nocte ſocia, hortante libidine, conducta mercede, per tegulas demitterere. quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit. ſcis ne me de rebus mihi notiſſimis dicere? recordare tempus illud: cum pater Curio mœrens iacebat in lecto: filius ſe ad pedes meos proſternens lachrymans te mihi commendabat: orabat vt te contra ſuum patrem, ſi ſeſtertium ſexagies peteret, defenderem. tantũ enim pro te interceſſiſſe dicebat. ipſe autem amore ardens, confirmabat, quod deſiderium tui diſſidij ferre non poſſet: ſe in exilium eſſe iturum. quo ego tempore tanta mala florentiſſimæ familiæ ſedaui, vel potius ſuſtuli. patri perſuaſi, vt æs alienum filij diſſolueret: redimeret adoleſcentem ſummæ ſpe, & animi, & ingenij, præditum rei familiaris facultatibus: eumq; à tua non modo familiaritate, ſed etiam congreſſione patrio iure & poteſtate prohiberet. hæc tu, cum per me acta me

Matrimonium.

Adoleſcentem.

minisses: nisi illis, quos videmus, gladijs confideres: maledictis me prouocare ausus esses? sed iam stupra & flagitia omittam, sunt quædam, quæ honeste non possum dicere. tu autem eo liberior: quod ea in te admisisti: quæ verecundo inimico audire non posses. Sed reliquum cursum videte. quẽ quidem celeriter perstringã. adhæc enim, quæ in ciuili bello, in maximis Reip. miseriis fecit: & ea, quæ quotidie facit, festinat animus. quæ peto, vt quanquam multo notiora vobis, quàm mihi sunt, tamẽ, vt facitis, attente audiatis. debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio: tametsi incidamus oportet media: ne nimis sero ad extrema veniamus. Intimus erat in tribunatu Clodio. qui sua erga me beneficia commemorat: eius omnium incendiorum fax. cuius etiam domi quiddam iam tum molitus est. quid dicam, ipse optime intelligit. Inde itum Alexandriam contra Senatus authoritatem, contra religiones. sed habebat ducem Gabinium: qui cum quiduis rectissime facere posset. qui tum inde reditus? aut qualis? prius in vltimã Galliam, ex Ægypto, quàm domum. quæ autem erat domus? suam enim quisque domum tum obtinebat: neque erat vsquam tua. domum dico? quid erat in terris: vbi in tuo pedem poneres? præter vnum Misenum: quod cũ socijs tanquam Sisaponem tenebas. Venisti è Gallia ad Quæsturam petendam. aude dicere prius ad patrem tuum venisse, quàm ad me. acceperam enim iam ante Cæsaris literas: vt mihi satisfieri paterer à te. itaque ne loqui quidẽ sum te passus de gratia. postea custoditus sum à te: tu à me obseruatus in petitione Quæsturæ. quo quidem tempore P. Clodium approbante populo Roma-

no in



no in foro es conatus occidere. cumq; eam rem tua sponte conarere, non impulsu meo: tamen ita prædicabas: te non existimare, nisi illum interfecisses: vnquã mihi pro tuis in me iniurys satis esse facturũ. In quo demiror, cur Milonem impulsu meo rem illam egisse dicas: cum te vltrò mihi idem illud deferentem nunquam sim adhortatus. quanquam, si in eo perseuerares: ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quàm ad meam gratiam. Quæstor es factus. deinde continuo sine Senatus Consulto, sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi. id enim vnum in terris egestatis, æris alieni, nequiciæ, perditis vitæ rationibus perfugium esse ducebas. ibi te cum et illius largitionibus, & tuis rapinis expleuisses, si hoc est explere: quod statim effundas, aduolas egens ad Tribunatum: vt in eo magistratu, si posses, vitrici tui similis esses. accipite nunc quæso non ea, quæ ipse in se, atque in domesticũ dedecus impure, atque intemperanter, sed quæ in nos, fortunasq; nostras, id est in vniuersam Rempub. impie ac nefarie fecerit: ab huius enim scelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam cum L. Lentulo, C. Marcello Consulibus, Calen. Ian. labentem, & propè cadentem Rempublicam cupieretis: ipsiq; C. Cæsari, si sana mente esset, consulere velletis: tũ iste venditũ, atq; mancipatũ Tribunatum, consilijs vestris opposuit: tumultumq; suas ei subiecit securi: qua multi in minoribus peccatis occiderunt. In te autem M. Antoni id decreui Senatus, & quidẽ incolumis, nondum tot luminaribus extinctis, quod in hostẽ togatũ decerni est solitũ maiorũ: et tu apud patres coscriptos contra me dicere ausus es: cũ ab hoc ordine ego conseruator essem, tu hostis

Reip. iudicatus. commemoratio illius tui sceleris intermissa est: nõ memoria deleta. dum genus hominũ, dum populi Ro. nomen extabit: quod quidem erit, si per te licuerit, sempiternum: tua illa pestifera intercessio nominabitur. quid cupide à Senatu, quid temere fiebat? cum tu vnus adolescens vniuersum ordinem decernere de salute Reip. prohibuisti? neq; id semel, sed sæpius. neque tu tecum de Senatus authoritate agi passus es. quid autem agebatur? nisi ne delere & euertere Rempub. fundituus velles? cum te neq; Principes ciuitatis rogando, neq; maiores natu monendo, neq; frequens Senatus agendo, de vendita atq; addicta sententia mouere potuit? tum illud, multis ante rebus tentatis, necessario tibi vulnus infictum: quod paucis ante te, quorũ incolumis fuit nemo. tum contra te dedit arma hic ordo consulibus, reliquisq; Imperijs, & potestatibus. quæ non effugisses: nisi te ad arma Cæsaris contulisses. tu, tu inquam M. Antoni princeps C. Cæsari perturbare omnia cupienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. quid enim aliud ille dicebat? quam causam dementissimi sui consilij, & facti afferebat? nisi quod intercessio neglecta, ius tribunitium sublatũ, circunscriptus à Senatu esset Antonius? omitto quàm hæc falsa: quàm leuia: præsertim cũ omnino nulla causa iusta cui quã esse possit, contra patriam arma capiendi. sed nihil de Cæsare. tibi certe confitendum est: causam pernicios issimi belli in persona tua constitisse. O miserum te, si intelligis: miseriorem, si non intelligis: hoc literis mandari: hoc memoria proditi: huius rei ne posteritatem quidem omnium seculorũ vnquam immemorem fore: Consules ex Italia expulsum, cumq; his Cn. Pompeium: qui imperij populi Romani



decus, ac lumen fuit: omnes consulares, qui per valetudinem exequi fugam illã, cladem q; potuissent: Prætores, Prætorios, Tribunos plebis, magnam partẽ Senatus, omnem sobolem iuuentutis, vnoq; verbo Rempub. expulsam, atque exterminatam suis sedibus. vt igitur in omnibus causa est arborũ, & stirpium: sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. doletis tres exercitus populi Ro. interfectos. interfecit Antonius. desideratis clarissimos ciues. eos quoq; eripuit vobis Antonius. authoritas huius ordinis afflicta est. afflixit Antonius. omnia deniq;, quæ postea vidimus, quid autem mali non vidimus? sic recte ratio cinabimur, vni accepta referemus Antonio. vt Helena Troianis, si iste Reipu. causa belli, causa pestis, atque exitij fuit. Reliquæ partes Tribunatus principio similes. omnia perfecit: quæ Senatus, salua Rempub. ne fieri possent, perfecerat. cuius tamen scelus in scelere cognoscite. Restituebat multos calamitosos. in his patrui nulla mentio. si seuerus cur non in omnes? si mitis cur non in suos? sed omitto cæteros, Licinium Lenticulam de alea condemnatum collusorem suum restituit. quasi vero ludere cum condemnato non liceret. sed vt quod in alea perdiderat: beneficio legis dissoluerat. quam attulisti rationem populo Romano, cur eum restitui oporteret? absentem credo in reos relatum: rem iudicata causa iudicatã: nullum fuisse de alea lege iudicium: vi oppressum & armis: postremo quod de patruo ducebatur: pecunia iudiciũ esse corruptum. nihil horũ. At vir bonus, & Repub. dignus. nihil id quidem ad rẽ. ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo vis, si ei esset, ignoscerem. hominem vero omniũ nequissimũ, qui non dubitaret vel in foro alea ludere: lege quæ est

de alea condemnatum, qui in integrum restituit: is non apertissime studium suũ ipse profitetur? in eodem vero Tribunatu, cum Cæsar in Hispaniam proficiscens, huic conculcandam Italiam tradidisset: quæsiit eius peragratio itinerum? lustratio municipiorum? scio me in rebus celebratissimis sermone omnium versari: eaq;, quæ dico, dicturusq; sum, notiora omnibus esse, qui in Italia tum fuere: quam mihi, qui non fui. notabo tamen singulas res: & si nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestræ scientiæ. Ecquod enim vnquam in terris tantum flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus? Vehebatur in essedo Tribunus plebis: lictores laureati antecedebant: inter quos aperta lectica mima portabatur: quã ex oppidis municipales homines honesti obuiã necessario prodeuntes, non vero illo, & mimico nomine, sed Volumniam salutabant. sequebatur rheda cum lenonibus: comites nequissimi: reiecta mater amicam impuri filij tanquam nurum sequebatur. O' miseræ mulieris fœcunditatem. calamitosam horum flagitiorum iste vestigys omnia Municipia, Præfecturas, Colonias, totam denique Italiam impressit. Reliquorũ factorum eius P. C difficilis est sanè reprehensio, & lubrica. versatus in bello est. saturauit se sanguine dissimillimorum sui ciuium: fuit felix: si potest vlla esse in scelere felicitas, sed quoniam veteranis cautum esse volumus, quanquã dissimilis est militum causa, & tua, illi secuti sunt: tu quæsisti ducem: tamen, ne apud illos me in inuidiam voces: nihil de genere belli dicam. Victor Thessalia Brundusium cum legionibus reuertisti. ibi me non occidisti. magnum beneficium. potuisse enim fateor.



fateor. quanquam nemo erat eorum, qui tunc tecum fuerunt: qui mihi non censeret parci oportere. tanta enim est charitas patriæ: vt vestris etiam legionibus sanctus essem: quod eam à me seruatam esse meminissent. sed facte dedisse mihi, quod non ademisti: meq; à te habere vitam, quia à te non sit erepta: liceat nunc mihi per tuas contumelias hoc beneficium sic tueri, vt tuebar: præsertim cum te hæc auditurum videres. Venisti Brundusium in sinum quidem & complexũ tuæ mimulæ. quid est? num mentior? quam miserum est id negare non posse: quod sit turpissimum confiteri. site municipiorum non pudebat: ne veterani quidem exercitus? quis enim miles fuit? qui Brundusij illam non viderit? quis, qui ne scierit venisse eam tot dierum tibi viam gratulatum? quis qui non indoluerit tam sero se, quem hominem secutus esset, cognoscere? Italiæ rursus percursatio eadem comite mima: in oppida, militum crudelis & misera deductio: in vrbe auri & argenti maximeq; vini fœda direptio accessit, vt Cæsare ignaro, cum esset ille Alexandria, beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur. tum existimauit se suo iure cum Hippia viuere: & equos vectigales Sergio mimo tradere. quid ego istius decreta? quid rapinas? quid hæreditatum possessiones datas? quid ereptas proferam? cogebat egestas: quo seuerteret non habebat: nondum ei tanta à L. Rubrio, non à L. Tursecio hæreditas venerat: nondum in Cn. Pompei locum, multorumq; aliorum, qui aberant: repentinus hæres successerat. erat ei videndum latronum ritu: vt tantum haberet, quantum rapere potuisset. sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt omittamus. loquamur potius de iniquissimo genere leuitatis. Tu istis fau-

cibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantũ vini in Hippiæ nuptijs exhauseras: vt tibi necesse esset in populi Romani cõspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu. si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset: quis non turpe diceret? in cœtu vero populi, negocium publicum gerens, magister equitũ, cui ructare turpe esset: is vomens frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum, & totũ tribunal impleuit. sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus. veniamus ad splendida. Cæsar Alexandriam serecepit felix, vt sibi quidem videbatur: mea autem sententia, si quis Reipub. sit infelix, felix esse nõ potest: hasta posita pro æde Iouis Statoris, bona (miserũ me, consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij Magni voci acerbissimæ subiecta præconis: vna in illa re seruitutis oblita ciuitas ingemuit: seruientibusq; animis gemitus tamẽ pop. Ro. liber fuit. expectantibus omnibus, quis nam esset tam impius, tã demens, tã dijs hominibusq; hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere: inuentus est nemo, præter Antoniũ: præsertim cũ tot essent circa hastã illam, qui alia omnia auderent. vnus inuentus est: qui id auderet: quod omniũ fugisset, & formidasset audacia. tantus igitur te stupor oppressit? vel, vt verius dicã, tantus furor? vt primum, cum sector sis isto loco natus: deinde cum Pompeij sector: non te execrandum populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, omnes homines, & esse inimicos, & futuros scias? At quàm insolenter statim heluo inuasit in eius viri fortunas: cuius virtute terribilior erat populus

Vomitq.

Felix.

Audax.

Furor.

Sector

Sector

populus Romanus exteris gentibus, iustitia charior. In eius sigitur cupias cum se subito ingurgitauisset: exultabat gaudio persona de mimo, modo egens, repente dines. sed vt est apud poetam nescio quem: male parta, male dilabuntur: incredibile ac simile portenti est: quonam modo illa tam multa, quam paucis non dico mensibus, sed diebus effuderit. maximus vini numerus fuit: permagnum optimi pondus argenti: preciosa vestis: multa & lauta suppellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. horum paucis diebus nihil erat. quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quæ si fuit: fuit animal vnum: Oceanum medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tã distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. nihil erat clausum: nihil obsignatum: nihil scriptum: apotheca totæ nequissimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant: alia mimæ: domus erat aleatoribus referta: plena ebriorum: totos dies potabatur: atq; id locis pluribus: sug gerebantur etiã sæpe, non enim semper iste felix: damna aleatoria: conchiliatis Cn. Pompei peristromatis seruorum in cellis lectos stratos videres? quamobrem desinite mirari hæc tam celeriter esse consumpta. non modo vnius patrimoniũ, quamuis amplũ, vt illud fuit: sed vrbes, & regna tanta nequitia deuorare potuisset. At eiusdem ædes etiam & hortos. O' audaciam immanem: tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium dijs pẽatibus os importunissimum ostendere? quam dorum aliquandiu nemo aspicere poterat: nemo sine lachrymis preterire: hac te in domo tam diu diuersari non pudet? in qua quamuis nihil sapias: tamen nihil ti-

Vomitq.

Regius Dives.

Strictim, Latin.

Laudigs pot domũ yyy v

bi potest esse iucundum. an tu illa vestibula, rostra, spolia, cum aspexisti: domum tuam te introire putas? fieri non potest. quamuis enim sine mente, sine sensu sis, vt tamen & te, & tua, & tuos nosti. nec vero te vnquam neq; vigilantem, neq; in somnis credo mente posse consistere. necesse est, quamuis sis, vt es, violentus, & furens: cum tibi obiecta sit species singularis viri: perterritum de somno excitari: furere etiam sæpe vigilantem. me quidem miseret parietum ipsorum, atq; tectorum. quid enim vnquam domus illa viderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more, & sanctissima disciplina? fuit enim ille vir P. C. sicut scitis, cum foris clarus: tum domi admirandus: neq; rebus exteris magis laudandus, quàm institutis domesticis. huius in sedibus pro cubiculis stabula, pro triclinijs popinæ sunt. & sitiã negat. nolite, nolite quærere. frugi factus est. minam illã suam, suas res sibi habere iussit: ex duodecim tabulis causam addidit, exegit. quã porro spectatus ciuis? quàm probatus? cuius ex omni vita nihil est honestius: quàm quod cum mima fecit diuortium. At quàm crebro vsurpat, & Consul, & Antonius? hoc est dicere & consul, & impudicissimus, & Consul, et homo nequissimus. quid enim est aliud Antonius? nã si dignitas significaretur in nomine: dixisset aliquando credo auus tuus se & Consulem, & Antonium. nunquã dixit. dixisset etiã collega meus, patruus tuus. nisi solus es Antonius. sed omitto ea peccata: quæ nõ sunt earum partium propria. quibus tu Remp. vexauisti. ad ipsas tuas partes redeo: id est ad ciuile bellum. quod natum, conflatum, susceptum, opera tua est: cur ei bello tũ propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti? gustaras ciuilem sanguinem, vel potius exorbueras,

fueras



fueras in acie Pharsalica antesignanus: L. Domitium nobilissimum et clarissimũ virum occideras: multos, qui de prælio effugerant, quorum Cæsar nonnullos fortasse seruasset: crudelissime persecutus trucidaras. quibus rebus tantis, talibus, gestis, quid fuit causæ, cur in Africam Cæsarem non sequerere? cũ præsertim belli pars tanta restaret? Itaq; quem locum apud ipsum Cæsarem post eius ex Africa reditum obtinuisti? quo numero fuisti? cuius tu imperatoris Quæstor fueras: dictatoris magister equitum: belli princeps: crudelitatis author: prædæ socius: testamenti, vt ipse dicebas, filius: appellatus es de pecunia: quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. primo respondisti planè ferociter: & ne omnia videar contrate: propemodum æqua & iusta ducebas. à me C. Cæsar pecuniam? cur potius quàm ego ab illo? an ille me vicit? at ne potuit quidem? ego ad illum belli ciuilis causam attuli: ego leges pernicioſas rogaui: ego arma contra consules, imperatoresq; populi Romani, contra Senatum populumq; Romanum. contra deos patrios, arasq; & focos, contra patriam tuli. num sibi soli vicit? quorum facinus commune: cur non sit eorum præda communis? ius postulabas. sed quid ad rem? plus ille poterat. itaq; exclusis tuis vocibus, & ad te, & ad prædas tuas milites misit: cum repente à te præclara illa tabula prolata, qui risus hominum de te erat? tantam esse tabulam, tam varias, tã multas possessiones: ex quibus præter partem Miseni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere. auctionis vero miserabilis aspectus, vestis Pompeij nõ multa, eaq; maculosa: eiusdẽ quædã argentea vasa collisa: sordidata mancipia: vt doleremus quicquã esse ex illis reliquys: quod videre possemus.

semus. hanc tamen auctionem hæredes L. Rubrij decreto Cæsaris prohibuerunt. hærebat nebulo: quo se verteret, non habebat. quippe in his ipsis temporibus domi Cæsaris percussor ab isto missus deprehensus dicebatur esse cum sica. de quo Cæsar in Senatu aperte in te inuehens, questus est. Proficiscitur in Hispaniam Cæsar, paucis tibi ad soluendum propter inopiam tuam, prorogatis diebus. ne tum quidem sequeris. tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti? hunc igitur quisquam, qui in suis partibus, id est, in suis fortunis tam timidus fuerit, pertimescat? profectus est tamen aliquando in Hispaniam: sed tuto, vt ait, peruenire non potuit. quo nam modo igitur Dolobella peruenit? aut non suscipienda fuit ista causa Antoni: aut cum suscepisses, defendenda vsq; ad extremum. ter depugnauit Cæsar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus affuit his pugnis Dolobella. in Hispaniensi etiam vulnus accepit. si de meo iudicio quæris: nollem. sed tamen consilium a principio reprehendendum: laudanda constantia. tu vero quis es? Cn. Pompeij liberi primum patriam repetebant. esto, fuerit partium hæc causa communis. repetebant præterea deos penates patrios, aras, focos, larem suum familiarem: in quæ tu inuaseras. hæc cum repeterent armis ij, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse æqui? tamen erat æquissimum contra Cn. Pompeij liberos Cn. Pompeij pugnare sectorem. An tu Narbonæ in mensas hospitum cum vomeres: Dolobella pro te in Hispania dimicaret? qui vero Narbona reditus? & tamen quærebat, cur ego ex ipso cursu tam subito reuertissem. expositi nuper P. C. causam reditus mei. volui etiam si possem ante Cal. Ian. prodesse Rei-

se Reipublicæ. nam quod quærebas, quomodo redissem, primum luce, non tenebris: deinde cum calceis, & toga, nullis nec caligis, nec lacerna. At etiam aspicis me, & quidem, vt videris, iratus. nec tu mecum iam in gratiam redeas, si scias, quàm me pudeat nequitiæ tuæ: cuius teipsum non pudet. Ex omnium omnibus flagitijs nullum turpius vidi: nullum audiui: quã quod qui magister equitum fuisse tibi videretur: in proximum annũ consulatũ peteres, vel potius rogares: is per municipia, coloniasq; Galliæ: à qua cum Consulatus noster petebatur, non rogabatur, petere Consulatum solebamus. Cum caligis & lacerna cucurristi. At videte leuitatem. Cum hora diei decima fere ad saxa rubra venisset: deliuit in quadam Cauponula: atque ibi se occultans perpotauit ad vesperum. inde Cisio celeriter ad vrbem aduectus domum venit capite inuoluto. ianitor, quis ni à Marco tabellarius. confestim ad eam, cuius causa venerat, deducitur: eiq; epistolam tradidit. quam cum illa legeret flens, erat enim amatorie scripta, caput autẽ literarum, sibi cum illa mima post hac nihil futurum: omnem se amorem abiecisse illinc, atque in hanc transfudisse. cum mulier fleret vberius: homo misericors ferre non potuit: caput aperuit: in collum inuasit. O hominem nequã: quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere: ergo vt te catamitum, neque opinato cum ostendisses, præter spem mulier aspiceret: ita circo vrbem terrore nocturno, Italiam multorũ dierũ metu perturbasti? Et domi quidem causam amoris habuit foris etiam turpiorem. ne L. Plancus prædes tuos venderet: productus autẽ in concionẽ à Tribuno pl. cum respondisses, te rei tuæ causa venisse: populum in te dica-

cem

cem etiã reddidisti. Sed nimis multa de nugis: ad maiora veniamus. Cæsari ex Hispania redeunti obuiam longissime processisti. celeriter isti, & rediisti: vt cognosceret te, si minus fortem, attamen strenuum. factus ei rursus nescio quomodo familiaris. habebat hoc omnino Cæsar: quem planè perditum ære alieno, egentem q3, si eundem nequam hominẽ, audacem q3 cognouerat: hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His igitur rebus præclare commendatus iussus est renunciari Consul, & quidem cum ipso: nihil queror de Dolabella: qui tũ est impulsus, elusus, inductus. qua in re quanta fuerit vtriusq3 vestrum perfidia in Dolabellam quis ignorat? ille induxit, vt peteret: promissum & receptum interuertit: ad seq3 transtulit: tu eius perfidiæ voluntatem tuam ascripsisti. Veniunt Calen. Ianuary: cogimur in Senatum: inuectus est copiosius multo in istum, & paratius Dolabella: quàm nunc ego. hic autem iratus, quæ dixit dij boni: cum primum Cæsar ostendisset, se prius quàm proficisceretur, Dolabellam Consulem esse iussurum: quem negant regem, qui & faceret semper eiusmodi aliquid & diceret. sed cum Cæsar ita dixisset: hic tum bonus augur, eo se sacerdotio præditum esse dixit: vt comitia auspicijs vel impedire, vel viciare posset. idq3 se facturum esse asseuerauit. In quo primam incredibilem stupiditatem hominis cognosce. quid enim? istuc, quod te sacerdotij iure facere posse dixisti: si augur non esses, & consul esses: minus facere potuisses? vide etiam ne facilius. nos enim nunciationem solum habemus: Consules, & reliqui magistratus etiam inspectionem. esto hoc imperite: nec enim ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia: sed videte impudentiam. multis ante



mensibus in Senatu dixit Dolabellæ comitia aut prohibiturum auspicijs, aut id facturum esse, quod fecit. quisquam ne diuinare potest, quid vicy in auspicijs futurũ sit? nisi qui de cœlo seruare constituit? quod neq3 licet comitijs per leges: & si quis seruauit: non habitis comitijs, sed prius quàm habeantur, debet nunciare. verũ implicata inscitia impudentia est: si nescit quod augurem, nec facit quod pudentem decet. Atq3 illo die recordamini eius vsq3 ad Idus Martias Consulatum. quis vnquam apparitor tam humilis? tam abiectus? nihil ipse poterat: omnia rogabat: caput in aduersam lecticam inferens, beneficia, quæ venderet, à collega petebat. Ecce Dolabellæ comitiorum dies: sortitio prærogatiuæ: quiescit. renunciatur: tacet. prima classis vocatur: renunciatur: deinde, vt assolet, suffragia. tũ secunda classis vocatur: quæ omnia citius sunt facta, quàm dixi. confecto negocio bonus augur, Lælium diceres: alio die inquit. O' impudentiam singularem: quid videras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de cœlo seruare dixisti. neq3 hodie dicis. id igitur obuenit vicium: quod tu iam Calendis Ian. futurum esse præuideras: & tanto ante prædixeras. Ergo hercule magna, vt spero, tua potius, quam Reip. calamitate mentitus es auspicia: obstrinxisti populum Ro. religione: augur augurj, Consul Consuli obnunciauisti. nolo plura: ne acta Dolabellæ videar conuellere: quæ necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis, insolentiam q3 cognosce. quandiu tu voles: vicios⁹ consul Dolabella: rursus, cum voles: saluis auspicijs creatus. si nihil est: cum augur his verbis nunciat, quibus nunciasti: confitere te, cum alio die dixeris, sobrium non fuisse.

sin

sin est aliqua vis in istis verbis: ea quæ sit Augur à Collega requiro. Sed ne forte multis rebus gestis, M. Antonij rem vnam pulcherrimā transiliat oratio: ad Lupercalia veniamus. non dissimulat P. C. apparet esse commotum: sudat: pallet. quidlibet, modo ne nauseet. faciat: quod in porticu Numitia fecit. quæ potest esse turpitudinis tanta defensio? cupio audire: vt videam vbi rhetoris tanta merces, vbi campus Leontinus appareat. sedebat in rostris Collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus: ascendis: accedis ad sellam: ita eras Lupercus: vt te esse consulem meminisse deberes: diadema ostendis. gemitus toto foro. vnde diadema? non enim abiectum sustuleras: sed attuleras domo meditatum, & cogitatum scelus. tu diadema imponebas cum plangore populi. ille cum plausu reijciebat. tu ergo vnus scelerate inuentus es: qui cum author regni inuentus esses: eum, quem Collegam regni habebas: dominum habere velles: & idem tentares, quid populus Rom. ferre, & pati posset. At etiam misericordiam captabas: supplex te ad pedes abyciebas: quid petens? vt seruires? tibi vni peteres: qui ita à puero vixeras: vt omnia paterere: vt facile seruires. à nobis populo, Romano mandatum id certe non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam: cum e nudus concionatus. quid hoc turpius? quid fœdius? quid supplicijs omnibus dignius? num expectas dum te stimulis fodiam? hæc te, si vllam partem habes sensus, lacerat, hæc cruentat oratio. Vereor ne imminuam virorum fortium gloriam. dicam tamen dolore commotus. quid indignius? quàm viuere eum, qui imposuerit diadema? cum omnes fateantur iure interfectum esse, qui abiecerit. At etiam

etiam inscribi iussit in fastis, ad Lupercalia C. Cæsari Dictatori perpetuo M. Antonium Consulem populi iussu regnum detulisse: Cæsarem vti noluisse. Iam iā minime mirror, te ocium perturbare: non modo vrbem odisse, sed etiam lucem: cum perditissimis latronibus non sōlū de die, sed etiam in diem viuere. vbi enim tu in pace consistere? qui locus tibi in legibus, & iudicijs esse potest? quæ tua, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? ideo ne L. Tarquinius regno exactus? Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius necati? vt multis post seculis, à M. Antonio, quod fas nō est, rex Romæ constitueretur? sed ad auspicia redeamus. de quibus rebus Idibus Martijs fuit in Senatu Cæsar acturus: quæro tum tu quid egisses? Au diebā quidem te paratū venisse: quod me de mentitis auspicijs, quibus tamen parere necesse erat, putares esse acturū. Sustulit illum diem fortuna populi Romani: tū etiam tuum de auspicijs iudicium, interitus Cæsaris sustulit. Sed incidi in id tempus: quod ijs de rebus, in quas ingressa erat oratio: prætereundum non sit. quæ tua fuga? quæ formido illa die? quæ propter conscientiam scelerum desperatio vitæ? cum ex illa fuga beneficio eorum, qui te, si sanus esses, saluum esse voluerunt: clàm te domum recepisti? O mea semper frustra verissima augurium futurorum. dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, cum me ad te ire vellent: vt ad defendendam Rempub. te adhortarer: quoad metueres, omnia te promissurum: simul ac timere desisses, similem te futurum tui. Itaq; cum cæteri Consulares irent, & redirent, in sententia mansi: neq; te illo die, neq; postero vidi: neq; vllam societatem optimis ciuibus cū importunissimo hoste fœdere vllo confirmari posse credidi. post

~~diem tertium~~ veni in ædem Telluris, equidem inuitus cum omnes aditus armati obsiderent. qui tibi ille dies M. Antoni fuit? quanquam mihi subito inimicus extitisti: tamen me tui miseret: quod tibi inuideris. qui tu vir, dy immortales, & quantus fuisses? si illius diei mentem seruare potuisses? pacem haberemus: quæ erat facta per obsidem puerum nobilem M. Antonij filium M. Bambalionis nepotẽ: quanquam te bonum timor faciebat, non diuturni magister officij: improbum fecit ea, quæ, dum timor abest: à te non discessit, audacia. etsitũ, cum optimũ te putabant me quidem dissentiente funeri Tyranni illius sceleratissime præfuisti. tua illa pulchra laudatio: tua miseratio: tua cohortatio: tu, tu illas faces incendisti, & eas, quibus semiustũ latus illius est: & eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagrauit: tu illos impetus perditorum hominũ, & ex maxima parte seruorũ, quos ~~nos vi, manuq; repulimus, in nostras domus immisisti~~. Idem tamen quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio præclara Senatus consulta fecisti: ne quo post Idus Martias immunitatis tabula, neue cuiusquã beneficij figeretur. meministi ipse, de exulibus, scis de immunitate quid dixeris. optimũ vero, quod dictaturæ nomen in perpetuum de Republica sustuliſti. quo quidem facto tantũ te cœpisse odium regni videbatur: vt eius omnem propter proximũ dictatorem tolleres metum. constituta Respublica videbatur alijs: mihi vero nullo modo: qui omnia te gubernante naufragia metuebam. num me igitur fefellit? aut num diutius potuit sua esse dissimilis? inspectantibus vobis toto Capitolio tabulæ figebantur: neq; solum singulis veniebant immunitates: sed etiã populis vniuersis: ciuitas non tũ singillatim,

Bonus. Non bonus.

singillatim sed



sed prouincijs totis dabatur. itaq; si hæc manent: quæ ante Repub. manere non possunt: prouincias vniuersas patres Conscripti perdidistis: neq; vectigalia solum, sed etiam imperium populi Ro. huius domesticis nundinis deminutũ est. vbi est septies millies sestertiũ? quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat: fuit hæc illius quidem pecunia: sed tamen, si his quorum erat, non redderetur: quæ nos à tributis posset vindicare. tu autem sestertium octies quadringenties, quod Idibus Martijs debuisti, quonã modo ante Calend. Aprilis debere desijsti? quid ego de commentarijs infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? sunt ea quidem innumerabilia: quæ a diuersis emebantur non insciente te. sed vnum egregium de Rege Deiotaro populo Romano amicissimo de senatum in Capitolio fixum. quo proposito, nemo erat, qui ipso dolore risum posset continere. quis enim cuiquam inimicior, quàm Deiotaro Cæsar? æque atq; huic ordini: vt Equestri: vt Massilienſibus: vt omnibus, quibus Respublicã populi Romani charã esse sentiebat. is potitur, à quo viuo nec præsens, nec absens quicquã æqui, nec impetrauit: apud mortuum factus est gratus. compellarat hospitem præsens: computarat: pecuniam imperarat: in eius Tetrarchiam ex Græcis comitibus suis collocarat: Armeniam abstulerat à Senatu datam. hæc viuus eripuit. reddidit mortuus. At quibus verbis? modo æquũ sibi videri: modo non iniquum: mira verborum complexio. at ille nunquam, semper enim absenti Deiotaro: quicquã sibi, quod nos pro illo postularemus, æquũ dixit videri. syngrapha HS cẽties p legatos vi bonos, sed timidos, & imperitos, sine reliquorum ho-

Verba.

Legatus.

ſpitum regis ſententia, facta in Gynæceo. quo in loco plerimæ res veniere, & veneunt, qua ex ſyngrapha, quid ſit actum, meditere cenſeo. rex enim ipſe ſua ſponte nullu commentarys Cæſaris, ſimulatq; audiuit eius interitu, ſuo marte res ſuas recuperauit. ſciebat homo ſapiens ſemper hoc fuiſſe: vt quæ Tyranni eripuiſſent: ea Tyrannis interfectis, ij, quibus erepta eſſent, recuperarent. nemo igitur iureconſultus, ne iſte quidē, qui tibi vni eſt iureconſultus, per quem hæc agis: ex iſta ſyngrapha deberi dicit, proijs rebus, quæ erant ante ſyngraphā recuperatæ. non enim à te emit: ſed prius quam tu ſuum ſibi venderes, ipſe poſſedit. Ille vir fuit. nos quidem contemnendi: qui authorem odimus, acta defendimus. Quid ego de cōmentarys infinitis? quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiā imitatores ſunt: qui ea, tanquā gladiatorum libellos, palām venditent. Itaque tanti acerui nummorū apud iſtū conſtruuntur: vt iam appendantur, non numerentur pecuniæ. At quam cæca auaricia eſt? nuper fixa tabula eſt: qua ciuitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur: ſtatuturq;, ne poſt M. Brutum Proconſulem, ſit Creta prouincia. tu mentis es compos? tu non conſtringendu? an Cæſaris decreto Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari? cum Creta nihil ad Brutum Cæſare vius pertineret? At huius venditione decreti (ne nihil actum putetis) prouinciā Cretam perdidiſtis. omnino vllius rei nemo fuit emptor: cui defuerit hic venditor. Et de exulibus legem, quam fixiſti, Cæſar tulit? nullius inſector calamitatem: tantum queror primum eorū reditus inquinatos, quorum cauſam diſſimilem Cæſar iudicauerit. deinde neſcio cur reliquis idem non tribuas. neque enim plus quàm tres, aut quatuor reliqui ſunt: qui ſimili in calamitate fuerint. cur tua miſericordia ſimili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, quam de reliquis ferres, noluiſti. quem etiam ad cenſurā rogandam impuliſti, eamq; petitionem comparaſti: quæ rurſus hominum, & querelas moueret. cur autē ea comitia non habuiſti? an quia Tribunus plebis ſiſtmen ſiderī nunciabat? tua quid intereſt? nulla auſpicia tuorum ſunt, cū ſis religioſus. quid? eundem in Septemuiratu nonne deſtituiſti? interuenit enim. quid metuiſti? credo ne ſaluo capite negare non poſſes. omnibus eū conſulibus ouerafti: quem patris loco, ſi vlla pietas in te eſſet colere debebas, filiam eius, ſororem tuā eieciſti, falſa nuptione quæſita, & ante perſpecta. non eſt ſatis: probri ſimulaſti pudiciſſimam fœminam. quid eſt quod ad hæc poſſit? contentus eo non fuiſti. frequentiſſimo Senatu Calendis Ianuar. ſedente patruo, hanc tibi eſſe cū Dolabella odij cauſam auſus es dicere: quod ab eo ſorori, & uxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes. quis interpretari poteſt? impudentior ne? qui in Senatu, an imprudentiorē qui in Dolabellam, an impurior? qui patre audiente, an crudelior? qui in illam miſera tam ſpurce, tā ſpurce dixeris. Sed ad chirographa redeamus. quæ fuit tua cognitio? acta enim Cæſaris pacis cauſa confirmata ſunt a Senatu: quæ quidem Cæſar egiſſet: non ea, quæ Cæſarem egiſſe dixiſſet Antonius. vnde iſta erumpunt? non authore proferuntur? ſi ſunt falſa: cur approbantur? ſi vera: cur veneunt? at ſic placuerat vt ex Cæſaris actis cum conſilio cognoſceretis: quid ſunt conſilium? quem vnquam aduocaſti? quas Idus Iunias expectaſti? an eas? ad quas te peragra-

tis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti? O præclaram illam percursationem tuam mense Aprili atq; Maio: tu, cum etiã Capuam deducere conatus es, quem admodum illam adieris, vel potius penè non adieris, scimus enim cui tu vrbi minitaris. vtinam conere, vt aliquando illud penè tollatur. At quàm nobilis est tua illa peregrinatio? quid prandiorum apparatus? quid furiosam vinolentiam tuam proferam? tua ista detrimenta sunt. illa nostra. agrũ Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, vt militibus daretur: tamen infigi magnũ Reipub. vulnus putabamus: hunc tu compransoribus tuis, & collusoribus diuidebas. mimos dico, & mimas in agro P. C. Campano collocatos. Quid iam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam arationes Campani, & Leontini in populi Rom. patrimonio glandiferæ, & fructuosæ ferebantur. medico tria millia iugerum, quasi te sanum fecisset: Rhetori duo, quasi disertum facere potuisset. Sed ad iter, Italiamq; redeamus. Deduxisti coloniam Casilinum: quo Cæsar ante deduxerat. consuluisti me per literas de Capua tu quidem: sed idem de Casilino respondissem: posses ne vbi colonia esset, eò coloniam nouam iure deducere? negaui in eam coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam nouam iure deduci: colonos nouos ascribi posse rescripsi. tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum iure turbato, Casilinum coloniam deduxisti: quo erat paucis annis ante deducta: vt vexillum videres, & aratrum circumduceres: cuius quidem vomere portam Capuæ penè perstrinxisti: vt florentis coloniæ territorium minueretur. Ab hac religionum perturbatione



turbatione aduolas in M. Varronis sanctissimi atq; integerrimi viri fundũ Cassinatem. quo iure? quo exemplo? eodem in quies, quo in hæredum L. Rubrij, quo in hæredum L. Tursecij prædia: quo in reliquas innumerabiles possessiones. et si ab hasta. valeant tabulæ, modo Cæsaris, non tuæ: quibus debuisti: non quibus tu te liberasti. Varronis quidem Cassinatem fundũ quis venisse dicit? quis hastam istius venditionis vidit? quis vocem præconis audiuit? mississe te dicis Alexandriã, qui emeret à Cæsare. ipsum enim expectare magnum fuit? quis vero audiuit vnquam (nullius autem salus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem vllam esse detractam? quod, si etiam scripsit ad te Cæsar, vt redderes: quid satis potest dici de tanta impudentia? remoue gladios illos parumper, quos videmus: iam intelliges aliam causam esse hastæ Cæsaris: aliam confidentiæ, & temeritatis tuæ. nõ enim te dominus modo illis sedibus: sed quis amicus, vicinus, hospes, procurator arcebit. At quam multos dies in ea villa turpissime es perbacchatus? ab hora tertia bibebatur: ludebatur: vomebatur. O tecta ipsa misera, quàm dispari domino, quam quam quomodo iste dominus? sed tamen quàm à dispari tenebantur. studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, non libidinum diuersorium. quæ in illa villa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? iura populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omniq; doctrina. At vero te in quilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pauimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur. Casilino salu-

tatum veniebant, Aquino, Interamna: admissus est nemo. iure id quidem. in homine enim turpissimo obsolebant dignitatis insignia. cũ inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet: obuiam ei processit (vt est frequens municipium) magna sanè multitudo. at iste operta lectica latus est per oppidum, vt mortuus. stulte Aquinates. sed tamen in via habitabant. quid Anagnini? qui cũ essent deuij: obuiam ei descenderunt: vt istũ, tanquam si esset Consul, salutarent. incredibile dictu: sed tum minus inter omnes constabat, neminẽ esse resalutatum. præsertim cũ duos secum Anagninos haberet Mustellam, & Laconem: quorum alter gladiatorum est princeps: alter poculorum. Quid ego illas istius minas? contumelias q3 cõmemorem? quibus inuectus est in Sidicinos? vexauit Puteolanos: quod C. Cassium, quod Brutos patronos adoptassent, magno quidem iudicio, studio, beneuolentia, charitate: non vt te, vt Basilum, vi & armis, & alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit: non modo esse illorum cliens. interea dũ tu abes: qui dies ille Collegæ tui? cum illud quod tu venerari solebas, bustum in foro euertit? quæ tibi nunciata, vt constabas inter eos, qui vnà fuerunt, concidisti. quid euenerit postea, nescio. metum credo valuisse, & arma. collegam quidẽ de cœlo detraxisti, effecistiq3 non tu quidem etiam nunc, vt sit similis tui: sed certe vt dissimilis esset sui. qui vero reditus inde Romam? quæ perturbatio totius vrbis? memineramus Cinnam nimis potentem: Syllam postea dominantem: Cæsarem regnantem videramus. erant fortasse gladij, sed tamen absconditi, ne ita multi. ista vero quæ, & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladijs sequuntur scutati milites:



lites: sicas portari videmus. Atq3 his quidem iam inueteratis P.C. consuetudine obduruimus: Calendis Iunijs cum in Senatum, vt erat constitutũ, venire vellemus: nuntio perterriti repente diffugimus. at iste, qui Senatu nõ egeret: neq3 desiderauit quenquam, & potius discessu nostro lætatus est: statim q3 illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Cæsaris defendisset lucri sui causa: is leges Cæsaris, eas q3 præclaras, vt Remp. concutere posset, euertit. numerum annorum prouincijs prorogauit: idem q3, cum actorum Cæsaris defensor esse deberet: & in publicis, & in priuatis rebus acta Cæsaris rescidit. in publicis actis nihil est lege grauius: in priuatis firmissimum est testamentum. leges alias sine promulgatione sustulit: alias vt tolleret promulgauit. testamentum irritum fecit. quod etiam infimis ciuibus semper obtentum est. signa, tabulas, quas populo Cæsar vnà cum hortis legauit: eas hic partim in hortos Pompei deportauit: partim in villa Scipionis. Et tu in Cæsaris memoria diligens? tu illum, tu illum amas mortuum? quem is maiorem honorem consecutus erat? quam vt haberet palmar. simulachrum. fastigium. flaminẽ? est ergo flamẽ vt Ioui, vt Marti, vt Quirino, sic diuo Iulio M. Antonius. quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: vide qui te inauguret: collegæ sumus: nemo negabit. O detestabilem hominem: siue quod Tyranni sacerdos es: siue quod mortui. quæro de inceps, num hodiernus dies quis sit, ignores? nescis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populũ tulisse: vt quintus præterea dies Cæsari tribueretur? cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsaris tua lege datum deseri patimur? an supplicationes addendo diem

contaminari passus es? puluinaria noluisti? aut undiq; religionem tolle: aut vsquequaq; conserua. quæres placeat ne mihi puluinar esse, fastigiũ, flaminem? mihi vero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Cæsaris defendis, quid potes dicere? cur alia defendas? alia non cures? nisi forte vis fateri, te omnia quæstu tuo, non illius dignitate metiri. quid ad hæc tandem? expecto eloquentiam tuam. disertissimum cognoui auum tuum. at te etiam apertiorem in dicendo. ille nunquam concionatus est nudus. tuum hominis simplicis pectus vidimus. respondebis ne ad hæc? aut omnino hisce audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere confidas? sed præterita omittamus. hunc vnum diem, hunc vnum inquam hodierniũ diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende si potes. cur armatorum corona Senatus septus est? cur me tui satellites cum gladys audiunt? cur valuæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium, maxime Barbaros Illyreos cum sagittis deducis in forum? præsidy sui causa se facere dicit. nonné igitur millies perire est melius? quàm in sua ciuitate sine armatorum præsidio non posse viuere? sed nullũ est istuc, mihi crede, præsidiũ charitate, & beneuolentia ciuium septũ oportet esse, non armis. eripiet, extorquebit tibi ista populus Romanus, vtinã saluis nobis: sed quoquomodo nobiscũ egeris: dum istis consiliis vteris: nõ potes esse, crede mihi, diuturnus. etenim ista tua minime auara cõiunx, quã ego sine contumelia describo: nimiũ debet diu populo Ro. pensionem tertiam. habet populus Ro. ad quos gubernacula Reip. deferat: qui vbicunq; terrarum sunt, ibi est omne Reip. præsidium: vel potius ipsa Respublica: quæ se adhuc tantummodo vlta est, nondũ recuperauit. habet quidem certe Resp. adolescentes nobilissimos, paratos defensores. quàm diu volent illi cedant, ocio consulentes: tamen à Repub. reuocabuntur. & nomen pacis dulce est: & ipsa res salutaris. sed inter pacem & seruitutem plurimũ interest. pax est tranquilla libertas: seruitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum. quod si ipsos illi nostri liberatoris è conspectu nostro abstulerunt: at exemplum facti reliquerunt. illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persecutus: qui tamen Rex fuit, cũ esse Romæ regẽ liceret. Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius propter suspicionẽ regni appetendi sunt necati. hi primi cum gladys, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. quod cũ ipsum factum per se præclarum, atque diuinum est: tum expositum ad imitandũ: præsertim cum illi eã gloriam consecuti sunt: quæ vix cœlo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat: tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendã. recordare igitur illũ M. Antoni diem: quo Dictaturam sustulisti: pone ante oculos lætitiam Senatus, populiq; Romani: confer eum cũ nummatione tua tuorumq;: tum intelliges quantum inter laudem & lucrum interfit. sed nimirum, vt quidam morbo aliquo, et sensus stupore suæ vanitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi, vera laudis gustum non habent. sed si te laus allicere ad recte faciendum nõ potest: ne metus quidem à fœdissimis factis potest auocare? iudicia non metuis, si propter innocentiã: laudo: si propter vim: non intelligis ei, qui isto modo iudicia non timeat: quid timendum sit. quod si non metuis viros fortes, egregios ciues:

cives: quod à corpore tuo prohibentur armis: tui te, crede mihi, diutius, non ferent. quid est autem multos dies, & noctes timeri à suis? nisi vero maioribus habes beneficijs obligatos, quàm ille quosdam habuit ex ijs, à quibus est interfectus. an tu es ullare cum eo comparandus? fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literatura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamuis Reip. calamitosas, attamen magnas: non multos annos regnare est meditatus: magno labore, magnis periculis quod cogitauerat, effecerat: muneribus, monumentis, congiarijs, epulis, multitudinem imperitam lenierat: suos præmijs, aduersarios clementiæ specie deuinxerat. quid multa? attulerat iam liberæ ciuitati partim metu, partim patientia, consuetudinẽ seruiendi. cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum: cæteris vero rebus nullo modo es comparandus. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo Reip. sunt inusta: hoc tantum boni est: quod didicit iam populus Ro. quantum cuiq; crederet: quibus se committeret: à quibus caueret. Hæc igitur non cogitas? nec intelligis satis esse viris fortibus didicisse, quã sit pulchrũ beneficio gratum, fama gloriosum Tyrannum occidere? an cum illum homines non tulerint: te ferent? certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur: nec occasionis tarditas expectabitur. respice quæso aliquando Remp. M. Antoni: quibus ortus sis, non quibus cum viuas, considera: mecum vt voles: cum Repub. redi in gratiam. Sed de te tui ipse videris. ego de me ipso profitebor. defendi Remp. adolescens: non deseram senex: contempsi Catilinæ gladios: non pertimescam tuos. quin etiam corpus libenter obtulerim: si repræsentari morte mea libertas ciuitatis potest. Vtinam aliquando dolor populi Ro. pa-

riat:



riat: quod iam diu parturit. etenim si ab hinc annos prope viginti hoc ipso in templo negaui posse mortem immaturam esse Consulari: quanto verius nunc negabo seni? mihi vero P. C. iam etiã optanda mors est perfuncto rebus eis, quas adeptus sum, quasq; gessi. duo modo hæc opto: vnum, vt moriens populum Ro. liberum reliquam. hoc mihi maius à dijs immortalibus dari nihil potest: alterum, vt ita cuiq; eueniat: vt de Repub. quisq; mereatur.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA TERTIA.

## ORATIO XLVI.

SEriùs omnino P.C. quam tempus Reipublicæ postulauit: aliquando tamen, conuocati sumus. quod flagitabam equidem quotidie: quippe cum bellum nefarium contra aras, & focos, contra vitam, fortunasq; nostras, ab homine profligato, ac perdito non comparari, sed geriiam videre. Expectantur Calendæ Ianuary: quas non expectat Antonius, qui in prouinciam D. Bruti summi & singularis viri, cum exercitu impetum facere conatur. ex qua se instructum, & paratum ad vrbem venturum esse minitatur. quæ est igitur expectatio? aut quæ vel minima dilatio temporis? quanquam enim adsunt Calendæ Ianuarij: tamen breue tempus longum est imparatis. dies enim affert, & hora potius, nisi prouisum est: magnas sæpe clades certus autem dies non vt sacrificij, sic consilij expectari solet. quod si aut Calendæ Ian. fuissent eo die: quo primum ex vrbe fugit Antonius: aut hæ, non essent expectatæ: bellum iam nullum haberemus. authoritate enim Senatus consensuq; populi Ro. facile hominis amentis fregissemus audaciam. quod confido equidem Consules designatos, simul ac magistratum inierint, esse facturos. sunt enim optimo animo: summo consilio: singulari concordia. mea autem festinatio non victoriæ solum auida est, sed etiam celeritatis. quousq; enim tantum bellum, tam crudele, tam nefarium priuatis consilijs propulsabitur? cur non quam primum publica accedit authoritas? C. Cæsar adole-



adolescens, penè potius puer, incredibili ac diuina quadam mente, atq; virtute, tum, cum maxime furor arderet Antonij: cumq; eius à Brundusio crudelis & pestifer reditus timeretur: nec postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis (quia fieri posse non videbatur) firmissimum exercitum inuicto genere veteranorum militum comparauit: patrimoniumq; suum effudit. quanquam non sumus vsi eo verbo, quo decuit. non enim effudit: sed in salutem Reip. collocauit. cui quanquam gratia referri tanta non potest: quanta debetur, habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt. quis enim est tam ignarus rerum? tam nihil de Repub. cogitans? qui hoc non intelligat: si M. Antonius à Brundusio cum ijs copijs, quas se habiturum putauerat: Romam, vt minabatur, venire potuisset: nullum genus crudelitatis eum præteriturum fuisse? quippe qui in hospitis tectis Brundusij fortissimos viros tuos optimos iugulari iussit: quorum ante pedes eius morientium sanguine os vxoris respersum esse constabat. Hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus veniret iratior: quam illis fuerat, quos trucidarat: cui tandem vestrum, aut cui omnino bono peperciisset? qua poste Remp. priuato consilio (nec enim fieri potuit aliter) Cæsar liberauit. qui nisi in hac Rep. natus esset: Rempub. scelere Antonij nullam haberemus. sic enim perspicio: nisi vnus adolescens illius furentis impetus crudelissimos conatus cohibuisset, Remp. funditus interitura fuisse. cui quidem hodierno die P.C. nunc enim primum ita conuenimus: vt de illius beneficio possemus quæ sentiremus libere dicere: tribuenda est authoritas: vt Remp. non modo à se susceptam, sed etiam à nobis

commen-

commendatum possit defendere. Nec vero de legione Martia, quoniam longo interuallo loqui nobis de Rep. licet, sileri potest. quis enim vnquam fortior? quis amicior vnquam Reip. fuit? quàm legio Martia vniuersa? quæ cum hostem populi Romani M. Antoniũ iudicasset: comes eius esse amentiæ noluit. reliquit consulem. quod profectò non fecisset: si eum Consulem iudicauisset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi cædem ciuium, atq; interitum ciuitatis videret. atq; ea legio consedit Albæ. quam potuit vrbem eligere, aut opportuniorem ad res gerendas? aut fideliorem? aut fortiorum virorum? aut amiciorum populo Ro. ciuiũ? huiusce legionis virtutẽ imitata Quarta legio duce L. Egnatuleio Quæstore ciue optimo, & fortissimo, Cæsaris authoritatem, atq; exercitum persecuta est. faciendum est igitur nobis P. C. vt ea, quæ sua sponte clarissimus adolescens, atq; omnium præstantissimus gessit, & gerit: hæc authoritate nostra comprobentur: veteranorumq; fortissimorum virorum, tum legionis Martiæ, Quartæq;, mirabilis consensus ad Remp. recuperandam laudetur, & testimonio nostro confirmetur: eorumq; cõmoda, honores, præmia, cum Consules designati magistratum inierint: curæ nobis fore hodierno die spondeamus. Atq; ea quidem quæ dixi de Cæsare, deq; eius exercitu: iamdiu nota sunt nobis. virtute enim admirabili Cæsarus, constantiaq; militum veteranorum, legionumq; earũ optimo iudicio, quæ authoritatẽ nostram, libertatemq; populi Romani, virtutem C. Cæsaris secutæ sunt: à cerui cibus nostris est depulsus Antonius. sed vt dixi, hæc superiora. Hoc vero recens edictum D. Bruti, quod paulo ante propositũ est, certe silentio non potest præteriri.

pollicetur



pollicetur enim se prouinciam Galliam retenturum in Senatus populiq; Ro. potestate. Q. ciuem natum Reipub. memorem sui nominis, imitatoremq; maiorũ. neque enim Tarquinio expulso, maioribus nostris tã fuit optata libertas: quàm est repulso Antonio retinenda nobis illi regibus parere iam à cõdita vrbe didicerant. nos post reges exactos seruitutis obliuio cœperat: atq; ille Tarquinius, quem maiores nostri non tulerunt: nõ crudelis, non impius, sed superbus habitus est, & dictus. quod nos vicium in priuatis sæpe tulimus: id maiores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus regẽ superbum non tulit: D. Brutus sceleratum atq; impiũ regnare patietur Antonium? quid Tarquinius tale? qualia innumerabilia, & fecit, & facit Antonius? Senatum etiam Reges habebant: nec tũ, vt Antonio Senatum habenti, in consilio regis versabantur Barbari armati. seruabant auspicia reges: quæ hic Consul Augurq; neglexit: neque solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam Collega vna referente, quẽ ipse ementitis auspicijs vicioſum fecerat. Quis autẽ Rex vnquã fuit tam insigniter impudens? vt haberet omnia commoda, beneficia, iura regni venalia? quã hic immunitatẽ, quã ciuitatem, quod præmium, non vel singulis hominibus, vel ciuitatibus, vel vniuersis prouincijs vendidit? nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus. at vero huius domi inter calices illius appendebatur aurum: numerabatur pecunia: vna in domo omnes, quorũ interat, totum Imperium pop. Rom. nundinabatur. supplicia vero in ciues Ro. nulla Tarquiny accepimus. at hic & Suessæ iugulauit eos, quos in custodiam dederat: & Brundusy trecentos fortissimos viros, ci-

uesq; optimos trucidauit. postremo Tarquinius pro populo Ro. bellum gerebat, tum cũ expulsus est. Antonius contra populum Romanũ exercitũ educebat, tum, cũ à legionibus relictus nomen Cæsaris exercitum q; pertimuit: neglectisq; sacrificys sõlennibus, ante lucẽ ea vota, quæ nunquam sõlueret, nuncupauit: & hoc tempore in prouinciã populi Ro. conatur inuadere. maius igitur beneficiũ à D. Bruto populus Ro. & habet, & expectat: quàm maiores nostri acceperunt à L. Bruto principe huius maxime conseruandi generis, & nominis. cum autem est omnis seruitus misera: tũ vero intolerabile est seruire impudico, effœminato, nunquã, ne in metu quidem, sõbrio. hunc igitur qui Gallia prohibet, priuato præsertim consilio: iudicat, verissimeq; iudicat, non esse consulem. Faciendum est igitur P. C. nobis: vt D. Bruti priuatum consiliũ authoritate publica comprobemus. nec vero M. Antonium Consulem post Lupercalia putari debuistis. quo enim ille die popu. Ro. inspectante, nudus, vnctus, ebrius, concionatus est: & id egit, vt collegæ diadema imponeret: eo die non modo Cõsulatu, sed etiã libertate se abdicauit. esset enim ipsi certe statim seruiendũ: si Cæsar ab eo regni insigne accipere voluisset: hunc igitur ego Consulem, hunc ciuem Romanum, hunc liberum, hunc denique hominẽ putẽ? qui facto illo, & flagitioso die, & quid pati Cæsare viuo posset: & quid eo mortuo consequi ipse cuperet, ostendit. Nec vero de virtute, constantia, grauitate prouinciæ Galliæ taceri potest. est enim ille flos Italiæ: illud firmamentum imperij populi Rom. illud ornamentũ dignitatis. tantus autem est consensus municipiorum, coloniarum q; prouinciæ Galliæ: vt omnes ad authoritatem huius ordinis, maie-



maiestatem q; populi Rom. defendendam conspirasse videantur. Quamobrem Tribuni pl. quanquam vos nihil aliud, nisi de præsidio, vt Senatum tuto consules Calen. Ian. habere possent, retulistis: tamen mihi videmini magno consilio, atq; optima mente potestatẽ nobis de tota Rep. fecisse dicendi. cum enim tuto Senatum haberi sine præsidio non posse iudicauistis: istud etiã statuistis: intra muros Antonij scelus audaciam q; versari. Quãobrem omnia mea sententia complectar, vobis vt intelligo non inuitis: & vt præstantissimis ducibus à nobis detur authoritas: & fortissimis militibus spes ostendatur præmiorũ: & iudicetur non verbo, sed re, non modo non Consul, sed etiam hostis Antonius. nam si ille Consul: sustuarium meruerunt legiones: quæ Consulem reliquerunt: sceleratus Cæsar: Brutus nefarius: qui cõtra Consulem priuato consilio exercitus comparauerunt. sin autem militibus exquirendi sunt honores noui, propter eorum diuinũ, atq; immortale meritum: ducibus autem ne referri quidem potest gratia: quis est, qui eũ non hostem existimet? quẽ, qui armis persequuntur, conseruatores Reip. iudicantur? At quàm contumelioſus in dictis? quam barbarus? quam rudis? primũ in Cæsarem maledicta congessit deprompta ex recordatione impudicitiæ, & stuprorum suorum. quis enim hoc adolescente castior? quis modestior? quod in iuuentute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? quis autẽ illo maledicto impurior? ignobilitatem obijcit C. Cæsaris filio. cuius etiã naturalis pater, si vita suppeditasset, Consul factus esset. Aricina mater. Trallianam, aut Ephesiã putes dicere? videte quàm despiciamur omnes.

qui sumus è municipijs: id est omnes planè: quotus enim quisq; non est? quod autē municipium non contemnit is? qui Aricinū tantopere despicit, vetustate antiquissimū, iure fœderatum, propinquitate penè finitimū, splēdore municipū honestissimum. hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leges: hinc multæ scillæ curules, & patrū memoria & nostra: hinc Equites Rom. lautissimi plurimi, & honestissimi. sed si Aricinam vxorem nō probas: cur probas Thusculanam? quanquā huius sanctissimæ fœminæ, atq; optimæ pater M. Accius Balbus inprimis honestus, Prætorius fuit. tuæ coniugis bonæ fœminæ, lacupletis quidem certe, Bambalio quidā pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius: qui propter hæsitantiā linguæ, stuporemq; cordis, cognomen ex contumelia traxerit. At auus huius nobilis, Tuditanus: nempe ille: qui cū palla, & coturnis nummos populo de rostris spargere solebat. vellem hanc contemptionē pecuniæ suis reliquisset: haberetis nobilitatem generis gloriosam. qui autem euenit vt Iulia natus, ignobilis videatur? cum tu eodē materno genere soleas gloriari? quæ porrò amentiæ sunt? eum dicere aliquid de vxorum ignobilitate: cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit vxorem: ipse ex libertini filia susceperit liberos. Sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam vxorem: C. Marcellus, qui Aricinæ filiam: quos certe scio dignitatis, optimarum fœminarū non pœnitere. Idem etiam Q. Ciceronem fratris mei filium compellat edicto: nec sentit amens cōmendationem esse, compellationem suam. quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius? quam cognosci ab hominibus Cæsaris consiliorum esse socium: An-



tonij furoris inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere: hunc de patris & patrui parricidio cogitasse. O admirabilē impudentiam, audaciam, temeritatē in tam adolescentem hæc scribere audere? quem ego, & frater meus, propter eius suauissimos atq; optimos mores, præstantissimumq; ingenium, certatim amamus: omnibus laudibus in oculis, auribus, cōplexu tenemus. Nam in eisdem me edictis nescit lædat, an laudet. cū idem supplicium minatur optimis ciuibus: quod ego de sceleratissimis sumpserim, laudare videtur, quasi imitari velit. cum autem illā pulcherrimi facti memoriā refricat: tū a suis similibus inuidiam aliquam in me cōmoueri putat. Sed ipse quid fecit? cum tot edicta proposuisset: edixit vt adesset Senatus frequens ad VIII Cal. Decembris. eo die ipse non affuit. At quomodo edixit? hæc sunt ut opinor, verba in extremo. Si quis non affuerit: hūc omnes existimare poterunt, & interitus mei, & perditissimorum consiliorum authorem fuisse. Quæ sunt perdita consilia? an ea? quæ pertinent ad libertatē populi Romani recuperandā? quorum consiliorū Cæsari, me authorem & hortatorē, & esse, & fuisse fateor: quanquā ille non egerit consilio cuiusquam. sed tamen, vt dicitur, currentem incitaui. Nam interitus quidē tui quis bonus non esset author? cum in eo salus, & vita optimi cuiusq;, & libertas populi Romani, dignitasq; consisteret. Sed cū tam atroci edicto nos concitauisset: cur ipse non affuit? nū putatis aliquā re tristi & seuera? vino, & epulis retentus, & alea est: si epulæ potius, quàm popinæ nominandæ sunt, die edicti obire neglexit: et ante diē quartū Calendarū decembris distulit. adesse in Capitolio ius-

sit. quod in templum ipse nescio qua, per Gallorũ cuniculum ascendit. conuenerunt corrogati, & quidem amplí quidã homines, sed immemores dignitatis suæ. is enim erat dies, ea fama, is impetus eius, qui senatũ vocarat: vt turpe senatori esset, nihil timere. Ad eos tamen ipsos, qui conuenerant, ne verbũ quidem ausus est facere de Cæsare: cum de eo constituissent ad Senatũ referre. scriptã attulerat Consularis quidam sententiam. quid est aliud de eo referre non audere, qui contra se Consulem exercitum duceret: nisi seipsum hostem iudicare? necesse enim erat alterũ esse hostem: nec poterat alter de aduersarys ducibus iudicari. Si igitur C. Cæsar hostis: cur Consul nihil refert ad Senatum? si ille à Senatu notandus non fuit, quid potest dicere? quin cũ de illo tacuerit: se hostẽ esse confessus sit? quem in edictis Spartacum appellat: hunc in Senatu ne improbũ quidem dicere audet. At in rebus tristissimis quantos excitat risus? sententiolas edicti cuiusdam memoriæ mandauit: quas videtur ille peracutas putare. Ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inueni. An vlla contumelia est, quã facit dignus? primum quid est dignus? nam etiã malo digni multi, sicut ipse. an quã facit is, qui cum dignitate est? quæ autẽ potest esse maior? quid est porrò facere contumeliã? quis sic loquitur? Deinde, nec timor quem denunciat inimicus. quid est ergo? ab amico timor denunciari solet? horũ similia deinceps. nonné satius est mutum esse? quàm quod nemo intelligat, dicere? hem cur magister eius ex oratore, arator factus sit. vt possideat in agro publico populi Ro. campi Leontini duo millia iugerũ immunia: vt hominem stultũ magis etiam infatuet merce de publica. Sed





hæc leuiora fuisse illud quæro, cur tam subito mansuetus in Senatu fuerit: cũ in edictis tam fuisset ferus? quid autem attinuerit, L. Cassio tribuno Pl. fortissimo, & constantissimo ciui mortem denunciare, si in Senatum veniisset? D. Carsulenum bene de Repub. sentientem, à Senatu vi & minis mortis expellere? Tyberinum Cantium, à quo erat honestissimis contentionibus & sæpe iure vexatus non templo solum, verũ etiam aditu prohibere, Capitoly? cui senatus consulto ne intercederent verebatur? de supplicatione credo M. Lepidi clarissimi viri. atq; id erat periculũ: de cuius honore extraordinario quotidie aliquid cogitabamus: ne eius vsitatus honos impediretur. Ac ne sine causa videretur edixisse, vt Senatus adesset: cum de Rep. relaturus fuisset: allato nuncio de legione Quarta, mente concidit: effuge festinans senatusconsultum de supplicatione per discessionẽ fecit: cum id factũ esset antea nunquã. Quæ vero profectio postea? quod iter paludati? quæ vitatio oculorum, lucis, vrbis, foriã quàm misera fuga? quàm fœda? quàm turpis? præclara tũ fuit senatus in illo ipso die vestigia prouinciarũ religiosa sortitio: diuina vero opportunitas: vt quæ cuiq; apta esset, ea cuiq; obueniret. præclare igitur facitis Tribuni pl. qui præsidio Consulũ, Senatusq; referatis: meritoq; vestro maximas gratias vobis omnes & agere, & habere debemus. qui enim carere metu, & periculo possumus in tanta hominũ cupiditate, & audacia? ille autem afflictus & perditus, quæ de se expectat iudicia grauiora, quàm amicorũ suorum? familiarissimus eius mihi homo cõiunctus, L. Lẽtulus, & P. Naso omni carens cupiditate, nullã se habere prouin-

ciam, nullã Antonij sortitionem fuisse iudicauerunt. quod idẽ fecit L. Philippus vir auo patre, maioribusq; suis dignissimus. in eadẽ sententia fuit homo summa integritate, atq; innocentia M. Anturanius. idem fecit P. Appius, ipsi etiã qui amicitiam M. Antonij veriti, plus ei tribuerunt, quàm fortasse vellent: M. Piso, & meus necessarius, & vir & ciuis egregius, pariq; innocẽtia M. Vehilius, Senatus authoritati se obtemperaturos esse dixerunt. quid ego de L. Cinna loquor? cuius spectata multis magnisq; in rebus singularis integritas minus admirabilẽ fecit huius honestissimi facti gloriã. qui omnino prouinciam neglexit: quam itẽ magno animo & constanti C. Cessedius repudiauit. qui sunt igitur reliqui, quos fors diuina delectet? L. Antonius, & M. Antonius. O felicem vtrunq; nihil enim maluerunt. C. Antonius Macedoniam. hunc quoq; felicẽ. hanc enim semper habebat in ore prouinciã. C. Caluisius Africam: nihil felicius. modo enim ex Africa decesserat: & quasi diuinans se rediturũ, duos legatos Vticæ reliquerat. deinde M. Iccius Siciliam: Q. Cassius Hispaniam. non habeo quid suspicer. duarum credo prouinciarum sortes minus diuinas fuisse O C. Cæsar (adolescentem appello) quam tu salutem Reipublicæ attulisti? quàm improuisam? quàm repentinam? qui enim hæc fugiens fecerit: quid faceret insequens? etenim in concione dixerat: se custodem futurum vrbis: vsq; ad Calen. Maias ad vrbem exercitum habiturum. O præclarum custodem ouium, vt aiunt lupum. custos ne vrbis? an direptor, & vexator esset Antonius? Et quidem se introiturum in vrbem dixit, exiturumq; cum vellet. quid istud? nonne audiente populo sedens pro æde Castoris dixit? nisi qui vicisset victurum neminem? Hodierno die primum P. C. longo interuallo in possessionem libertatis pedem ponimus: cuius quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conseruator fui. cum autem id facere non possem: qui fui? nec abiecte, nec sine aliqua dignitate, casum illum temporum, & dolorem tuli. hanc vero teterrimam beluam, quis ferre posset? aut quomodo? quid est in Antonio, præter libidinem, crudelitatẽ, petulantiam, audaciam? ex tot conglutinatus est, nihil apparet in eo ingenuum: nihil moderatum: nihil pudens: nihil pudicũ. Quapropter quoniam res in id discrimen adducta est: vtrum illepœnas Reip. luat, an nos seruiamus: aliquando per deos immortales P. C. patrium animum, virtutemq; capiamus. aut libertatem propriam Romani generis, & nominis recuperemus: aut mortem seruituti anteponamus. Multa quæ in libera ciuitate ferenda non essent, tulimus, & perpessi sumus: aliis spe recuperandæ libertatis: aliis viuendi nimia cupiditate. sed si illa tulimus, quæ necessitas ferre coegit, visq; quædam pene fatalis: quæ tamen ipsa non tulimus: etiam ne huius impuri latronis feremus teterrimum, crudelissimumq; dominatum? quid hic faciat, si potuerit, iratus? qui cum succensere nemini posset: omnibus bonis fuerit inimicus? quid hic victor non audebit? qui nullam adeptus victoriam tanta scelera post Cæsaris interitum fecerit: refertam eius domum exhauserit: hortos compilarit: ad se omnia ex his ornamenta transtulerit: cædis & incendiorum causam quæsierit ex funere: duobus aut tribus Senatus consultis è Repub. benefactis, reliquas res ad lucrum prædamq; reuocauerit, vendiderit immunitates:

ciuitates liberauerit: prouincias vniuersas ex imperij populi Ro. iure sustulerit: exules reduxerit: falsas leges C. Cæsaris nomine, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curauerit: earumq; rerum omniũ domesticum mercatum instituerit: populo Ro. leges imposuerit: armis & præsidijs populum Romanum, & magistratus foro excluserit: Senatum stipauerit: armatis: armatos in cella Concordiæ, cum Senatum haberet, incluserit: ad legiones Brundusium cucurrerit: ex his optime sentientes Centuriones iugulauerit: cũ exercitu Romam sit ad interitum nostrum, & ad disperditionem vrbis venire conatus. atq; is ab hoc impetu abstractas consilio & copijs Cæsaris, consensu veteranorũ, virtute legionum, ne fortuna quidem fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere desinit: in Galliam mutilatum ducit exercitum: cum vna legione, & ea vacillante L. fratrẽ expectat: quo neminem reperire potest sui similiorem. ille autem ex Myrmillone dux, ex gladiatore Imperator, quas fecit strages, vbicunq; posuit vestigia? cædit greges armentorum, reliquiq; pecoris quodcunq; nactus est: epulantur milites: ipse autem se, vt fratrem imitetur, obruit vino: vastantur agri: diripiuntur villæ: matres familias, virgines, pueri ingenui arripiuntur: militibus traduntur. Hæc eadẽ quacunq; exercitum duxit, fecit M. Antonius. His vos teterrimis fratribus portas arripietis? hos inquam in vrbẽ recipietis? non tempore oblato, ducibus paratis, animis militũ incitatis, populo Ro. conspirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorũ immortalium beneficio vtemini? nullum erit tempus hoc amisso. à tergo, à fronte, à lateribus tenetur. si in Galliam venerit:

non



non ille armis solum, sed etiam nostris decretis vrgendus est. magna vis est, magnum nomen vnum & idem sentientis Senatus. videtis ne refertum forum? populũ Ro. ad spem recuperandæ libertatis erectum? qui longo intervallo cum frequentes hic videt nos, tum sperat etiam liberos conuenisse. hunc ego diem expectans, M. Antonij scelerata arma vitaui: tum cum ille in me absentem inuehens, non intelligebat ad quod tempus me & meas iras reseruarẽ. si enim illi tum cædis initium à me quæ renti respondere voluissem: nunc Reipub. consulere non possem. hanc vero nactus facultatem, nullum tempus P.C. dimittã, neq; diurnum, neq; nocturnum: quin de populi Romani libertate, de dignitate vestra quod cogitandum sit, cogitem: quod agendum, atq; faciendum, ea non modo non recusem: sed appetam etiam, atq; deposcam. Hoc feci semper dum licuit: intermisi quoad non licuit: iam non solum licet: sed necesse est etiam: nisi seruire malumus, quàm ne seruiamus, animis armisq; decernere. Dij immortales nobis hæc præsidia dederunt: vrbi Cæsarem, Brutum Galliæ. Si enim ille vrbem opprimere potuisset statim: si Galliam tenere paulo post: optimo cuiq; pereundum, reliquis esset seruiendum. Hanc igitur occasionem oblatam tenete per deos immortales P.C. & amplissimi vrbis terræ consilij Principes vos esse aliquando recordamini. signum date populo Rom. consilium vestrum non deesse Reipublicæ: quoniam ille virtutem suam non defuturam esse profitetur. nihil est quod moneam. nemo est tam stultus, qui non intelligat, si dormierimus hoc tempore, non modo crudelem superbamq; dominationem nobis, sed ignominiosam etiam & flagitiosam esse ferendam. nostis in

solen-

ſolentiam Antonij: noſtis amicos: noſtis totam domum. libidinoſis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebrijs ſeruire: ea ſumma miſeria eſt ſummo dedecore coniuncta. quod ſi iam, quod dij omen auertant, fatum extremum Reipub. venit: quod gladiatores nobiles faciunt, vt honeſte decumbant: faciamus nos Principes orbis terrarum gentiumq; omniũ: vt cum dignitate potius cadamus: quã cum ignominia ſeruiamus. nihil eſt deteſtabilius dedecore: nihil fœdius ſeruitute. ad decus, & libertatem nati ſumus. aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur. nimium diu teximus. quid ſentiremus. nunc iam apertum eſt.: omnes iam patefecerunt, in vtranq; partem quid ſentiant, quid velint. ſunt impij ciues, pro charitate Reip. nimium multi, pro multitudine bene ſentientium admodum pauci. quorum oppri mendorum dy immortales incredibilem populo Ro. poteſtatem, & fortunã dederunt. ad ea enim præſidia, quæ habemus: iam accedunt Conſules ſumma prudentia, virtute, concordia, multos menſes de populi Ro. libertate commentati atq; meditati. His authoribus, & ducibus, dijs iuuantibus, nobis vigilantibus, & multũ in poſterum prouidentibus, populo Ro. conſcientiente, erimus profecto liberi breui tempore. iucundiorem autem faciet libertatem ſeruitutis recordatio. Quas ob res quod Tribuni pl. verba fecerunt: vt Senatus Calen. Ianua. tuto haberi, ſententiaq; de ſumma Reip. libere dici poſſint: de ea re ita cenſeo: vt C. Panſa, A. Hircius Conſules deſignati, dent operam, vt Senatus Calen. Ianu. tuto haberi poſſit: quodq; edictum D. Bruti imperatoris Conſulis deſignati, optime de Repub. meriti propoſitum ſit: Senatum exiſtimare D. Brutum imperatorem Conſulem deſignatum, optime de Rep. promereri: cum Senatus authoritatem, populiq; Romani libertatẽ, Imperiumq; defendat: quodq; Galliam prouinciam citeriorem optimorum & fortiſſimorum virorum, amiciſſimorum populo Ro. ciuium exercitum in Senatus poteſtate retineat: id eũ exercitumq; eius, municipia, colonias prouinciæ Galliæ, recte, atq; ordine, exq; Rep. feciſſe, & facere: Senatum ad ſummam Reip. pertinere arbitrari: à D. Bruto ut ab L. Planco Imperatoribus Conſs. deſignatis, itemq; à ceteris, qui prouincias obtinent: obtineri ex lege Iulia quod ex ſenatus conſulto cuiq; eorũ ſucceſſum ſit: eosq; dare operam, vt hæ prouinciæ, Galliæq; exercitus, in Senatus populiq; Ro. poteſtate, præſidioq; Reip. ſint: cumq; opera, virtute, conſilio C. Cæſaris, ſummoq; conſenſu militum Veteranorum, qui eius authoritatem ſecuti Reip. præſidio ſunt, & fuerunt: & à grauiſſimis periculis populus Rom. defenſus ſit: & hoc tempore defendatur: cumq; legio Martia Albæ conſtiterit, in municipio fideliſſimo, & fortiſſimo: ſeq; ad Senatus authoritatem populiq; Ro. libertatem contulerit: quod pari conſilio eademq; virtute legio Quarta vſa L. Egnatuleio duce cum egregio Senatus authoritatem populiq; Ro. libertatẽ defendat, ac defenderit: Senatui magnæ curæ eſſe, ac fore: & vt pro tantis eorum in Rempublicam meritis honorem habeantur, gratiaq; referantur, Senatui placere: vtq; C. Panſa, A. Hircius Conſules deſignati, cum magiſtratum inierint: ſi eis videbitur, primo quoq; tempore de his rebus ad hunc ordinem referant: ita vti de Rep. fideq; ſua cenſuerint.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA QVARTA.

## ORATIO XLVII.

Alacritas.

FRequentia vestrûm incredibilis, conciog; Quirites tanta, quantam meminisse non videor: & alacritatem mihi summam affert Reip. defendendæ, & spem recuperandæ libertatis. quanquã animus mihi nunquam defuit: tempora defuerunt. quæ simulac primum aliquid lucis ostendere visa sunt: princeps vestræ libertatis defendendæ semper fui. quod si ante facere conatus essem: nunc facere non possem. hodierno enim die Quirites ne mediocrem rem actam arbitremini: fundamenta sunt iacta reliquarum actionum. nam est hostis à Senatu nondum verbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. Nunc vero multo sum erectior: quod vos quog; hostem illum esse tanto consensu, tantog; clamore approbauistis. nec enim fieri potest: vt non aut y sint impy, qui contra Consulem exercitum comparauerunt: aut ille hostis, contra quem iure arma sumpta sunt. Hanc igitur dubitationem, quanquã nulla erat: tamen ne qua posset esse: Senatus hodierno die sustulit. C. Cæsar, qui Rempublicam, libertatemq; vestram suo studio, consilio, patrimonio denique tutatus est, et tutatur: maximis Senatus laudibus ornatus est. Laudo, laudo vos Quirites: cum gratissimis animis prosequimini nomẽ clarissimi adolescentis, vel pueri potius. sunt enim facta eius immortalitatis, non ætatis. multa memini: multa audiui: multa legi: nihil ex omnium seculorum memoria tale cognoui: qui cũ seruitute premeremur, et indies malũ cresceret. præsidij nihil haberemus: capitalem, & pestiferũ Brundusio M. Antonij reditum timeremus: hoc insperatum omnibus consilium, incognitum certe cœpit, vt exercitum inuictũ ex Hispanis militibus conduceret: Antonijq; furorem crudelissimis consiliis incitatum à pernicie Reip. auerteret. quis est enim, qui hoc non intelligat? nisi Cæsar exercitum parauisset: non sine exitio nostro futurum Antonij reditum fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio vestri, cruentus sanguine ciuium Romanorum, quos Suessæ, quos Brundusij occiderat: vt nihil nisi de Reip. pernicie cogitaret. Quod autem erat præsidiũ salutis, libertatisq; vestræ? si C. Cæsaris fortissimorum suisq; patris militum exercitus non fuisset? cuius de laudibus & honoribus, qui ei pro diuinis, & immortalibus meritis diuini immortalesq; debentur: mihi Senatus assensus paulo ante decreuit, vt primo quoq; tempore referretur. quo decreto quis non prospicit Antonium hostem esse iudicatum? quem enim appellare possumus eum: contra quem qui exercitus ducunt: iis Senatus arbitratur singulares exquirendos honores? quid legio Martia? quæ mihi videtur diuinitus ab eo deo traxisse nomen: à quo populum Ro. generatum accepimus: nonne ipsa suis decretis prius, quàm Senatus, hostem iudicauit Antonium? nam ille si non hostis: qui Consulem reliquerunt, hostis necesse est iudicemus. præclara & luculenta declamatione vestra factum pulcherrimum Martialiũ comprobauistis: qui se ad Senatus authoritatem, ad libertatem vestram, ad vniuersam Remp. contulerunt: hostem illum, & latronem, & parricidam patriæ reliquerunt. nec solum id animose, & fortiter, sed considerate etiam, sapienterq;

sapienterq; fecerunt. Alba constituerunt in urbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorum virorum, fidelissimorum ciuium, atq; optimorum. Huius Martiæ legionis legio Quarta imitata virtutẽ, duce L. Egnatuleio, quem Senatus merito paulo ante laudauit: C. Cæsaris exercitum prosecuta est. quæ expectas M. Antoni iudicia graviora? Cæsar fertur in cœlum: qui contra te exercitum comparauit: laudantur exquisitissimis verbis legiones, quæ te reliquerunt: quæ à te accersitæ sunt: quæ tuæ essent: si te consulem, quàm hostem maluisses: quarũ legionum fortissimum, verissimumq; iudicium confirmat Senatus: comprobat vniuersus populus Romanus: nisi forte vos Quirites consulem, non hostem iudicatis Antonium? sic arbitrabar vos iudicare vt ostenditis. municipia, colonias, præfecturas, num aliter iudicare censetis? omnes mortales vna mente consentiunt: omnia arma eorum, qui hæc salua velint: contra illam pestẽ esse capienda. quid D. Bruti iudicium Quir. quod ex hodierno eius edicto perspicere potuistis: num cui tandem contemnendum videtur? recte & vere negastis Quirites: est enim quasi deorum immortalium beneficio & munere datum Reip. Brutorũ genus, & nomen ad libertatem populi Ro. vel constituendam, vel recuperandã. quid igitur D. Brutus de M. Antonio iudicauit? exclusit prouincia: exercitu obstitit: Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam suaſponte, suoq; iudicio excitatam. Si Consul Antonius: Brutus hostis. si conseruator Reip. Brutus: hostis Antonius. num igitur vtrum horum sit, dubitare possumus? At qui vt vos vna mente vnaq; voce dubitare vos negatis: sic modo decreuit Senatus, D. Brutum optime de Rep. mereri, cũ Senatus authoritatem populiq; Ro. libertatem, imperiumq; defenderit. à quo defenderit? nempe ab hoste. quæ est enim alia laudanda defensio? deinceps laudatur prouincia Gallia: meritoq; ornatur verbis amplissimis à Senatu: quod restat. Antonio. quẽ si Consulem illa prouincia putaret, neq; eũ reciperet: magno scelere se astringeret. omnes enim sub Consulis iure, & imperio debent esse prouinciæ. negat hoc D. Brutus Imperator Consul designatus, natus Reip. ciuis: negat Gallia: negat cuncta Italia: negat Senatus: negatis vos. quis igitur illũ Consulẽ nisi latronas putat? quanquã ne ij quidẽ ipsi quod loquuntur, id sentiunt: nec à iudicio omniũ mortaliũ, quam uis impij, nefarijq; sint, sicut sunt: dissentire possunt. sed spes rapiendi, atq; prædandi occæcat animos eorũ, quos nõ bonorũ donatio, nõ agrorum assignatio, nõ illa infinita Pompeiana facta faciunt: qui sibi vrbẽ, qui bona, & fortunas ciuiũ ad prædã proposuerunt: qui dum sit quod rapiant, quod auferant: nihil sibi defuturũ arbitrãtur. quibus M. Antonius (ô dij immortales auertite, & detestamini quæso hoc omẽ) vrbẽ se diuisurum esse promisit. ita vero Quir. vt precamini veniat: quo huius amẽtiæ pœna, in ipsum familiamq; eius recidat. quod ita futurum esse confido. nam enim non solum homines, sed etiam deos immortales ad Rempub. conseruandam arbitror consensisse. Si enim prodigus, atq; portentus dij immortales nobis futura prædicũt, ita sunt aperte denunciata: vt & illi pœna, & libertas nobis appropinquet. si enim tantus consensus omnium, sine impulsu deorum esse non potuit: quid est, quod de voluntate cœlestium dubitare possimus? Reliquum est Quirites: vt vos in ista sententia, quã pro vobis fortiter perseueretis. Faciam igitur vt Imperatores in-

structa acie solent: quanquã paratissimos milites ad preliandũ videãt: vt eos tamen adhortentur. sic ego vos ardentes, & erectos ad libertatẽ recuperandã adhortabor. Non est, nõ est vobis Quirites cũ eo hoste certamen: quocum aliqua pacis cõditio esse possit. neq; enim ille seruitutem vestrã, vt antea, sed iam iratus sanguinẽ concupiscit. nullus ei ludus videtur esse iucundior, quàm cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio ciuiũ. non est vobis Quir. res cum scelerato hõmine, atq; nefario, sed cum immani tetraq; belua. quæ quoniã in foueam incidit, obruatur. si enim illinc emerserit: nullius supplicij crudelitas erit recusanda. sed tenetur, premitur, vrgetur, nuncijs copijs, quas iã habemus: moxijs, quas paucis diebus noui Consules cõparabunt. incumbite in causam Quirites vt facitis. nunquã inter Senatum & vos consensus maior in vlla causa fuit: nunquã tam vehemẽter cũ Senatu cõsociati fuistis. nec mirũ. agitur enim non qua cõditione victuri: sed victuri ne simus: an cũ supplicio ignominiaq; perituri. quanquã mortẽ quidem omnibus natura proposuit. crudelitatẽ mortis, & dedecus, virtus propulsare solet. quæ propria est Romani generis, & seminis. hanc retinete quæsõ Quirites: quã vobis tanquã hæreditatẽ maiores vestri reliquerunt. quanq; omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia. virtus est vna altissimis defixa radicibus: quæ nunquã vlla vi labefactari potest: nunquã dimoueri loco. hac maiores nostri primũ vniuersam Italiam, deuicerunt: deinde Carthaginem excid erunt: Numantiã euerterunt: potentissimos reges, bellicosissimas gentes, in deditionẽ huius imperij redegerunt. Ac maioribus quidẽ vestris Quir. cũ eo hoste res erat: qui haberet Remp. curiã, ærarium, cõsensum, & concordiam ciuiũ, rationem aliquam, si res ita tulisset, pacis & fœderis. hic vester hostis vestrã Remp. oppugnat: ipse habet nullã: Senatum id est orbis terræ consiliũ delere gestit: ipse consilium publicũ nullum habet: ærarium vestrum exhausit: suũ non habet. nam concordiam ciuium qui habere potest, nullam qui habeat ciuitatẽ? pacis vero quæ potest cũ eo esse ratio? in quo est incredibilis crudelitas? fides nulla? Est igitur Quir. pop. Ro. victo omnium gentiũ, omne certamen cum excursore, cum latrone, cũ Spartaco. nam quod se similem Catilinæ esse gloriari solet, scelere par est: belli industria inferior. ille cũ exercitum nullum haberet: repente conflauit. hic eum, ipsum exercitum, quẽ accepit, amisit. vt igitur Catilinã diligentia mea, Senatus authoritate, vestro studio, & virtute fregistis: sic Antonij nefarium latrocinium veracum Senatu concordia tanta, quanta nunquã fuit, fidelitate, & virtute exercituũ ducum q; vestrorum, brevi tempore oppressum audietis. Equidem quantum cura, labore, vigilijs, authoritate, consilio, eniti atq; efficere potero, nihil prætermittam quod ad libertatem vestram pertinere arbitrabor. neq; enim id pro vestris in me amplissimis beneficijs sine scelere facere possum. hodierno autem die primum referente viro fortissimo, vobisq; amicissimo M. hoc Seruilio, Collegisq; eius ornatissimis viris, optimis ciuibus, longo interuallo me authore, & principe ad spem libertatis exarsimus.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA QVINTA. ORATIO XLVIII.

NIhil vnquam longius Calendis Ian. mihi visum est Patres Conscripti: quod idē intelligebā per hos dies vnicuiq; vestrū videri. qui enim bellum cū Rep. gerunt: hunc diem nō expectant. nos autem tū, cum maxime consilio vestro subuenire communi saluti oporteret: in Senatum conuocabamur. sed querelā preteritorum dierum sustulit oratio Consulum: qui ita locuti sunt: vt magis exoptatæ Calend. Ian. quàm seræ esse videantur. Atq; vt oratio Consulum animum meum erexit: spemq; attulit non modo salutis conseruandæ, verum etiā dignitatis pristinæ recuperandæ: sic me perturbasset eius sententia: qui primus rogatus est: nisi vestræ virtuti, constantiæq; confiderem. hic enim vobis Patres Conscripti dies illuxit: hæc potestas data est: vt quantum virtutis, quantum constantiæ, quantū grauitatis, in huius ordinis consilio esset: populo Rom. declarare possetis. recordamini qui dies nudius tertius decimus fuerit: quantus consensus vestrum: quanta virtus: quanta constantia: quantam situs à populo Romano laudem, quantam gloriam consecuti. Atq; illo die P. C. ea constituistis: vt vobis nihil iam sit integrum: nisi aut honesta pax: aut bellū necessarium. Pacem vult M. Antonius. arma ponat: roget: deprecetur. neminem æquiorē me reperiet: cui dū se ciuibus impijs cōmendat: inimicus esse, quàm amicus maluit. nihil est pfecto quod dari

Pacem nolle



dari possit bellum gerenti: erit fortasse aliquid: quod cōcedi possit roganti. legatos vero ad eum mittere, de quo grauissimum iudiciū nudiustertius decimus feciſtis: nō iam leuitatis est: sed, vt quod sentio dicam, dementiæ. primum enim eos duces laudauistis: qui contra illū priuato consilio bellum susceperunt. deinde milites veteranos: qui cum ab Antonio in Colonias essent deducti: illius beneficio libertatē populi Romani anteposuerunt. quid legio Martia? quid Quarta? cur laudantur? si enim Consulē suum reliquerunt: vituperandæ sunt. si inimicū populi Rom. iure laudantur. Atqui cum Consules nondum haberetis: decreuistis, vt & de præmys militum, & de honoribus Imperatorum, primo quoq; tempore referretur. placet eodem tempore præmia constituere eis, qui contra Antoniū arma cœperunt: & legatos ad Antonium mittere? vt iā pudendū sit: honestiora esse legionum decreta, quàm Senatus. siquidem legiones decreuerunt Senatum defendere contra M. Antonium. Senatus decreuit Legatos ad Antonium. vtrum hoc est confirmare militum animos? an debilitare virtutem? hoc dies duodecim proficerunt? vt quem nemo prater Cotylam inuentus sit, qui defenderet: is habeat iam patronos, etiam Consulares. qui vtinam omnes animi sententiam rogarentur. quanquam suspicor quid dicturi sint quidam eorum, qui post me rogabuntur. facilius contradicerem, si quid videretur. est enim opinio, decreturum aliquem M. Antonio illam vltimam Galliam, quam Plancus obtinet. Quid hoc aliud est? quam ad bellum ciuile hosti arma largiri? primum nervos belli pecuniam infinitam, qua nunc eget: deinde equitatum, quantum velit: equitatum dico? dubi-

Leuitas Dementia.

Fatue.

tabit credo gentes Barbaras secum adducere? hoc qui nõ videt, excors: qui cum videt, decernit, impius. tu ciuem sceleratum, & perditum, Gallorum, & Germanorum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copijs, instrues? nullæ istæ excusationes sunt: meus amicus est. sit patriæ prius. meus cognatus: an potest cognatio vlla propior esse, quàm patriæ? in qua etiam parentes continentur? mihi pecuniam attribuit. cupio videre qui id audeat dicere. quid autem agatur, cũ aperuero: facile erit statuere, quam sententiam dicatis, aut sequamini. Agitur vtrũ M. Antonio facultas detur opprimendæ Reipub. cædis faciendæ, bonorũ diripiendorum, vrbis, agrorum, suis latronibus condonandi, populi Romani seruitute opprimendi: an horum nihil facere ei liceat. dubitate quid agatis. an non cadunt hæc in Antonium? hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. quid enim in eum non cadit? qui cum Cæsaris acta se defendere dicit: eius leges peruertit: quas maxime laudare poteramus. ille paludes siccare voluit. hic omnem Italiã moderato homini L. Antonio diuidendam dedit. quid? hanc legem populus Romanus accepit? quid? per auspicia ferre potuit? sed augur verecundus sine Collegis de auspicys non interpretaretur. quanquam illa auspicia non egent interpretatione augurum. Ioue enim tonante cum populo Ro. agi non esse fas quis ignorat? Tribuni pl. tulerunt de prouincijs contra acta Cæsaris ille biennij, iste sexennij. num etiã hanc legem populus Rom. accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quàm scripta? nonne ante factam vidimus: quàm futuram quisquam est suspicatus? vbi lex Cæcilia? & Didia? vbi promulgatio trinundinum? vbi pœnæ recenti lege Iunia, &



nia, & Licinia? possunt ne hæ leges ratæ esse, sine interitu legum reliquarum? & cui potestas in forum introeundi fuit? quæ porrò illa tonitrua? quæ tempestas? aut si auspicia M. Antonium non mouerent: sustinere eum, aut ferre non potuisse tantam vim tempestatis, hymbris, ac turbinum mirũ videretur? quam legem igitur se augur dicit tulisse, non modo tonante Ioue, sed propè cœlesti clamore prohibente: hanc dubitabit contra auspicia latam esse fateri? quid? quod cum eo collega tulit, quem ipse se de sua nunciatione vitiosum: nihil ne ad auspicia bonus augur arbitratus est pertinere? sed auspiciorum nos forte scrimus interpretes: qui sumus eius Collegæ. num eram etiam armorum interpretes quærimus? primũ omnes fori aditus ita septi: vt etiam si nemo obstaret armatus: tamen nisi septis reuulsis introiri in forum nullo modo posset. sic vero erant disposita præsidia: vt quomodo aditus hostium prohibetur castellis, & aggeribus: ita ab ingressione fori populum tribunosq; pl. propulsari videret. Quibus de causis eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur: omnes censeo per vim, & contra auspicia latas: hisq; legibus populum Romanum non teneri. Si quam legem de actis Cæsaris confirmandis, de ue Dictatura in perpetuum tollenda, deue colonis in agros deducendis tulisse M. Antonius dicitur: eadem lege de integro, vt populum teneant, saluis auspicys ferre placet. Quamuis ergo bonas leges vicisse, per vim q; tulerit: tamen hæ leges non sunt habendæ: omnisq; audacia gladiatoris amentis, authoritate nostra repudianda est: illa vero dissipatio pecuniæ publicæ, ferenda nullo modo est: per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusq; vertit: vt portenti simile videa-

tur: tantam pecuniam populi Romani tam breui tẽpore perire potuisse? quid illi immanes quæstus? ferendi ne? quos M. Antony tota exhausit domus? decreta falsa vẽdebat: regna, ciuitates, immunitates, in æs accepta pecunia iubebat incidi. hæc se ex cõmentarijs Cæsaris, quorum ipse author erat, agere dicebat. in interiore ædium parte totius Reipub. nundinæ: mulier sibi felicior, quàm vir, auctionem prouinciarum, regnorumq; faciebat. restituebantur exules, quasi lege, sine lege: quæ nisi authoritate Senatus rescindantur, quoniam ingressi in spẽ Reipublicæ recuperandæ sumus: imago nulla liberæ ciuitatis relinquetur. Neq; solum commentarijs commẽticijs, chirographisq; venalibus, innumerabilis pecunia congesta in illam domum est: cum quæ vendebat Antonius: ea se ex actis Cæsaris agere diceret: sed Senatus etiam consulta pecunia accepta falsa referebat: syngraphæ obsignabantur: Senatusconsulta tanquam facta ad ærarium referebantur. Huius turpitudinis testes erant etiam exteræ nationes. fœdera interea facta: regna data: populi prouinciæq; liberatæ. earum rerum falsæ tabulæ gemente populo Ro. toto Capitolio figebantur. Quibus rebus tanta pecunia vna in domo coacernata est: vt, si hoc genus in vnũ redigatur: non sit pecunia populo Romano defutura. Is etiam legem iudiciariã tulit: homo castus, atq; integer, iudiciorũ & iuris author. in quo vos fefellit. antesignanos, & manipulares, & alaudas iudices se constituisse dicebat. at ille legit aleatores: legit exules: legit Græcos. O' consessum iudicũ præclarum: O' dignitatẽ consily admirandã. pauet animus apud consilium illud pro reo dicere. Cydam Cretensem, portentum insulæ, hominem audacissimũ, & perditissimum. sed fac ita non esse. num latine scit? num ex iudicum genere & forma? num leges nostras mores ue nostros? num denique homines? est enim vobis Creta notior, quàm Roma Cydæ. delectus autem & notatio iudicum etiam in nostris ciuibus haberi solet: Cortinium vero iudicẽ quis nouit? aut quis nosse potuit? Nam Lysiadem Athenienſem plerique nouimus: est enim Phædri Philosophi nobilis filius: homo præterea festiuus: vt ei cum M. Curio consessore eodem, & collusore facillime possit conuenire. quæro igitur, si Lysiades citatus iudex non responderit, excusetur q; Areopagites esse nec debere eodem tempore Romæ, & Athenis res iudicare: accipiet ne excusationem is, qui quæstioni præerit, græculi iudicis, modo palliati, modo togati? an Athenienſium antiquissimas leges negliget? qui porrò ille confessus diu boni? Cretensis iudex, isq; nequissimus. quem admodum ad hunc reus alleget? quomodo accedat? dura natio est. at Athenienses misericordes. puto ne Curium quidem esse crudelem: qui quotidie periculum fortunæ faciat. sunt item lecti Iudices: qui fortasse excusabuntur: habent enim legitimam excusationem: exily causa, sibi vertisse: nec esse postea restitutos. hos ille demens Iudices legisset? horum nomina ad ærarium detulisset? his magnam partem Reip. credidisset? si vllam spem Reipub. cogitauisset? Atq; ego de notis iudicibus dixi. quos minus nostis, nolui nominare. saltatores, citharistas, totum denique comesationis Antonianæ chorum in tertiam decuriam iudicum scitote esse collectum. hæc causa, cur lex tam egregia, tamq; præclara, maximo hymbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina, & tonitrua ferretur: vt eos Iu-

dices haberemus: quos socios ad epulas habere hospites nemo velit. scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum, direptio eius pecuniæ, cuius ratio in æde Opis confecta est: hanc tertiam decuriam excogitauit: nec ante turpes Iudices quæsiti: quàm honestis iudicibus nocentium salus desperata est. Sed illud os, illam impuritatem cœni fecissent: vt hos Iudices legere auderet: quorũ lectione duplex imprimeretur Reip. dedecus: vnum, quod tam turpes Iudices essent: alterum, quod patefactum, cognitumq; esset, quàm multos in ciuitate turpes haberemus. Hanc ego & reliquas eiusmodi leges, etiam si sine vi, saluis auspicijs essent rogatæ: censerem tamen abrogandas. nunc vero cur non abrogandas censeam, quas iudico non rogatas? An illa non grauissimis ignominijs, monumentisq; huius ordinis ad posteritatis memoriam sunt notanda? quod vnus M. Antonius in hac vrbe post conditam vrbem palàm secum habuit armatos? quod neq; reges fecerunt, neq; ij, qui Regibus exactis regnum occupare voluerunt. Cinnam memini: vidi Syllam: modo Cæsarem: hi enim tres post ciuitatem à L. Bruto liberatã, plus potuerunt: quàm vniuersa Respublica. non possum affirmare nullis telis eos stipatos fuisse. hoc dico: nec multis, & occultis. at hanc pestem agmẽ armatorum sequebatur: Classitius, Mustela, Tyro, gladios ostentantes sui similes greges ducebant per fõrum: certum agminis locum tenebant Barbari sagittarij. cum autem erat ventum ad ædem Concordiæ: gradus complebantur: lectica collocabantur: non quod ille scuta vellet occulta esse: sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent. illud vero teterrimum auditu non modo aspectu: in cella Concordiæ collocari armatos latrones, ficarios: è templo carcerem fieri: apertis valuis Concordiæ, cum inter subsellia Senatus versarentur latrones: patres conscriptos sententias dicere. huc etiam ipse venirem Cal. Septembris, fabros se missurum, & domum meam disturbaturum esse dixit. magnas res credebatur? de supplicatione referebatur. veni postridie: ipse non venit. locutus sum de Rep. minus equidem libere, quàm mea consuetudo, liberius tamen, quàm periculosa minæq; postulabant. At ille homo vehemens, & violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excludere: fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piso XXX diebus ante me: inimicitias mihi denunciauit: adesse in Senatu iussit ad XIII. Cal. Octobris. ipse intra decem & septem dies: vt digestio potius quàm declamatio videretur: de me in Tyburtino Scipionis declamitauit, sitim quærens. hæc enim ei causa esse solet declamandi. cũ is dies, quo me adesse iusserat, venisset: tum vero agmine quadrato in ædem Concordiæ venit: atque in me absentem orationem ore impurissimo euomuit. quo die, si per amicos mihi cupienti in Senatum venire licuisset, cædis initium fecisset à me: sic enim statuerat. cum autem semel gladium scelere imbuisset: nullam ei finem cædendi, nisi defatigatio, & satietas attulisset. etenim aderat L. frater gladiator Asiaticus, qui myrmillo Trallibus depugnarat: sanguinem nostrum sitiebat: suum in illa gladiatoria pugna multum profuderat. hic pecunias nostras æstimabat: possessiones notabat, & vrbanas, & rusticas: huius mendicitas auiditasq; coniuncta infortunas nostras imminebat: diuidebat agros quibus, & quos volebat: nullus aditus erat priuatæ nulla æquitatis deprecatio: tantũ quisq; habebat possessor:

sessor: quantum reliquerat diuisor Antonius. quæ quanquam, si leges irritas feceritis : rata esse non possunt : tamen separatim suo nomine notanda censeo , iudicandumq; nullos Septemuiros fuisse : nihil placere ratum esse, quod egissent: aut quod ab ijs actum diceretur. M. vero Antonium , quis est qui ciuem possit iudicare potius, quàm teterrimum, & crudelissimum hostem? qui pro æde Castoris sedens , audiente populo Ro. dixerit, nisi victorem victurum neminem? num putetis P. C. dixisse eum minacius, quàm facturum fuisse ? quid vero? quod in concione dicere ausus est? se cum magistratu abisset, ad vrbem venturum cum exercitu : introiturum quotiens cunq; vellet? quid erat aliud , nisi denunciare populo Ro. seruitutẽ? quod autem eius iter Brundusiũ? quæ festinatio? quæ spes? nisi vt ad vrbem socius exercitum maximum adduceret ? qui autem delectus Centurionũ? quæ effrenatio impotentis animi? cum eius pro missis legiones fortissimæ reclamassent: domum ad se venire iussit Centuriones : quos bene de Repub. sentire cognouerat: eosq; ante pedes suos, vxorisq; suæ , quàm secum grauis imperator ad exercitum duxerat, iugulari coegit. quo animo hunc censetis futurum in nos , quos oderat? cum in eos , quos nunquam viderat: tam crudelis fuisset? & quàm auidum in pecunijs locupletum: qui pauperum sanguinem concupisset? quorum ipsorum bona, quantacunq; erant, statim suis comitibus, compotoribusq; descripsit. Atq; ille furens infesta iam patriæ signa Brundusio inferebat. cum Cæsar deorum immortalium beneficio diuini animi, ingenij, consilij magnitudine, cum sua sponte eximiaq; virtute, tum approbatione authoritatis meæ Colonias patris adyt : veteranos



nos milites conuocauit : paucis diebus exercitum fecit: incitatos latronis impetus retardauit. postea vero quàm legio Martia ducem præstantissimum vidit : nihil egit aliud, nisi vt aliquando liberi essemus. quam est imitata quarta legio. quo ille nuncio audito, cum Senatum vocasset, adhibuisset q; Consularem : qui sua sententia C. Cæsarem hostem iudicaret, repente concidit. Post autem neq; sacrificijs solennibus factis , neque votis nuncupatis, profectus est : & profugit paludatus. At quo? in prouinciam firmissimorum , & fortissimorum ciuium. qui illum, ne si ita quidem venisset, vt nullum bellum inferret : ferre potuissent, impotentem, iracundum, contumelioſum, superbum, semper poscentem, semperrapientem, semper ebrium. At ille, cuius ne pacatam quidem ne quitiam quisquam ferre posset : bellum intulit prouinciæ Galliæ: circunsedit Mutinam firmissimã & splendidissimam populi Ro. coloniam: oppugnat D. Brutum imperatorem, consulem designatum, ciuẽ non tibi sed nobis & Reip. natum. Ergo Annibal hostis? ciuis Antonius? quid ille fecit hostiliter? quod hic aut non fecerit: aut non faciat : aut non moliatur, & cogitet? totum iter Antony quid habuit? nisi depopulationes? vastationes? cædes? rapinas? quas non faciebat Annibal: quia multa ad vsum reseruabat: at hi, qui in horam vixerunt: non modo de fortunis , & de bonis ciuium, sed ne quidem de vtilitate sua cogitauerunt. ad hunc, dij boni legatos mitti placet? norunt isti homines formam Reipublicæ, iura belli , exempla maiorum? cogitant quid populi Ro. maiestas , quid Senatus seueritas postulet? Legatos decernitis. si vt deprecentur , contemnet : si vt imperetis, non audiet. denique quamuis seuera legatio mandata

mandata dederimus: nomen ipsum Legatorum hunc, quem vidimus, restinguet ardorem municipiorũ: atq; Italiæ franget animos. vt omittã hæc, quæ magna sunt: certe ista legatio moram, & tarditatem afferet bello. quamuis dicant, & quosdam audiã dicturos: legati proficiscantur bellum nihilominus paretur: tamen legatorum nomen ipsum, & animos molliet: & belli celeritatem morabitur. Minimis momentis P.C. maximæ inclinationes temporum fiunt, cum omni casu Reipublicæ, tum in bello, & maxime ciuili: quod opinione plærunq; & fama gubernatur. nemo quæret quibus cum mandatis legatos miserimus: nomẽ ipsum legationis vltro missæ timoris esse signum videbitur. recedat à Mutina: desinat oppugnare Brutũ: decedat ex Gallia: non est verbis rogandus: cogendus est armis. non enim ad Annibalem mittimus: vt à Sagunto recedat: ad quem miserat olim Senatus P. Valerium Flaccum, & Q. Fabiũ Pamphilum: qui, si Annibal non pareret, Carthaginem ire iussi sunt. nostros Legatos quo iubebimus ire, si non paruerit Antonius? ad nostrum ciuẽ mittimus, ne imperatorem, ne Coloniam populi Ro. oppugnet. Ita ne vero? hoc per legatos rogandus est? quid interest per deos immortales: vtrum hanc vrbem oppugnet? an huius vrbis propugnaculum, coloniamq; populi Ro. præsidij causa collocatam? belli punici secundi, quod contra maiores nostros Annibal gessit: causa fuit Sagunti oppugnatio. recte ad eum Legati missi: mittebantur ad pœnam: mittebantur ad Annibalem pro hospitibus nostris & socijs. quid simile tandem? nos ad ciuẽ mittemus: ne Imperatorem populi Romani, ne exercitum, ne coloniã circunsedeat: ne oppugnet: ne agros depopuletur: ne sit hostis. Age, si paruerit: hoc ciue vti aut volumus, aut possumus? ante diẽ XIIII Calend. Ian. decretis vestris eum cõcidistis: constituistis vt hæc ad vos Calend. Ian. referrentur, quæ referri videtis: de honoribus, & præmijs bene de Repub. meritorum, & merentium: quorum Principem iudicauistis eum, qui fuit: C. Cæsarem, qui M. Antonij impetus nefarios ab vrbe in Galliam vertit. deinde milites veteranos: qui primi Cæsarem secuti sunt. tum illas tales, diuinasq; legiones, Martiam, & Quartam: quibus, cum Consulem suum non modo reliquissent, sed bello etiam persequerentur: honores & præmia spopondistis: eodemq; die D. Bruti præstantissimi ciuis edicto sublato, atq; proposito, factum eius collaudauistis: quodq; ille bellum priuato consilio susceperat: id vos authoritate publica comprobauistis. quid igitur illo die aliud egistis, nisi vt re hostem iudicaretis Antonium? his vestris decretis aut ille vos æquo animo aspicere poterit? aut vos illum sine dolore summo videbitis? excluſit illum à Repub. distraxit, segregauit, non solum scelus illius, sed etiam, vt mihi videtur, fortuna quædam Reipublicæ. qui si Legatis paruerit, Romamq; redierit: num quando perditis ciuibus vexillum, quo concurrant, desiturum putatis? sed hoc minus vereor. sunt alia, ob quæ magis nunquam parebit ille legatis. noui hominis insanam, arrogantiam: noui perdita consilia amicorum, quibus ille est deditus. Lucius quidem frater eius vt potuit peregre depugnauit: familiam ducit. si per se ipse sanus, quod nunquam erit: per hos esse ei tamen non licebit. teretur interea tempus: belli apparatus resurgescent. vnde est adhuc bellum, nisi retardatione, & mora? vt primum post discessum latronis, vel potius desperа-

desperatam fugam libere Senatus haberi potuit: semper flagitaui, vt conuocaremur: quo die primum conuocati sumus: designati Consules non adessent: ea sententia mea maximo vestro consensu fundamenta Reipublicæ serius omnino, quàm decuit: nec enim ante potui. sed tamen si ex eo tempore dies nullus intermissus esset: bellum profecto nullum haberemus. omne malum nascens facile opprimitur: inueteratum fit plerunq; robustius. Sed tum expectabantur Calend. Ianu. fortasse non recte. verum præterita omittamus. etiam ne hanc moram afferemus: dum proficiscantur Legati? dum reuertantur? quorum expectatio dubitationem belli afferet. bello autem dubio quod potest studium esse delectus? Quamobrem P. C. Legatorum mentionem nullam censeo faciendam: rem administrandam arbitror sine vlla mora, & confestim gerendam censeo: tumultum decerni, iusticium indici, saga sumi dico oportere: delectum haberi sublatis vacationibus in vrbe, & in Italia, præterea Gallia tota. Quæ si erunt facta: opinio ipsa & fama vestræ seueritatis obruet scelerati gladiatoris amentiã. sentiet sibi bellum cum Po. Ro. esse susceptum: experietur consentientis Senatus neruos, atq; vires. nam nunc quidem partium contentionem esse dicitat. quarum partium? alteri victi sunt: alteri sunt è mediis C. Cæsaris partibus. Nisi forte Cæsaris partes à Pansâ, & Hircio consulibus & à filio C. Cæsaris oppugnari putamus. Hoc vero bellum non ex dissensione partium, sed ex nefaria spe perditissimorum ciuium excitatum. quibus bona, fortunæq; nostræ notæ sunt: & iam ad cuiusq; opinionem distributæ. Legi epistolam Antony quam ad quendam Septimum capitalem hominem Collegam

Malum. Dubium. Senatus. Bellum.



em suum miserat. Quid concupiscas tu videris: quod cupieris certe habebis. Hem ad quem Legatos mittemus? cui bellum moremur inferre? qui ne sorti quidẽ rtunas nostras destituit: sed libidini cuiusq; nos ita ad dixit: vt ne sibi quidem quicquam integrum, quod non licui promissum iam sit, reliquerit. cum hoc P. C. bello, llo inquam certandũ est, idq; confestim. legatorũ tardi ra repudianda est. Quapropter ne multa nobis quotie decernenda sint: Consulibus totam Remp. committendam censeo: hisq; permittendũ, vt Remp. defendant: rãideantq; ne quid Resp. detrimẽti accipiat. censeoq; ntes, qui in exercitu Antony sunt, ne sit ea res frauduante Cal. Feb. ab eo discesserint. hæc si censueritis Patres Conscripti: breui tempore libertatẽ Reip. authoritatemq; vestram recuperabitis. si autẽ lenius agetis: tamẽ dem, sed fortasse serius decernetis. de Rep. quoad restis: satis decreuisse videor. Altera res est de honoribus de quibus deinceps intelligo esse dicendũ. Sed qui rdis in sententijs rogandis seruari solet: eundem tenebo n viris fortibus honorandis. à Bruto igitur Consule deinato more maiorum capiamus exordium: cuius, vt superiora omittam, quæ sunt maxima illa quidem: sed adhuc hominum magis iudicijs, quàm publice laudata: quibus nam verbis eius laudes huius ipsius tempora consequi possumus? neq; enim vllam mercedem tanta virtus, præter hanc laudis, gloriæq; desiderat. qua, eam si careat: tamen sit seipsâ contenta. quanquã in memoria grauium ciuium, tanquam in luce posita lætetur. laus igitur iudicij, testimonij q; vestri tribuenda Bruto est. quamobrem his verbis P. C. Senatus consultum faciendum censeo. Cum D. Brutus Imp. Cons. de-

Concupiscere. Sententiæ. Memoria grator.

signatus, prouinciam Galliam in Senatus populiq; Ro. potestate teneat: cumq; exercitũ tantum, tam breui tempore summo studio municipiorũ, coloniarũq; prouincie Galliæ, optime de Rep. meritæ, merentisq; conscripserit: comparârit id eum recte, & ordine, éxque Repub. fecisse: idq; D. Bruti præstantissimum meritũ in Remp. Senatui populoq; Ro. gratum esse, & fore. Itaq; senatum populumq; Ro. existimare, D. Bruti imperatoris Cos. design. opera, consilio, virtute, incredibiliq; studio, & consensu prouinciæ Galliæ, Reip. difficillimo tempore esse subuentum. huic tanto merito Bruti P. C. tantoq; in Rempublicam beneficio, quis est tantus honos, qui non debeatur? nã si M. Antonio patuisset Gallia: si oppressis municipijs, & colonijs imparatis, in illam vltimam Galliam penetrare potuisset: quantus Reip. terror impẽderet? dubitaret credo homo amentissimus, atq; omnibus consilijs præceps, & demius, non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate Barbariæ bellum inferre nobis: vt eius furorem ne alpium quidem muro cohibere possemus. Hæc igitur habenda gratia est D. Bruto: qui illum, nondum interposita authoritate vestra, suo consilio, atq; iudicio, non vt consulem recepit: sed vt hostem arcuit: Galliã, seq; obsideri, quàm hanc vrbẽ maluit. Habeat ergo huius tanti facti tamque præclari decreto vestro testimonium sempiternum: Galliaq;, quæ semper præsidet, atq; præsedit huic Imperio, libertatiq; communi, merito vereq; laudetur: quod se, suasq; vires non tradidit, sed opposuit. Atq; etiam M. Lepido pro eius egregijs in Remp. meritis decernendos honores quàm amplissimos censeo. semper ille populum Rom. liberum esse voluit: maximumq; signum illo die dedit voluntatis, & iudicij sui: cum Antonio diadema Cæsari imponente, se auertit: gemituq; & mœstitia declarauit quantũ haberet odiũ seruitutis: quàm populum Ro. liberum cuperet: qui illa, quæ tulerat, temporũ magis necessitate, quàm iudicio tulisset. Quam vero is moderatione vsus sit, in illo tempore ciuitatis: quod post mortẽ Cæsaris consecutum est: quis nostrũ obscuri potest? Magna hæc: sed ad maiora properat oratio. quid enim, O dij immortales, admirabilius omnibus gentibus? quid optatius populo Ro. accidere potuit? quàm cũ bellum ciuile maximum esset: cuius belli eximum omnes timeremus: sapientia eius id potius extinxit, quàm armis & ferro rem in discrimen adducere? Quod si eadem ratio Cæsaris fuisset, in illo tetro miserrimo bello, vt omittam patrem: duos (in. Pompei summi & singularis viri filios incolumes haberemus. quibus morte pietas fraudi esse non debet. vtinam omnes M. Lepidus seruare potuisset: facturum fuisse declarauit, in eo, quod potuit: cum Sex. Pompeium restituit ciuitati, maximum ornamentum Reipublicæ, clarissimũ monumentum clementiæ suæ. grauis illa fortuna populi Ro. erat fatum. Pompeio enim patre, quod imperij populi Ro. lumen fuit, extincto, interfectus est Patris similis filius. sed omnia mihi facta videntur deorum immortalium iudicio, & pietate, Sex. Pompeio Reipub. conseruato. Quam ob causam iustam, atq; magnam, & quod periculosissimũ ciuile bellum, maximumq; humanitate & sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamque conuertit: Senatusconsultum his verbis censeo perscribendum. Cum à M. Lepido imp. Pontifice Max. sæpenumero Resp. & bene, & feliciter gesta

sit: populusq; Ro. intellexerit ei dominatum regium maxime displicere: cumq; eius opera, virtute, consilio, singulariq; clementia, et mãsuetudine belli ũ acerbissimum ciuile sit restinctum: Sex. q; Pompeius, Cn. F. Magnus huius ordinis authoritate ab armis discesserit: & à M. Lepido Imp. Pont. Max. summa senatus populiq; Ro. voluntate ciuitati restitutus sit: Senatum populũq; Ro. pro maximis plurimisq; in Remp. M. Lepidi meritis, magnã spem in eius virtute, authoritate, felicitate, reponere, otij, pacis, cõcordiæ, libertatis: eiusq; in Remp. meritorum Senatum populumq; Ro. memorẽ fore: eiq; statuam equestrem inauratam in rostris, aut quo alio loco in foro vellet, ex huius ordinis sententia statui placeret. Qui honos P. C. mihi maximus videtur. primum, quia iustus est. non enim solũ datur propter spem temporum reliquorum: sed pro amplissimis meritis redditur. nec vero cuiquam possumus cõmemorare hunc honorẽ à Senatu tributum iudicio Senatus sõluto, & libero.

Venio ad C. Cæsarem P. C. qui nisi fuisset: quis nostrum esse potuisset? aduolabat ad vrbẽ à Brundusio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omneis bonos cum exercitu Antonius. quid huius audaciæ, & sceleri poterat opponi? nondum vllos duces habebamus: non copias. nullum erat consilium publicũ: nulla libertas: dandæ ceruices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus omnes: quæ ipsa exitũ non habebat. quis tum nobis, quis populo Rom. obtulit hunc diuinum adolescentem deus? qui, cum omnia ad perniciem nostra pestifero illi paterent: subito præter spem omnium exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antony opponeret: quàm quisquam hoc eum cogitare



cogitare suspicaretur. magni honores habiti Cn. Pompeio cũ esset adolescens: & quidem iure: subuenit enim Reipub. sed ætate multo robustior, & militum ducem parentium studio paratior. & in alio genere belli. non item omnibus Syllæ causa grata. declarat multitudo proscriptorum: tot municipiorũ maximæ calamitates. Cæsar autem annis multis minor veteranos cupientes iam requiescere armauit: eã complexus est causam: quæ erat Senatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ, quæ diis hominibus gratissima. & Pompeius ad L. Syllæ memorium imperiũ, victoremq; exercitũ accessit. Cæsar se ad hominem adiunxit: ipse princeps exercitus faciendi, et præsidij comparandi fuit. ille in aduersariorum partibus agrum Picenum habuit munitum. hic ex Antonij amicis, sed amicioribus libertati, contra Antonium cõstituit exercitum. illius opibus Sylla regnauit. huius præsidio Antonij dominatus oppressus est. demus igitur imperium Cæsari: sine quo res militaris administrari, tueri exercitus, bellum geri non potest: & vt sit Proprætor eo iure, quo qui optimo. qui honos, quanquam est maximus, illi ætati: tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet. itaq; illa quæramus, quæ vix hodierno die consequemur. Sed spero hunc, huius adolescentis ornandi, honorandi, & nobis & populo Romano potestatem. Hoc autem tempore in eum conferendo decernendum. Quod C. Cæsar, C. F. Pontifex, Proprætor, summo Reip. tempore milites & veteranos ad libertatem populi Ro. cohortatus sit, eosq; conscripserit: quodq; legio Martia, Quartaq; summo studio, optimoq; in Rempub. consensu, C. Cæsare duce & authore Rempublicam, libertatem populi Ro.

defendant, defenderit: & quod C. Cæsar Prætor, Galliæ prouinciæ cum exercitu subsidio profectus sit: equites, sagittarios, elephantos in suã populiq; Ro. potestatem redegerit: difficillimoq; Reip. tempore saluti, dignitatiq; populi Ro. subuenerit: ob eas causas Senatui placere C. Cæsarem C.F. Pontificem, Prætorem, Senatorem esse: sententiamq; loco Prætorio dicere. eiusq; rationem quæcunq; appetet, ita haberi: prout haberi lege liceret: si anno superiore Quæstor fuisset, quid est enim P. C. cur eum non quamprimum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim annalibus cũ grandem ætatẽ ad consulatum constituebant: adolescentiæ meritatem verebantur. C. Cæsar ineunte ætate docuit ab excellenti eximiaq; virtute progressum ætatis expectari non oportere. itaq; maiores nostri veteres illi admodum antiqui leges annales non habebant: quas multis post annis attulit ambitio: vt gradus essent petitionis inter æquales. Ita sæpe magna indoles virtutis prius quàm Reip. prodesse potuisset, extincta fuit. At vero apud antiquos Rulli, Decij, Coruini, multiq; alij, recentiore autẽ memoria superior Africanus, T. Flaminius, admodũ adolescentes Consules facti tantas res gesserunt: vt populi Ro. imperiũ auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cũ ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset: nonné tertio & trigesimo anno mortem obyit? quæ est ætas nostris legibus decẽ annis minor: quàm Consularis. ex quo iudicari potest: virtutis esse quàm ætatis cursum celeriorem. nam quod iy, qui Cæsari inuident, simulant se timere. ne verendum quidẽ est: vt tenere se possit: vt moderari: ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opibus vtatur. Eana-

rum rerum est P. C. vt qui sensum veræ gloriæ cœperit: quiq; se ab Senatu, ab Equitibus Romanis, populoq; Ro. vniuerso senserit ciuẽ charum haberi, salutaremq; Reipub. nihil cum hac gloria comparandũ putet. Vtinã C. Cæsari, patri dico, contigisset adolescenti: vt esset Senatui, atq; optimo cuiq; charissimus. quod cũ consequi nequiisset: omnem vim ingenij, quæ summa fuit in illum populari leuitate consumpsit. Itaq; cum respectum ad Senatum, & ad bonos non haberet: eam sibi viam patefecit ad opes suas amplificandas: quam virtus boni populi ferre non posset. Eius autem fily longissimus diuersa ratio: qui cum omnibus est, tum optimo cuique charissimus: in hoc spes libertatis posita est: ab hoc ac capta iam salus: huic summi honores & exquiruntur, & parti sunt. cuius igitur singularem prudentiam admiramur: eius stultitiam timemus? quid enim stultius? quàm inutilẽ potentiam, inuidiosas opes, cupiditatem dominandi præcipitẽ, & lubricam anteferre veræ, tutæ, solidæq; gloriæ? an hoc vidit puer? si ætate processerit, non videbat? At est quibusdam inimicus clarissimis atq; optimis ciuibus. nullus iste timor esse debet. omnis Cæsar inimicitias Reip. condonauit. hanc sibi iudicem constituit: hanc moderatricem omnium factorum. ista enim ad Remp. accessit: vt eã confirmaret, non vt euerteret. omnes habeo cognitos sensus adolescentis: nihil est illi Reip. charius: nihil vestra authoritate grauius, nihil bonorum virorum iudicio optatius: nihil vera gloria dulcius. Quamobrem ab eo non modo nihil timere, sed maiora & meliora expectare debetis: neq; in eo, qui ad D. Brutum obsidione liberandum profectus sit: timere ne memoria maneat domestici doloris:

quæ plus apud eum possit, quàm salus ciuitatis. Audebo etiam obligare fidem meam P. C. vobis, populoq; Romano: quod profecto, cum me nulla vis cogeret, facere non auderẽ: pertimesceremq; in re maxima periculosam opinionem temeritatis. promitto, recipio, spondeo Patres Conscripti C. Cæsarem talem semper fore ciuem: qualis hodie sit: qualemq; eũ maxime velle & optare debemus. Quæ cum ita sint: de Cæsare satis hoc tempore dictum habeo. Nec vero de L. Egnatuleio fortissimo, et constantissimo ciue, amicissimo Reip. silendum arbitror: sed tribuendũ testimonium virtutis egregiæ: quod is legionẽ Quartam ad Cæsarem adduxerit: quæ præsidio Consulibus Senatui populoq; Ro. Reiq; pub. esset. ob eam causam placere, vti L. Egnatuleio triennium ante legitimum tempus magistratus petere, capere, gerere liceat. In quo P. C. non tantum commodum tribuitur L. Egnatuleio: quantũ honos. in tali enim re satis est nominari. De exercitu autem C. Cæsaris ita censeo decernendũ. Senatui placere, militibus veteranis, qui Cæsaris Pontificis, authoritatemq; huius ordinis defenderint, atq; defendant: his liberisq; eorum militiæ vacationem esse: vtiq; C. Pansa, A. Hirciùs, Consules, alter, amboue cognoscerent: qui ager colonis esset, quo milites veterani deducti essent: qui contra legẽ Iuliam possideretur: vt is militibus veteranis diuideretur. de agro Campano separatim cognoscerent: inirentque rationem de commodis militũ veteranorum augendis, legioniq; Martiæ, & legioni Quartæ, & ys militibus qui de legione Secunda, trigesima quinta, ad C. Pansam, A. Hirciũ consules venissent: suaq; nomina dedissent: quod his Senatus, populiq; Ro. libertas charissima sit: & fuerit: vacationẽ militiæ ipsis, liberisq; eorum, esse placere, extra tumultum Gallicum, Italicumq;, easq; legiones bello confecto missas fieri placere; quantamq; pecuniam militibus earum legionum in singulos C. Cæsar Pontifex Proprætor pollicitus sit, tantam dari placere: vtiq; C. Pansa, A. Hircius Consules, alter, ambo'ue rationem habeant: qui sine iniuria priuatorum diuidi possit: hisq; militibus legionis Martiæ, & legionis quartæ itadarent, assignarent: vt quibus militibus amplissime dati, assignati essent. Dixi ad ea omnia Consules: de quibus retulistis: quæ si sine mora, maturèq; decreta, facilius apparabitis ea, quæ tempus et necessitas flagitat. celeritate autem opus est: quæ si essemus vsi: bellum, vt sæpe dixi, nullum haberemus.

# IN M. ANTONIVM AD QVIRITES PHILIPPICA SEXTA. ORATIO XLIX.

Vdita vobis esse arbitror Quir. quæ sint acta in Senatu: quæ fuerit cuiusq; sententia. res enim ex Cal. Ian. agitata, paulo ante confecta est, minus quidem illa seuere quàm decuit: non tamen omnino dissolute. mora est allata bello: non causa sublata. Quam obrem quod quæsiuit à me P. Apuleius homo & multis officijs mihi, & summa familiaritate coniunctus, & vobis amicissimus: ita respondebo, vt ea, quibus non interfuistis, nosse possitis. Causa fortissimis optimisq; Consulibus Calendis Ian. de Rep. primum referendi fuit, ex eo, quod XIII. Cal. Ian. Senatus me authore decreuit. Eo die primũ, Quirites, fundamenta iacta sunt Reipublicæ. fuit enim longo interuallo ita liber Senatus: vt vos aliquando liberi essetis. quo quidem tempore, etiam si ille dies vitæ finem mihi allaturus esset: satis magnum cœperam fructum: cum vos vniuersi vna mente atq; voce iterũ à me conseruatam esse Rempub. cõclamastis. Hoc vestro iudicio tanto, tamq; præclaro excitatus, ita Calendis Ian. veni in Senatũ: vt meminissem quam personam impositam à vobis sustinerẽ. Itaque bellum nefarium illatum Reipub. cum viderem: nullã moram interponendam iusequendi M. Antonium putaui: hominem q; audacissimũ, qui multis nefarijs rebus ante commissis, hoc tempore Imperatorem populi Ro. oppugnaret: coloniam vestrã fidissimam, fortissimamq; obsideret: bello censui persequendum, tumultum esse de

cerni,



rni, iusticiũ edici, saga sumi, dixi placere: quo omnes ocius, grauiusq; incumberent ad vlciscendas Reipub. iniurias: si omnia grauissimi belli insignia suscepta à Senatu viderent. Itaq; hæc sententia sic per triduum valuit: vt, quanquã discessio facta non esset: tamen præter paucos, omnes mihi assensuri viderentur. hodierno autem die nescio qua obiecta re remissior Senatus fuit. nam plures eam sententiam secuti sunt: vt quantum Senatus authoritas, vesterq; consensus apud Antonium valitura esset, per Legatos experiremur. Intelligo Quir. à vobis hanc sententiã repudiari, neq; iniuria. ad quẽ enim legatos? ad eum ne? qui pecunia publica dissipata atq; effusa, per vim, & contra auspicia impositis populo Ro. legibus fugata concione, obsesso Senatu, ad opprimendã Remp. Brundusio legiones accersierit: ab his relictus, cum latronum manu in Galliam irruperit: Brutum oppugnet: Mutinã circunsedeat? quæ vobis potest cũ hoc gladiatore conditionis, æquitatis, legationis esse communitas? quanquam Quir. non est illa legatio: sed denunciatio belli, nisi paruerit. Ita enim est decretum: vt si legati ad Annibalem mitterentur. mittuntur enim qui nuncient ne oppugnet Consulem designatum: ne Mutinam obsideat: ne prouinciã depopuletur: ne delectus habeat: sit in Senatus populiq; Ro. potestate. facile vero hunc denunciationi parebit? vt in Patrum Conscriptorum, atq; in vestra potestate sit: qui in sua nunquam fuerit? quid enim ille vnquam arbitrio suo fecit? semper eo ductus: quo libido rapuit, quo lenitas, quo furor, quo violentia semper cum duo dissimillima genera lenonũ, & latronum ita domesticis stupris, forensibus parricidijs delectarunt: vt mulieri citius auarissimæ paruerit:

rit: quàm Senatui populoq; Romano. itaq; quod paulo ante feci in Senatu: facià apud vos testificor: denuncio: ante prædico: nihil M. Antonium eorum, quæ sunt legatis mandata, facturum: vastaturum agros: Mutinam obsessurum: delectus, qua possit, habiturum. is est enim ille: qui semper Senatus iudicium, & authoritatem semper voluntatem vestram, potestatemq; contempserit. an ille id faciat, quod paulo ante decretum est? vt exercitū citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ, educeret? dum ne propius vrbem Romam CC. mil. admoueret? huic denunciationi ille pareat? ille fluuio Rubicone CC mil circunscriptum esse patiatur? non is est Antonius. nam si esset, non commisisset, vt ei Senatus tanquā Annibali initio belli Punici denunciaret, ne oppugnaret Saguntū. Quod vero ita auocatur à Mutina: vt ab vrbe tanquam pestifera flamma arceatur: quam habet ignominiam? quod iudicium Senatus? quid? quod à Senatu dantur mandata legatis? vt D. Brutum, militesq; eius adeant: hisq; demonstrent sua in Remp. merita, beneficiaq; eorum grata esse Senatui populoq; Romano: hisq; eam rem magnæ laudi, magnoq; honori fore? passurum ne censetis Antonium introire Mutinam legatos? exire inde tuto? nunquam patietur, mihi credite. noui violentiam: noui impudentiam: noui audaciam. Nec vero de illo sicut de homine aliquo debemus, sed vt de importunissima belua cogitare. Quæ cum ita sint: non omnino dissolutum est: quod decreuit Senatus. habet atrocitatis aliquid legatio. vtinam nihil haberet more. nam cum plerisq; in rebus gerendis tarditas, & procrastinatio odiosa est: tum hoc bellū indiget celeritatis, succurrendū est D. Bruto: omnes undiq; copiæ colligendæ:

de: horam exhibere nullam in tali ciue liberando sine scelere non possumus. an ille non potuit, si Antonium consulem, si Galliam Antonij prouinciam iudicasset: legiones Antonio et prouinciam tradere? domum redire? triumphare? primus in hoc ordine esse: quoad magistratum iniret? quid negocij fuit? sed cum se Brutum esse meminisset, vestræq; libertati natum: quid egit aliud? nisi vt pene corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc vtrum legatos? an legiones ire oportebat? Sed præterita omittamus. properent, quod video esse facturos. vos saga parate. est enim ita decretum: vt, si ille authoritati senatus non paruisset: ad saga iretur. ibitur: non parebit. nos amissos tot dies rei gerendæ queremur. Non metuo Quir. ne cum audierit Antonius, me hoc in senatu, & in concione confirmasse, nunquam illum futurum in senatus potestate: refellendi mei causa, vt ego nihil vidisse videar: vertat se: senatui pareat. nunquam faciet: non inuidebit huic meæ gloriæ: mâlet me sapientem a vobis, quàm se modestum existimari. quid? ipse fratrem passurum arbitramur? nuper quidem dicitur ad Tybur, vt opinor, cum ei labare M. Antonius videretur: mortem fratri esse minitatus. Etiāne ab hoc Myrmillone Asiatico senatus mandata, legatorum verba audientur? nec enim secerni à fratre poterit, tanta præsertim authoritate. nam hic inter illos Africanus est: pluris habetur quàm L. Trebellius: pluris quàm T. Plancius adolescens nobilis: qui omnibus sententijs maximo vestro plausu condemnatus, nescio quomodo se coniecit in vrbem: atq; ita mœstus redijt: vt retractus, nō reuersus videretur, sic contemnit: nunquā si illi aqua et igni interdictū sit. aliquando negat ei locum

ei locum esse oportere in curia: qui incenderit curiam. Nam Trebellium valde iam diligit: oderat tum, cũ ille tabulis nouis aduersabatur. iam fert in oculis: postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis nouis saluum esse non posse. audisse enim vos arbitror Quirites quod etiã videre potuistis, quotidie sponsores, & creditores L. Trebellij conuenire O' fides (hinc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen) quæ potest esse maior fides? quàm fraudare creditores? domo profugere? propter as alienũ venire ad arma? vbi plausus ille in triumpho est spe ludi? vbi ædilitas delata summo studio bonorum? quis est? qui hunc nõ casu existimet recte fecisse? nequitia est: scelus est. Sed redeo ad amores, deliciasq; nostras L. Antonium: qui vos omnes in fidem suam recepit. negatis? nũ quisquam est vestrum: qui tribum non habeat? certe nemo. atqui illum quinq; & triginta tribus patronum adoptarunt. rursus reclamatis. aspicite à sinistra illam equestrẽ statuam inauratam, in qua quid scriptũ est? quinq; et triginta tribus patrono populi Romani. igitur est patronus L. Antonius. malam quidem illi pestem. clamori enim vestro assentior. non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit: sed quis vnquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit? qui se populi Rom. victoris, dominiq; omnium gentium tutorem dicere auderet? In foro L. Antony statuam videmus: sicut illam Q. Trebellij qui Hernicos deuicit, ante Castoris. O' impudentiam incredibilem. tantum ne sibi sumpsit? quia Trallibus Myrmillonem Thracem iugulauit familiarem suum? quonã modo istum ferre possemus? si in hoc ipso spectantibus vobis depugnasset? Sed hæc vna statua. at altera ab equitibus R. equo publico: qui item ascribunt,



bunt, patrono. quem vnquam iste ordo patronum adoptauit? si quenquam: debuit me. sed me omitto: quẽ censorem? quem imperatorem? agrum his diuisit. O' sordidos, qui acceperunt: improbum, qui dederit. statuerunt etiã Tribuni militares, qui in exercitu Cæsaris duobus fuerunt? Quis est iste ordo? multi fuerunt multis in legionibus per tot annos: his quoq; diuisit Semuriũ. campus Martius restabat: nisi prius cum fratre fugisset. Sed hæc agrorum assignatio paulo ante Quirites L. Cæsar clarissimi viri & præstantissimi Senatoris sententia dissoluta est. huic enim assensi, septemuirũm acta sustulimus. Iacent beneficia Nuculæ: friget patronus Antonius. nam possessores animo æquiore discedent: nullam enim expensam fecerant: nondum instruxerant: partim quia non considebant: partim quia non habebant. Sed illa statua palmaris: de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere: L. Antonio, Iani medy patrono sta ne? Ianus medius in L. Antonij clientely sit? quis vnquam in illo Iano inuentus est? qui L. Antonio mille nummũm ferret expensum? sed nimis multa de nugis. ad causam bellum; quod redeamus. quanquam non alienum fuit personas quasdam à vobis recognosci: vt quibus cum bellum gereretur possitis taciti cogitare. Ego autem vos hortor Quir. vt, etiam si melius aliud fuit: tamen legatorum reditum expectetis animo æquo. celeritas detracta de causa est: boni tamen aliquid accessit ad causam. cum enim legati renunciarint, quod certe renunciabunt: non in vestra potestate, non in Senatus est Antonium: quis erit tam improbus ciuis? qui illum quem habendum putet? nunc enim sunt pauci illi quidem: sed tamen plures quàm Rep. dignum est: qui ita loquantur:

loquantur: ne legatos quidem expectabimus? istam certe vocẽ, simulationem q̃, clementiæ, extorquebit his res ipsa publica. quo etiam, vt confitear vobis Quir. minus hodierno die cõtendi, minus laboraui: vt mihi Senatus assentiens tumultum decerneret: saga sumi iuberet. malui viginti diebus post, sententiam meam laudari abomnibus: quàm à paucis hodie vituperari. Quapropter Quir. expectate legatorum reditum: & paucorum dierum molestiam deuorate. qui cum redierint, si pacem afferent, cupidum me: si bellum, prouidum iudicatote. An ego non prouideam meis ciuibus? non dies noctesq̃, de vestra libertate, de Reip. salute cogitem? quid enim non debeo vobis Quirites? quem vos hominem à se ortũ, honorib⁹ nobilissimis omnibus honoribus præstulistis? an ingratus sum? quis minus? qui partis honoribus, eosdem gessi in foro labores, quos in petendis rudis in Republica? quis exercitatior? qui viginti iam annos bellum geram cum improbis ciuibus? quamobrem Quirites consilio quantum potero, laboreplus penè, quàm potero excubabo, vigilaboq̃, pro vobis. etenim quis est ciuis, præsertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis: tam oblitus beneficij vestri? tam immemor patriæ? tam inimicus dignitati suæ? quem non excitet, non inflammet tantus vester iste consensus? multas, magnasq̃, habui Consul conciones: multis interfui: nullam vnquam vidi tantã: quanta nunc vestra est. vnum sentitis omnes: vnum studetis: M. Antonij conatus auertere à Republica: furorẽ extinguere: opprimere audaciã. idem volunt omnes ordines. eodem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. Itaq; Senatum sua sponte bene firmum, firmiorẽ vestra authoritate feciſtis. venit tempus Quirites serui omnino, quàm dignum populo Romano fuit: sed tamen ita maturum: vt differri iam hora non possit. fuit aliquis fatalis casus, vt ita dicam, quem tulimus. quoquo modo frendus fuit. nunc si quis erit: erit voluntarius: populi Rom. seruire fas non est: quem dij immortales omnibus gentibus imperare voluerunt. res in extremum est adducta discrimen: de libertate decernitur: aut vincatis oportet Quirites: quod profecto & pietate vestra, & tanta concordia consequemini: aut quiduis potius, quàm seruiatis. aliæ nationes seruitutem pati possunt: populi Romani est propria libertas.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA SEPTIMA.

## ORATIO L.

Aruis de rebus, sed fortasse necessarijs, consulimur. Patres Cõscripti: de Appia & de moneta, Consul: de Lupercis Tribuni pl. referunt. quarum rerum & si facilis explicatio videtur: tamen animus aberrat à sententia, suspensus curis maioribus. adducta est enim P. C. res in maximũ periculũ, & extremum penè discrimen. non sine causa legatorum istam missionem semper timui: nunquã probaui: quorũ reditus quid sit allaturus, ignoro. expectatio quidem quantũ afferat languoris animis, quis non videt? non enim se tenent y, qui Senatum dolent ad authoritatis pristinæ spem reuiuiscere: coniunctũ huic ordini populum Romanum: conspirantem Italiam: paratos exercitus: expeditos duces. iam nunc fingunt Antonij responsa: eademq; defendunt. alij postulare illum: vt omnes exercitus dimittantur. scilicet Legatos ad eum misimus? non vt pareret, & dicto audiens esset huic ordini: sed vt conditiones ferret, leges imponeret: referare nos exteris gentibus Italiam iuberet: se præsertim incolumi: à quo maius periculum, quàm ab vllis nationibus extimescendũ est. alij remittere eum nobis Galliam citeriorem: illã vltimam postulare. præclare, ex qua non legiones solum, sed etiam nationes ad vrbem conetur adducere. alij nihil eum iam nisi modesti postulare. Macedoniam suam vocat omnino: quoniam C. frater est



ter est inde reuocatus. Sed quæ prouincia est? ex qua illa fax excitare non posset incendium? Itaq; ij dem quasi prouidi cines, & Senatores diligentes, bellicum me ciere dicunt. suscipiunt partis patrocinium, qui sic dissentant. irritari Antonium non oportuit. nequã est homo ille, atq; cõsidens. multi præterea improbi. quos quidem à se primũ numerare possunt, qui hæc loquuntur. eos esse cauendos denunciant. vtrum igitur in nefarijs ciuibus vlciscendis, cum possis, an pertimescendis diligentior causa est? atq; hæc illi loquuntur: qui quondam propter leuitatem populares habebantur. Ex quo intelligi potest: animo illos abhorruisse semper ab optimo ciuitatis statu: non voluntate fuisse populares. qui enim cõuenit? vt qui in rebus improbis populares fuerint: ij dem in re vna maxime populari, quod eadem salutaris populo Rom. sit improbos se, quàm populares esse malint? me quidem semper, vt scitis, aduersatum multitudinis temeritati, hæc fecit præclarissima causa popularem. & quidem dicuntur, vel potius ij dem ipsi se dicunt Consulares. quo nomine dignus est nemo: nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere. faueas tu hosti? literas tibi ille mittat de sua spe rerum secundarum suarũ? eas tu leuas profras? recites? describendas etiam des improbis ciuibus? eorum augeas animos? bonorum spem, virtutemq; debilites? & te Consularem, aut Senatorem, aut denique ciuem? accipiet in optimam partem C. Pansa fortissimus Consul, atque optimus: etenim dicam amicissimo: hunc ipsum mihi hominem familiarissimum, nisi talis Consul esset: vt omnes vigilias, curas cogitationes in Reipub. salute configeret: Consulem non putarem. quanquam nos abeuunte etiam il-

lius vsus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorũ societas, similitudoq́; coniunxerit: eius deniq; curam incredibilẽ in asperrimis belli ciuilis periculis perspexi nõ modo salutis, sed etiam dignitatis meæ: tamen eundem, vt dixi: nisi talis Consul esset, negare esse Consulem auderem. idẽ non modo Consulem esse dico: sed etiã memoria mea prestantissimum, atq; optimũ Consulem. non quia nõ pari virtute, & voluntate alij fuerint: sed tantã causam non habuerunt: in qua & virtutẽ, & voluntatem suam declararent. Huius magnitudini animi, grauitati, sapientiæ tempestas est oblata formidolosissimi tẽporis. tum autem illustratur Consulatus: cum gubernat Rempub. si non optabili, at necessario tempore. magis autem necessarium P. C. nullum tempus vnquam fuit. Itaq; ego ille, qui semper author pacis fui: cuique pax, præsertim ciuilis, quanquam omnibus bonis, mihi tamen in primis fuit optabilis. omne enim curriculũ industriæ nostræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est: hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus: ego itaq; pacis, vt ita dicam, alumnus, qui quantuscunq; sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace ciuili certe non fuissem: periculose dico: quemadmodũ accepturi P. C. sitis horreo: sed pro mea perpetua cupiditate vestræ dignitatis retinendæ, & augendæ, quæso oro q́ vos. P. C. vt primo si erit vel acerbũ audituvel incredibile à M. Cicerone esse dictum: accipiatis sine offensione, quod dixero: meneed prius, quàm quale sit explicauero, repudietis ego ille (dicam sapius) pacis semper laudator, semper author, pacẽ cum M. Antonio esse nolo. magna spe ingredior in reliquam



orationem P. C. quoniam periculosissimum locum sententia sum preteruectus: cur igitur pacẽ nolo? quia turpis est: quia periculosa: quia esse non potest. quæ tria dum explico: peto à vobis P. C. vt eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis. Quid est inconstantia, mobilitate, lenitate, cum singulis hominibus, tum vero vniuerso Senatui, turpius? quid porrò inconstantius? quam quẽ modo hostem non verbo, sed re multis decreuistis: cum hoc pace velle subito coniungi? qua vero, cum C. Cæsari, meritos quidem illi honores, & debitos, sed tamen immortales, & singulares decreuistis, quam ob causam, quod contra M. Antonium exercitum comparauisset: non hostem Antonium iudicauerit is? nec tũ hostis est à vobis iudicatus Antonius: cum laudati sunt authoritate vestra veterani milites: qui Cæsarem secuti essent? nec tum hostẽ Antonium iudicauistis: cum fortissimis legionibus, quod illũ, qui Consul appellatur, cum esset hostis: reliquissent: vacationes, pecunias, agros spopondistis? quid? cum Brutũ hominẽ quonãillius generis, & nominis, natum ad Rempub. liberandã, exercitumq́; eius pro libertate populi Ro. bellũ gerentem cum Antonio, prouinciamq́; fidelissimam, atq; optimam Galliam laudibus amplissimis affecistis: tũ non hostem iudicastis Antonium? quid? cum decreuistis vt Consul alter, amboue ad bellum proficiscerentur, quod erat bellum? si hostis Antonius non erat? quo igitur profectus est vir fortissimus meus Collega, & familiaris A. Hircius? at quam imbecillitate? quam amat? sed animi vires, corporis infirmitas non retardauit. equum credo putauit, vitam, quam populi Rom. tutã retinuisset: pro libertate populi Romani in discri-

men adducere. quid? cum delectus haberi tota Italia
iussistis: cũ vacationes omnes sustuliſtis, tum ille hostis
non est iudicatus? armorũ officinas in vrbe videtis: mi-
lites cum gladijs sequuntur: Consuli præsidio sunt: spe-
cie Consuli, re & veritate nobis: omnes sine vlla recusa-
tione, summo etiam cũ studio nomina dant: parent au-
thoritati vestræ: non est iudicatus Antonius hostis? At
Legatos misimus. heu me miserũ. cur Senatum cogor,
quẽ laudaui semper, reprehendere. quid? vos censetis
P. C. Legatorum missionem populum Rom. probauis-
se? non intelligitis, non auditis, meã sententiam flagita-
ri? cui cum pridie frequentes essetis assensi: postridie ad
spem estis inanem pacis deuoluti. quam turpe porrò est
legiones ad Senatum Legatos mittere. Senatum ad
Antonium? quanquam illa Legatio non est: denun-
ciatio est, paratum illi exitium, misi paruerit huic ordi-
ni. quid refert? tamen opinio est grauior. missos enim Le
gatos omnes vident: decreti vestri non omnes verba no-
uerunt. retinenda est igitur vobis constantia, grauitas,
perseuerantia: repetenda est vetus illa seueritas: siqui-
dem authoritas Senatus, decus, honestatem, laudẽ, di-
gnitatem desiderat: quibus hic ordo nimiũ caruit diu.
sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem,
sed tamen iusta. nunc nulla est. liberati tum regio do-
minatu videbamur. armis domesticis ea ipsa depuli-
mus. nunc quidẽ vi extorquenda sunt. quod si non pos-
sumus facere (dicã quod dignum est senatore & Roma-
no homine) moriamur. quanta illa erit Reip. turpitudo,
quantum dedecus, quanta labes? dicere in hoc ordine
sententiam M. Antonium Consulari loco? cuius vt o-
mittã innumerabilia scelera vrbani Consulatus? in

quo



quo pecuniam publicam maximã dissipauit: exules si-
ne lege restituit: vectigalia vendidit: prouincias de popu
lo Romani imperio sustulit: regna addixit pecunia: le-
ges ciuitati per vim imposuit: armis obsedit, aut exclu-
sit Senatũ: vt hæc inquam omittam: ne hoc quidẽ cogi-
tauit: eum, qui Mutinam Coloniam populi Ro. & Con
sulem designatum obsederit, de populatus agros sit: hunc
autem ordinem recipi: à quo totiens ob has ipsas causas
hostis iudicatus sit. quàm fœdum, flagitiosumq; sit, vi-
detis. Satis multa de turpitudine. Dicam deinceps,
quod proposui, de periculo: quod si minus est fugiendum,
quam turpitudo: tamen offendit animos maioris par-
tis hominum magis. Poteritis igitur exploratam habe
re pacem: cum in ciuitate Antonium videatis? vel po-
tius Antonios? nisi forte contemnitis Lucium. ego ne Ca
sium quidẽ, sed vt video dominabitur Lucius. est enim
patronus XXXV tribuum: quarum sua lege, qua
cum C. Cæsare magistratum sortitus est, suffragium su-
stulit. patronus Centuriarũ equitum: quas idẽ sine suf-
fragio esse voluit. patronus fori: in quo ei tribuni milita
res statuam statuerunt. patronus Iani medy. O dij quis
huius potentiam poterit sustinere? præsertim cum eos-
dem in agros etiã deduxerit? quis vnquam omnes tri-
bus? quis equites Romanos? quis Tribunos militares?
Gracchorũ potentiã maiorẽ fuisse arbitramini? quàm
huius gladiatoris futura sit? quem gladiatorem nõ ita
appellaui: vt interdũ etiã M. Antonius gladiator ap-
pellari solet: sed vt appellant ij, qui planè & latine lo-
quuntur. Myrmillo in Asia depugnauit: cũ ornasset
Thoracidicis comitem & familiarem suum: illum mise-
rum fugientem iugulauit. luculenta tamen ipse plagã

accepit vt declarat cicatrix. qui familiarẽ iugularat: quid hic occasione data faciet inimico? & qui illud animi causa fecerit: hunc prædæ causa quid facturũ putatis? non rursus improbos decuriabit? nõ sollicitabit rursus agrarios? non quæret expulsos? M. vero Antonius non is erit? ad quẽ omni motu concursus fiat ciuiũ perditorũ? vt nemo sit alius, nisi ij, qui vnà sunt: & ij, qui hic ei nunc aperte fauent: parũne erunt multi? præsertim cum bonorũ præsidia cesserint: illi parati sint ad nutum futuri. ego vero metuo, si hoc tempore consilio lapsi erimus: ne illi breui tempore nimis multi nobis esse videantur. Nec ego pacem nolo: sed pacis nomine bellum inuolutum reformido. quare si pace frui volumus: bellum gerendũ est. si bellum omittemus: pace nunquam fruemur. est autem nostri consily Patres Conscripti in posterum quàm longissime prouidere. iccirco in hac custodia tanquam in specula collocati sumus: vt vacuum metu populum Romanum nostra vigilia & prouidentia redderemus. turpe est summo consilio orbis terræ, præsertim in re tam perspicua, consilium intelligendi defuisse. Eos Consules habemus: eam populi Romani alacritatem: eum consensum Italiæ: eos duces: eos exercitus: vt nullam calamitatem Respublica accipere possit, sine culpa Senatus. Equidem non decero: monebo: prædicabo: denunciabo: & testabor semper deos, homines q3, quid sentiã: nec solum fidem meã, quod fortasse videtur satis esse: sed in principe ciue non satis est: curam, consilium, vigilantiam q3 præstabo. Dixi de periculo. docebo ne coagmentari quidẽ posse pacem. de tribus enim quæ proposui, hoc extremum est. Quæ potest esse pax M. Antonio primum cũ Senatu? quo ore ille vos potuit? quibus illum vicissim vos oculis intueri? qui vestrũ illum? quem ille vestrum non oderit? age, vos ille solum, & vos illum. quid ij, qui Mutinam circumsedent? quæ in Gallia delecti habent? qui in nostras fortunas imminent? amici nobis vnquam erunt? aut nos illis? an equites Ro. amplectetur? occulta enim fuit eorum voluntas, iudicium q3 de M. Antonio? qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterunt: qui vos ad libertatem recuperandam incitauerunt: arma, saga, bellum flagitarunt: me vnà cum populo Ro. in concionem vocauerunt. hi Antonium diligent? cum his pacem seruabit Antonius? Nam quid ego de vniuerso populo Ro. dicam? qui pleno aere fertoforo, bis me vna mente atq3 voce in concionem vocauit, declarauitq3 maximam libertatis recuperandæ cupiditatem. Itaque quod erat optabile antea, vt populum Ro. comitem haberemus: nunc habemus ducem. quæ est igitur spes, qui Mutinã circumsedent imperatorem populi Ro. exercitumq3 oppugnantes, pacem cum populo Ro. habere posse? An cum Municipys pax erit? quorũ tanta studia cognoscuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecunijs pollicendis: vt in singulis oppidis curiam populi Ro. non desideretis. Laudandi sunt ex huius ordinis sententia Firmani: qui principes pecuniæ pollicendæ fuerunt, refundendum honorifice est Marrucinis: qui ignominia notandos censuerunt eos: qui militiam subterfugissent. hæc iam tota Italia fiunt. magna pax Antonio cum eisdẽ? his cum illo? quæ potest maior esse discordia? in discordia autem pax ciuilis esse vllo pacto potest? vt omittam multitudinem: L. Nasidio equiti Ro. homini in primis ornato, atq3 honesto, ciuiq3 semper egregio, cu-

ius ego excubias, et custodias mei capitis cognoui in consulatu meo: qui vicinos suos non cohortatus est solum, ut milites fierent: sed etiam facultatibus suis sublcuauit: huic inquam tali viro, quem nos Senatus consulto collaudarimus: poterit ne esse pacatus Antonius? quid Cæsari? qui illum vrbe, quid D. Bruto? qui Gallia prohibuit? Iam vero ipse se placabit, & leniet prouincia Galliæ: à qua exclusus & repudiatus est? omnia videbitis P.C. nisi prospicitis, plena odiorum: plena discordiarum: ex quibus oriuntur bella ciuilia. nolite igitur velle, quod fieri non potest: & cauete per deos immortales P.C. ne spe præsentis pacis, perpetuam pacem amittatis. Quorsum hæc omnis spectat oratio? quid enim Legati egerint nondum scimus. at vero erecti, excitati, parati, armati animis iam esse debemus: ne blanda, aut supplici oratione, aut equitatis simulatione fallamur. omnia fecerit oportet, quæ interdicta, & denunciata sunt prius, quàm aliquid postulet: Brutum exercitumq; eius oppugnare, vrbes & agros prouinciæ Galliæ populari destiterit. ad Brutum adeundi Legatis potestatem fecerit: exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit: nec propius vrbem millia passuũ ducenta admouerit: fuerit in Senatus populiq; Ro. potestate. hæc si fecerit: erit integra potestas nobis deliberandi. si Senatui non paruerit: non illi Senatus, sed ille populo Ro. bellum indixerit. Sed vos moneo P. C. libertas agitur populi Ro. quæ est commendata vobis: vita & fortuna optimi cuiusq; quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate iampridem intendit Antonius: authoritas vestra, quam nullam habebitis: nisi nunc retinueritis. tetram & pestiferam beluam, ne inclusam, & constrictam dimittatis

cauete. teipsum moneo Pansa (quanquam non ego consilio, quo vales plurimum: tamen & summi gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus admoneri solent) hunc tuum tantum apparatum, tamq; præclarum, ne ad nihilum recidere patiare. tempus habes tale, quale nemo habuit vnquam: hac grauitate Senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore populi Ro. potes in perpetuum metu & periculo Remp. liberare.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA OCTAVA.

## ORATIO LI.

Confusus hesterno die est acta res C. Pansa: quàm postulabat iustitutum Consulatus tui. parum mihi visus es eos, quibus cedere non soles, sustinere. nam cum Senatus ea virtus fuisset, quæ solet: & cum re viderent omnes esse bellum: quidam q3 id verbum remouendum arbitrarentur: tua voluntas in discessione fuit ad lenitatem propensior. victa igitur est propter asperitatem, te authore, nostra sententia vicit L. Cæsaris amplissimi viri: qui verbi atrocitate dempta, oratione fuit, quam sententia lenior. quanquam is quidem, antequam sententiam diceret: propinquitatem excusauit. idem fecerat me Consule in sororis viro: quod hoc tempore in sororis filio: vt & luctu sororis moueretur: & saluti Reip. prouideret. Atq3 ipse tamen Cæsar præceptum vobis quodammodo P.C. ne sibi assentiremini: cum ita dixit: aliam sententiam se dicturum fuisse: eam q3 se, ac Rep. dignam: nisi propinquitate impediretur. Ergo ille auunculus. num etiã vos auunculi? qui illi assensi estis? At in quo fuit controuersia? belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant: tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborũ, potest enim esse bellum sine tumultu. tumultus esse sine bello nõ potest. quid est enim tumultus? nisi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? vnde etiam nomen ductum est tumultus. Itaq3 maiores nostri, tumultum Italicum,



cum, quod erat domesticus: tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultum nominabant. grauius autem esse tumultum, quàm bellũ, hinc intelligi licet: quod bello Gallico vacationes vacant tumultu nõ valent. ita fit, quemadmodum dixi: vt tumultum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse non possit. etenim cum inter bellum et pacem medium nihil sit: necesse est tumultum si belli non sit, pacis esse. quo quid absurdius dici aut existimari potest? Sed nimis multa de verbo. rẽ potius videamus Patres Conscripti: quam quidẽ intelligo verbo fieri interdum deteriorem. Verè nolumus hoc bellũ videri. quã igitur municipijs, quã coloniis ad excludendum Antonium authoritatem damus? quã vt milites fiant sine vi? sine tumultu? studio sine voluntate? quam, vt pecunias in Remp. polliceantur? Etenim belli nomen tollitur: municipiorum studia tolluntur: consensus populi Romani, qui iam descendit in forum, si nos languescimus, debilitetur necesse est. Sed quid plura? dum D. Brutus oppugnatur: non est bellũ? Mutina obsidetur: ne hoc quidem bellũ est? Gallia vastatur: quæ potest pax esse certior? illud vero quis potest bellũ non esse dicere? quo fortissimum virum cum exercitum misimus: qui cum esset infirmus ex graui diuturnoq3 morbo: nullam putauit sibi excusationem esse oportere: cum ad Reip. præsidium vocaretur. C. quidem Cæsar non expectauit nostra decreta: præsertim cum esset adhuc ætatis: bellum contra Antonium sua sponte suscepit. decernendi enim tempus nondum nouerat: belli autẽ gerendi tempus si prætermisisset: videbat Rempublicam nihil decerni posse. Ergo illi nunc, & eorum exercitus in pace versantur: non est hostis is, cuius præsidium

dium Claterna deiecit Hircius: non est hostis, qui armatus Consulem designatum oppugnat: nec illa hostilia verba, nec bellica: quæ paulo ante ex Collega literis Pansa recitauit: deieci præsidiũ: Claterna potitus sum: fugati equites: prælium commissum: occisi aliquot. quæ pax potest esse maior? delectus tota Italia decreti sublatis vacationibus: saga cras sumentur: consul se cum præsidio descensurum dixit. vtrum hoc bellum non est? an etiam tantum bellum? quantum nunquam fuit? (ceteris enim bellis maximeq; ciuilibus, contentionem Reipub. causa faciebat. Sylla cum Sulpitio de iure legum, quas per vim latas Sylla dicebat: Cinna cum Octauio, de nouorum ciuium suffragijs: rursus cum Mario & Carbone Sylla: ne dominarentur indigni, & clarissimorum hominum crudelissimam vlciscerentur necem. horũ omnium bellorum causæ ex Reipub. contentione natæ sunt. de proximo bello ciuili non libet dicere. ignoro causam: detestor exitum. hoc bellum quintum ciuile geritur, atq; omnia in nostram ætatem inciderunt: primũ non modo in dissensione, et discordia ciuium, sed in maxima consensione, incredibiliq; concordia. omnes idem volunt: idem defendunt: idem sentiunt. cum omnes dico: eos excipio: quos nemo ciuitate dignos putat. quæ est igitur in medio belli causa posita? nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, sedesq; populi Romani, penates, aras, focos, sepulchra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus. contra M. Antonius id molitur: id pugnat: vt hæc omnia perturbet: euertat: prædam Reipub. causam belli putet: fortunas nostras partim dissipet: partim dispartiat parricidis. In hac tam dispari ratione belli mi-

serrimum



serrimum illud est: quod ille latronibus suis pollicetur omnium domos: vrbem enim se diuisurum confirmat: deinde omnibus portis, quò velint, deducturum. omnes Cethegos, omnes Saxa, cæteraq; pestes, quæ sequuntur Antonium: ædes sibi optimas, hortos, Thusculana, Alsium definiunt. atq; etiam homines agrestes, si homines illi potius, quam pecudes: inani spe ad aquas vsq; Puteolanas prouehuntur. Ergo habet Antonius quod suis polliceatur. Quid nos? nunquid tale habemus? ne meliora. id enim ipsum agimus: ne quis posthac eiusmodi quicquam possit polliceri. inuitus dico: sed dicendum est. hasta Cæsaris P. C. multis improbis & impudentibus affert, & audaciam. viderunt enim ex mendicis locupletes repente diuites. Itaq; hastam semper videre cupiebant ij, qui nostris bonis imminent: quibus omnia pollicitur Antonius. quid nos nostris exercitibus? quid pollicemur? multo meliora, atq; maiora. scelerum enim promissio, & ijs qui expectant, perniciosa est: & ijs qui promittunt. nos libertatem nostris militibus, iura, iudicia, imperium orbis terræ, dignitatem, pacem, quam pollicemur. Antony igitur promissa cruenta, tetra, scelerata, duis hominibusq; inuisa, nec diuturna, nec salutaria. nostra contra, honesta, integra, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis. Hic mihi etiam Q. Fusius Calenus, acstrenuus, amicus meus pacis cõmoda commemorat. quasi vero, si laudanda pax esset: ego idem facere commode non possem? semel enim pacem defendi? non semper ocio studui? quod cum omnibus bonis vtilissimum præcipue mihi. quem enim cursum industria non tenere potuisset? sine forensibus causis, sine legibus, sine iudicijs? quæ esse non possunt ciuili pace sublata.

Sed quæso Calene, quid? tu seruitutẽ pacem vocas? maiores quidem nostri non modo vt liberi essent: sed etiam vt imperarent, arma capiebant. at tu arma abycienda censes, vt seruiamus. quæ causa iustior est belli gerendi, quàm seruitutis depulsio? in qua etiam si non sit molestus dominus: tamen est miserrimum posse, si velit. immo nulla alia causa iusta, ac necessaria est. nisi forte ad te hoc non putas pertinere: quod te socium fore speras dominationis Antony: in quo bis falleris. primum, quod tuas rationes communibus anteponis: deinde, quod quicquam stabile in regno, aut iucundum putas. non, si tibi antea profuit, semper proderit. quin etiam de illo homine queri solebas. quid te facturum de belua putas? atqui es, qui semper pacem optaris: semper omnes cives saluos volueris. horrenda ratio: sed ita, si bonos, & vtiles Reip. ciues: sin eos, qui natura ciues sunt, voluntate hostes saluos velis: quid tandẽ interest inter te, & illos? Pater tuus, quo vtebar sene authore adolescens: homo seuerus, & prudens, primas omnium ciuium P. Nasicæ, qui Tyberium Gracchũ interfecit, dare solebat. eius enim virtute, consilio, magnitudine animi, liberatã Remp. arbitrabatur. quid? nos à patribus num aliter accepimus? ergo is tibi ciuis, si temporibus illis fuisses: non probaretur: quia non omnes saluos esse voluisset? quod L. Opimius Consul verba fecit de Republica: de ea re ita censuerunt: vti Opimius Consul Remp. defenderet. Senatus hac verbis: Opimius armis. num igitur eum, si tum esses: temerarium ciuem, aut crudelem putares? aut Q. Metellum, cuius quatuor filij Consulares? aut P. Lentulum principem Senatorem? quid complures alios summos viros? qui cum L. Opimio Consule armati Gracchum in

Auentinum



Auentinum persecuti sunt? quo in prælio Lentulus grauiter vulnus accepit: interfectus est Gracchus, & M. Fulvius Consulares, eius duo adolescentuli filij. illi igitur viri vituperandi? nõ enim ciues omnes saluos esse voluerunt. Ad propiora veniamus. C. Mario, L. Valerio Consulibus Senatus Rempub. defendendam dedit: L. Saturninus Tribunus plebis, Glaucia Prætor est interfectus. omnes illo die Scauri, Metelli, Claudij, Catuli, Scæuolæ, Crassi arma sumpserunt. num aut consules illos aut clarissimos viros vituperandos putas? Ego Catilinam perire volui. num tu, qui omnes saluos vis, Catilinam saluũ esse voluisti? hoc interest Calene inter meã sententiam & tuã. ego nolo quenquam ciuẽ committere, vt morte mulctandus sit: tu, etiam si commiserit, conseruandum putas. in corpore si quid eiusmodi est, quod nocet quo corpori noceat, vri, ac secari patimur, vt membrorum aliquod potius, quàm totum corpus intereat: sic in Reipublicæ corpore, vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum amputetur. dura vox. multo illa durior, si sint improbi, scelerati, impij. deleantur innocentes, honesti, boni, tota Respublica. vno in homine Q. Pompei fateor te vidisse plus quàm me. ego P. Clodium arbitrabar pernicioſum ciuem, sceleratũ, libidinosum, impium, audacẽ, facinorosum: tu contrà sanctum, temperantem, innocentem, modestum, retinendum ciuem, & colendum. in hoc vno te plurimum vidisse, multum me errasse concedo. Nam me tecum iracundè agere dissimulare non est solere. non est ita. vehementer me agere fateor. iracundè nego. omnino iratsci amicis non temere soleo, ne si soleam quidẽ. itaq; sine verborum contumelia à te iniuriæ possũ, sine animi summo dolore non possum.

EEE

parua est enim mihi tecum, haud parua de re dissensio. ego huic videlicet faueo, tu illi? immo vero ego D. Bruto faueo: tu M. Antonio. ego conseruare coloniã populi Ro. cupio: tu expugnare studes. an hoc negare potes? qui omnes moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius? quousq; enim pacẽ dicis velle te? res geritur, conductæ vineæ sunt, pugnatur acerrime: qui intercurrerent, misimus tres principes ciuitatis: hos contẽpsit, reiecit, repudiauit Antonius: tu tamen permanes cõstantissimus defensor Antony. Et quidem quo melior senator videatur, negat se illi amicũ esse debere: cũ suo magno beneficio venisse eum contra se. vide quanta charitas sit patriæ. cum homini sit iratus, tamẽ Reip. caussa defendit Antoniũ. Ego te, cum in Massilienses tã sis acerbus Fusi, non animo æquo audio. quousq; enim Massiliam oppugnabis? ne triumphus quidem finem fecit belli? per quem sublata est vrbs ea, sine qua nunquã ex Transalpinis gentibus maiores nostri triumpharunt. quo quidẽ tempore populus Romanus gemuit. quanquam enim proprios dolores suarũ rerum omnes habebant: tamen huius ciuitatis fidelissimæ miserias nemo erat ciuis, qui à se alienas arbitraretur. Cæsar ipse, qui illis fuerat iratissimus, tamen propter singularem eius ciuitatis grauitatẽ, & fidem: quotidie aliquid iracundiæ remittebat: te nulla sua calamitate ciuitas satiare tã fidelis potest? rursus me iam irasci fortasse dices. ego autem sine iracundia dico, vt omnia: nec tamen sine dolore. Neminem illi ciuitati inimicũ esse arbitror, qui amicus sit huic ciuitati. Excogitare qua tua ratio sit Calene nõ posũ. antea deterrere te, ne popularis esses, nõ poteramus: vt nũc sis popularis exorare non possumus. Satis multa cum Fusio, ac sine odio omnia: nihil sine dolore. credo autẽ qui generi querelam modestiæ erat, æquo animo laturũ amici. Venio nunc ad reliquos Consulares: quorũ est nemo, iure meo hoc dico, qui non mecũ habeat aliquam coniunctionem gratiæ, alius maximã, alius mediocrem, nemo nullã. quàm hesternus dies nobis, Consularibus dico, turpis illuxit? iterũ Legatos? quid? ille vt faceret inducias? ante Consules, oculosq; Legatorum tormentis Mutinam verberauit, quos ostendebat, munitionemq; Legatis: ne punctum quidem temporis, cum Legati adessent, oppugnatio requieuit. adhuc Legatos? cur? an vt in eorũ reditu vehementius pertimescatis? Equidem cũ antea Legatos decerni non censuissem, hoc me tamen consolabar, quod cum illi ab Antonio contempti, & reiecti reuertissent, dixissentq; Senatui non modo illũ è Gallia non discessisse, vt censuimus, sed ne à Mutina quidẽ recessisse, potestatem sibi D. Bruti conueniendi non fuisse, putabãt fore, vt omnes inflãmati odio, excitati dolore, armis, equis, viribus D. Bruto subueniremus. nos etiã languidiores facti sumus, postquam Antonij non solũ audacia, & scelus, sed etiã insolentia, superbiaq; perspeximus. Vtinam L. Cæsar valeret, Seruius Sulpitius viueret, multo melius hæc caussa ageretur à tribus, quàm nunc agitur ab vno. dolenter hoc dicam potius, quàm tantum molesse. deserti, deserti inquã sumus Patres Conscripti à Principibus. sed, vt iã sæpe dixi, omnes in tanto periculo, qui rectè & fortiter sentient, erũt Consulares. animũ nobis afferre legati debuerunt, timorem attulerunt. quanquam mihi quidem nullum vnquã timorẽ, quamuis ille de illo ad quem missi sunt, bene existimẽt,

à quo etiam mandata acceperunt. Prò dij immortales, vbi est ille mos, virtusq; maiorum? C. Pompilius apud maiores nostros, cũ ad Antiochum Regẽ Legatus missus esset, & verbis Senatus nunciasset, vt ab Alexandria discederet, quã obsidebat, cùm tempus ille differret, virgula stantẽ circumscripsit: dixitq; se nõ anteare nunciaturũ Senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quàm ex illa circumscriptione excederet. præclarè. Senatus enim faciem secũ attulerat, authoritatem Reipub. cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est potius repudiandus. An ego ab eo mandata acciperem, qui Senatus mandata contẽneret? aut ei cum Senatu quicquã commune indicarẽ, qui imperatorem populi Romani Senatu prohibente obsideret? At quæ mandata? quæ arrogantia? quo supore? quo spiritu? cur autem ea legatis nostris dabat? cùm ad nos Cotylam mitteret ornamentũ, atq; arcem amicorum suorũ, hominẽ ædilitium? si vere tũ fuit Ædilis, cùm eum iussu Antony in conuiuio serui publici loris ceciderunt. At quam modesta mandata fert, y sumus Patres Conscripti qui quicquã huic negemus? Vtranq; prouinciã, inquit, remitto, exercitũ depono, priuatus esse non recuso. hæc sunt enim verba. redire ad se videtur. omnia obliuiscor, in gratiã redeo: sed quid adiungit? Si legionibus meis, & si equitibus, & si cohorti Prætoriæ prædam, agrumq; dederitis. Hic etiã præmia postulet, quibus vt ignoscatur si postulet, impudentissimus iudicetur? Addit præterea, Quos ipse cùm Dolabella dederit agros, teneant y, quibus dati sunt. Hic est Campanus ager & Leontinus: quæ duo maiores nostri annonæ perfugia ducebat. cauet nimis aleatoribus, lenonibus:



lenonibus: Caponi etiam, & Saxæ cauet, quos Centuriones pugnaces, & lacertosos inter mimorum, mimarum greges collocauit, postulat præterea vt Chirographorum, & cõmentariorum sua, Collegæq; sui decreta maneant. quid laborat? vt habeat quod quisq; mercatus est. si quid accepit, habeat qui vendidit: & ne tãtarum rationes ad Opis, id est, ne sestertiũm septies milli a recuperetur, ne fraudi sit septemuiris, quod egissent. Nucula hoc credo admonuit. verebatur fortasse ne amitteret tantas clientelas. caueri etiã vult ijs, qui secum sunt, quicquid contra legem commiserunt. Mustelæ, & Tyroni prospicit: de se nihil laborat. quid enim cõmisit vnquã? num aut pecuniam publicam attigit? aut hominem occidit? aut secum habuit armatos? Sed quid ais, quod de ijs laboret? postulat enim ne sua iudiciaria ex abrogetur. quo impetrato, quid est quod metuat? cui? ne suorũ aliquis à Cyda, Lysiade, Curio condemnetur? neq; tamen nos vrget mandatis pluribus: remittit aliquantũ, & relaxat. Galliã, inquit, togatam remitto, comatam postulo, otiosus videlicet esse malo, Cum sex legionibus, inquit, hisq; suppletis ex D. Bruti exercitu, nam modo ex delectu suo: tam diuq; vt obtineat, quã diu D. Brutus, C. Cassius Consules, proconsulesue prouincias obtinebant. huius comitijs C. frater. est enim iam annus, vt repulsam tulit. Ipse aute vt quinquennium, inquit, obtineam. At istud vetat lex Cæsaris, & tua. Hæc tu mandata L. Piso, & tu, L. Philippe Principes ciuitatis, non dico animo ferre, verum auribus accipere potuistis? Sed vt suspicor, terror erat quidam: nec vos vt Legati apud illum fuistis, nec vt Consulares: nec vos

vestram, nec Reipub. dignitatem tenere potuistis. & tamen nescio quo pacto, sapientia quadam credo, quod ego non possum, non nimis irati reuertistis. vobisq; M. Antonius nihil tribuit, clarissimis viris, legatis populi Romani, nos quid non Legato Antonij Cotylæ concessimus? cui portas huius vrbis patere ius nõ fuit, huic hoc templum patuit, huic aditus in Senatũ fuit, hic heserno die sententias nostras in codicillos, & omnia verbare ferebat, huic se etiam summis honoribus hi, contra dignitatẽ suam venditabant. O dij immortales, quam magnũ est personam in Rep. tueri principis, quæ non animis sõlum debet, sed oculis seruire ciuium. domũ recipere Legatum hostium, in cubiculũ admittere, & reducere, hominis est nihil de dignitate, nimium de periculo cogitantis. Quod autem est periculũ? nam si maximum in discrimen venietur, aut libertas parata est victori, aut mors exposita victo. quorum alterum optabile est, alterũ effugere nemo potest. turpis autẽ fuga mortis omni est morte peior. Nam illud quidem non adducor vt credam, esse quosdam, qui inuideant alicuius constantiæ, qui laboribus, qui eius perpetuã in Repub. aduuanda voluntatẽ, & à Senatu & à populo Rom. probari molestè ferant. omnes id quidem facere debebamus: eaq; erat non modo apud maiores nostros, sed etiã nuper summa laus Consulariũ, vigilare, cogitare, adesse animo, semper aliquid pro Rep. aut facere, aut dicere. Ego Q. Scæuolam Augurem memoria teneo bello Marsico, cum esset summa senectute, & perdita valetudine, quotidie, simulatq; luceret, facere omnibus conueniendi sui potestatem. neq; eũ quisquam illo bello vidit in lecto: senexq; & debilis primus venie-

bat



bat in Curiam. huius industriã maxime equidem vellem vt imitarentur ij, quos oportebat: secundo autẽ loco, ne alterius labori inuiderent. etenim Patres Conscripti cũ in spẽ libertatis sexennio simus ingressi, diutiusq; seruitutẽ perpessi, quàm captiui frugi, & diligentes solẽt, quas vigilias, quas solicitudines, quos labores liberandi pop. Rom. caussa recusare debemus? Equidẽ P. C. quanquam hoc honore vsi, togati esse solent, cũ est in sagis ciuitas, statui tamen à vobis, cæterisq; ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantaq; perturbatione Populi Romani, non differre vestitu. non ita gerimus nos hoc bello Cõsulares, vt æquo animo populus Ro. visurus sit nostri honoris insignia. cùm partim è nobis ita timidi sint, vt omnem ij populi Romani beneficiorum memoriã abiecerint: partim ita à Republica auersi, vt huic se hosti fauere præ se ferant: Legatos nostros ab Antonio despectos esse & irrisos facile patiantur: Legatum Antonij sublenatum velint. huic enim reditum ad Antonium prohibere negabant oportere: & in eodem excipiendo sententiam meam corrigebant. quibus geram morẽ. redeat ad Imperatorem suũ Varius: sed ea lege, ne vnquam Romam reuertatur. Cæteris autem, si errorem suum deposuerint, & in Reipublicæ gratiam redierint, veniam, & impunitatẽ dandam puto. Quas ob res ita censeo, eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis decesserint, et aut ad Pansam, aut ad Hirciũ Consules, aut ad Decium Brutũ Imperatorẽ, Cons. designatum, aut ad C. Cæsarẽ Prætorẽ, ante Idus Martias adierint, eis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint. si quis eorũ, qui cũ M. Antonio sunt, fecerit, quo honore, præmione quis dignus esse videatur, vti C. Pasa, A. Hir

cius cons. alter, ambóue, si eis videatur, de eius honore, præmióue, primo quoque die ad Senatum referant. si quis post hæc ad Antonium profectus fuerit, præter L. Varium, Senatum existimaturum eum contra Rempublicam fecisse.



# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA NONA.

## ORATIO LII.

Ellem dij immortales fecissent P. C. vt viuo potius Ser. Sulpitio gratias ageremus, quam mortuo honores quæreremus. nec vero dubito, quin si ille vir renunciare legationem potuisset, reditus eius & nobis gratus fuerit, & Reip. salutaris futurus. non quòd L. Philippo, & L. Pisoni aut studium, aut cura defuerit in tanto officio, tantoq; munere: sed cum Seruius Sulpitius ætate illis anteiret, sapientia omnibus, subito ereptus totam Legationem orbam, & debilitatã reliquit. quod si cuiquã iustus honos habitus est in morte Legato, in nullo iustior quàm in Ser. Sulpitio reperietur. cæteri, qui in Legatione mortem obierunt, ad incertum vitæ periculũ sine vllo mortis metu profecti sunt: Seruius Sulpitius cum aliqua perueniendi ad M. Antoniũ spe profectus est, nulla reuertendi. qui cum ita affectus esset, vt si ad grauẽ valetudinẽ labor vitæ accessisset, sibi ipse diffideret, non recusauit, quo minus vel in extremo spiritu, quam opem Reip. afferre posset, experiretur. itaq; non vim vis hyemis, non niues, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingrauescens retardauit: cumq; iã ad congressum, colloquiumq; eius perueniisset, ad quem erat missus, in ipsa cura, & meditatione obeundi sui muneris excessit è vita. Vt igitur alia, sic hoc Pansa preclare, quod nos ad ornandũ Ser. Sulpitium cohortatus es: & ipse multa copiosè de illius laude dixisti. quibus a te dictis nihil præter sententiam dicerem, nisi

P. Seruilio respondendum putarem, qui hunc honorem statuæ nemini tribuendũ censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem P.C. sic interpretor sensisse maiores nostros, vt caussam mortis censuerint, non genus esse quærendum. etenim cui Legatio ipsa mortis causa fuisset, eius monumentum extare voluerunt: vt in bellis periculosis obirent homines Legationis munus audacius. non igitur exempla maiorum quærenda, sed consilium est eorum, à quo ipsa exempla nata sunt, explicandũ. Lartes Tolumnius, Rex Veientum quatuor Legatos populi Ro. Fidenis interemit. quorum statuæ in rostris steterunt vsq; ad nostrã memoriam. iustos honos. his enim maiores nostri, qui ob Remp. mortem obierant, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octauy clari et magni viri, qui primus in eam familiã, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum, statuam videmus in rostris. nemo enim tum nouitati inuidebat, nemo virtutem non honorabat. at ea fuit Legatio Octauij, in qua periculi suspicio non subesset. nam cùm esset missus à Senatu ad animos Regum perspiciendos, liberorumq; populorũ, maximeq;, vt nepotem Antiochi Regis, qui cum maioribus nostris bellum gesserat, classes habere, elephantos alere prohiberet, Laodiceæ in gymnasio à quodam Leptine est interfectus. reddita est ei tum à maioribus statua pro vita, quæ multos per annos progeniẽ eius honestaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam sola restaret. atq; & huic, & Tullo Cluuio, & L. Roscio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui à Veientium Rege cæsi sunt, non sanguis, qui profusus est in morte, sed ipsa mors ob Remp. habita, honori fuit. itaq; P.C. si Ser. Sulpitio casus mortẽ attulisset, dolerem

lerem equidem tanto Reip. vulnere, mortem vero eius non monumentis, sed luctu publico esse honorandam putarem, nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa Legatio? secum enim ille mortem extulit, quam, si obiscum remansisset, sua cura, optimi filij, fidelissimæq; coniugis diligentia vitare potuisset. At ille, cùm videret si vestræ authoritati non paruisset, dissimilem se futurum sui, si paruisset, munus sibi illud pro Repub. susceptum vitæ finem allaturum, maluit in maximo populi Ro. discrimine mori, quàm minus quàm potuisset, videri Reipub. profuisse. multis illi in vrbibus, qua iter faciebat, reficiendi se, & curandi potestas fuit: aderat & hospitum inuitatio liberalis, pro dignitate summi viri: & eorum hortatio, qui vnà erant missi, ad requiescendum, & vitæ suæ consulendum. at ille properans, festinansq;, mandata nostra conficere cupiens, in hac constantia morbo aduersante perseuerauit. cuius cùm aduentu maxime perturbatus esset Antonius, quòd ea, quæ sibi iussu nostro denunciarentur, authoritate erant & sententia Seruij Sulpitij constituta, declarauit quã odisset senatum, cùm authorem senatus extinctum, lætè, atq; insolenter tulit. non igitur magis Octauium Leptines, nec Veientium Rex eos, quos modò nominaui, quàm Ser. Sulpitium occidit Antonius. is enim profectò mortem attulit, qui caussa mortis fuit. quocirca ad posteritatis etiam memoriam pertinere arbitror, extare quod fuerit de hoc bello iudicium Senatus. erit enim statua ipsa testis, bellum tam graue fuisse, vt legati interitu honoris memoriam consecutus sit. Quod si excusationem Ser. Sulpitij P.C. Legationis obeundæ recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honorẽ

mortuo,

mortuo, cui iniuriam viuo fecimus, faciamus. vos enim P.C. (graue dictu est, sed dicendum tamen) vos inquã Seruium Sulpitium vita priuastis. quẽ cùm videretis se magis morbo, quàm oratione excusantem, nõ vos quidem crudeles fuistis (quid enim minus in hunc ordinem conuenit?) sed cùm speraretis nihil esse, quod non illius authoritate, & sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis: atq; eum, qui semper vestrum consensum grauissimũ iudicauisset, de sententia deiecistis. vt vero Pansæ, consulis accessit cohortatio grauior, quã aures Seruij Sulpitij ferre didicissent, tum filium, meq; seduxit, atq; ita locutus est, vt authoritatẽ vestram vitæ se diceret anteferre. cuius nos virtutem admirati, non ausi sumus aduersari eius voluntati. mouebatur singulari pietate filius: non multum perturbationi eius mens dolor concedebat. sed vterq; nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisq; grauitati. cum quidem ille maxima laude, & gratulatione omnium vestrum pollicitus est, se quod velletis, esse facturum: neq; eius sententiæ periculum vitaturum, cuius ipse author fuisset. quem exequi mandata vestra properantem mane postridie prosecuti sumus. qui quidem discedens mecum ita locutus est, vt eius oratio omen fati videretur. Reddite igitur P.C. ei vitam, cui ademistis. vita enim mortuorum in memoria viuorum est posita. perficite vt is, quem vos ad mortem inscij misistis, immortalitatem habeat à vobis. cui si statuam in rostris decreto vestro statueritis, nulla eius legationis posteritatem inobscurabit oblivio. Nam reliqua Seruij Sulpitij vita multis erit præclarisq; monumentis ad omnẽ memoriam commendata semper illius grauitatem, constantiam, fidem, prestantiam, in Repu. tuenda curam, atq; prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. nec vero silebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate explicãdis, scientia. omnes qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Ser. Sulpitio non sunt comparandi. neque enim ille magis iuris consultus quàm iustitiæ fuit. Itaque quæ proficiscebantur à legibus, & à iure ciuili, semper ad æquitatem, æquitatem q; referebat. neq; constituere litium actiones malebat, quam controuersias tollere. Ergo hoc statuæ monumento non eget, habet alia maiora. hæc enim statua mortis honestæ testis erit: illa memoria vitæ gloriosæ. vt hoc magis monumentum gratiæ senatus, quam clari viri futurũ sit. Multum etiam valuisse ad patris honorẽ pietas filij videbitur: qui quanquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, vt ille, si adesset. est enim ita affectus, vt nemo vnquam vnici filij mortem magis doluerit, quàm ille mœret patrem equidem etiam ad famam Ser. Sulpitij arbitror auert, vt videatur honorem debitum patri præstitisse: quanquam nullum monumentũ clarius Ser. Sulpitius relinquere potuerit, quàm effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij filium. cuius luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio leuari potest. Mihi autem recordanti S. Sulpitij multos in familiari nostra sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, ænea statua futura, & ea pedestris magis, quàm inaurata equestris, qualis L. Syllæ prima statua est. magnificè enim Seruius Sulpitius maiorum continentiam diligebat, huius seculi insolentiam vituperabat ut

Consulatus.

bat. vt igitur, si ipsum consulam quid velit, sic pedestrem ex ære statuam, tanquam ex eius authoritate, & voluntate decerno. quæ quidem magnum ciuium dolorem, & desiderium honore monumenti minuet, & leniet. atq; hanc meam sententiam P.C.P. Seruilij sententia probari necesse est, qui sepulchrum publice decernendum Seruio Sulpitio censuit, statuam non censuit. Nam si mors legati sine cæde atq; ferro nullum honorē desiderat, cur decernit honorem sepulturæ, qui maximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpitio quod non est datum Cn. Octauio, cur quod illi datum est, huic dandum esse non censet? maiores quidem nostri statuas multis decreuerunt: sepulchra paucis. sed statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est. quod nulla vi moueri, neq; deleri potest. atq; vt cætera extinguuntur, sic sepulchra fiunt sanctiora vetustate. augeatur igitur isto etiā honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest: gratissimus in eius morte decoranda, cui nullam aliam gratiam referre iam possumus: notetur etiam Antonij nefarium bellum gerentis scelerata audacia. his enim honoribus habitis Seruio Sulpitio repudiatæ, reiectæq; Legationis ab Antonio manebit testificatio sempiterna. Quas obres ita censeo. Cum Ser. Sulpitius Quinti filius Lemonia Rufus difficillimo Reip. tēpore, graui, periculosoq; morbo affectus, authoritatem senatus, salutemq; populi Ro. vitæ suæ præposuerit, contraq; vim grauitatemq; morbi contenderit, vt ad castra Antony, quò Senatus eum miserat, peruenire: isq; cum iam prope castra venisset, vi morbi oppressus vitam amiserit in maximo Reip. munere: eiusq; mors cōsentanea vitæ fuerit, sanctissime, honestissimeq; acta: in qua sæpe magno vsui Reip. Ser. Sulpitius, & priuatus, & in magistratibus fuerit: cum talis vir, ob Remp. in Legatione mortem obierit: senatui placere. Seruio Sulpitio statuam pedestrē æneam in rostris, ex huius ordinis sententia statui: circumq; eam statuam locum gladiatoribus, ludisq; liberos, posterosq; eius, quaq; versus pedes quinq; habere, quod hic ob Rempub. mortē obierit: eamq; causſam in basi inscribi: atq; C. Pansa, A. Hircius Consules alter, ambo'ue, si eis videbitur, quæstoribus vrbis imperent, vt eam basim, statuamq; faciendam, & in rostris statuendam locent: quantiq; locarint, tantam pecuniam redemptori soluendam, attribuendamq; curent: cumq; antea Senatus authoritatem in virorum fortium funeribus ornamentisq; ostenderit, placere eum quàm amplissimè supremo die ferri. & cum Seruius Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus ita de Rep. meritus sit, vt his ornamentis decorari debeat, Senatū censere, atq; è Rep. existimare, Aedilis curules edictum, quod de funeribus habeant, Seruij Sulpitij Q. F. Lemoniæ Rufi funeri mittere: vtique locum sepulchro in Campo Esquilino C. Pansa Cōsul, seu quo alio in loco videtur, pedes triginta quoq; versus assignet, quo Seruius Sulpitius inferatur. quod sepulchrū ipsius, liberorum, posterorumq; eius sit: vti quod optimo iure sepulchrum publice datum est.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMA.

## ORATIO LIII.

Maximas tibi, Pansa, gratias omnes & habere, & agere debemus, qui cum hodierno die Senatum te non habiturum arbitraremur, vt M. Bruti præstantissimi ciuis literas accepisti, ne minimam quidem moram interposuisti, quin quam primũ maximo gaudio & gratulatione frueremur. cùm factũ tuum gratum omnibus debet esse, tum vero oratio, qua recitatis literis vsus es. declarasti enim verum esse id, quod ego semper sensi. neminem alterius, qui suæ consideret virtuti inuidere. Itaq; mihi, qui plurimis officijs sum cum Bruto, et maxima familiaritate cõiunctus, minus multa de illo dicenda sunt. quas enim partes ipse mihi sumpseram, eas præoccupauit oratio tua. Sed mihi P. C. necessitatẽ attulit paulo plura dicendi, sententia eius, qui rogatus est ante me. à quo ita sæpe dissentio, vt iam verear, ne id quod minimè fieri debet, minuere amicitiam nostram videatur perpetua dissensio. Quæ est enim ista tua oratio Calene? quæ mens? qui nunquam post Calen. Ianu. idem senseris, quod is, qui te sententiam prius rogat? cur nunquam tam frequens Senatus fuit, vt vnus aliquis tuam sententiam secutus sit? cur semper tui dissimiles defendis? cur cum te & vita, & fortunata tua ad ocium & ad dignitatem inuitet, ea probas, ea decernis, ea sentis, quæ sunt inimica & ocio communi, & dignitati tuæ? nam vt superiora omittam, hoc certe quod mihi maximam admirationem mouet, non tacebo. quod



bo. quod enim tibi cum Brutis bellum? cur eos, quos omnes venerari debemus, solus oppugnas? alterum circumsideri nõ moleste fers: alterum tua sententia spolias his copijs: quas ipse suo labore, & periculo ad Reipub. nõ ad suum præsidium, per se, nullo adiuuante confecit. quis est iste tuus sensus? quæ cogitatio? Brutos vt non probes, Antonios probes? quos omnes charissimos habent, tu oderis? quos acerbissime omnes oderunt, tu conservantissime diligas? amplissime tibi fortunæ sunt: summus honoris gradus: filius, vt & audio, & spero, natus ad laudem: cui cum Reip. causa faueo: tum etiam tua. quæro igitur eum Bruti ne similem malis, an Antony? ac permitto vt de tribus Antonijs eligas, quẽ velis. D. Brutus melior est inquies. cur igitur non his faues? cur non eos laudas: quorum similem filiũ tuum esse vis? simul enim Reip. consulis: & proponis illi exempla adimitandum. Hoc vero Q. Fusi copiosius sine offensione nostræ amicitiæ, sic tecũ, vt à te dissentiens, Senator quæro: ea enim dixisti: & quidẽ de scripto: nam te inopia verbi lapsum putarem: nisi tuam in dicendo facultatem nossem: literas Bruti recte & ordine scriptas videri. quod quid est aliud: quàm librarium Bruti laudare, nõ Brutum? vsum in Republica Calene magnum iam habere & debes & potes. quando ita decerni vidisti? aut quo S. C. huius generis, sunt enim innumerabilia: bene scriptas literas decretum à Senatu? quod verbum tibi excidit, vt sæpe fit, fortuitò. scriptum, meditatum, cogitatum, attulisti. hanc tibi consuetudinem pleriq; in rebus bonis obtrectandi si quis detraxerit, qui tibi velit obtrectare, non relinquetur. quamobrem collige te: placaq; animum aliquando: & mi-

tiga: audi viros bonos, quibus vteris multum: loquere cum sapientissimo homine genero tuo sapius, quàm tu ipse tecum. tũ deniq; amplissimi honoris nomen obtinebis. An vero hoc pro nihilo putas? in quo equidem pro amicitia tuã vicem dolere soleo, efferri hæc foras? & ad populi Romani aures peruenire? ei qui primus sententiam dixerit, neminem assensum. quod etiam hodie futurum arbitror. Legiones abducis à Bruto. quas? nempe illas, quas ille ab Antony scelere auertit, & ad Rempublicã sua authoritate traduxit. rursus igitur vis nudatum illum, atq; solum à Rep. relegatum videri. vos autẽ P.C. si M. Brutum deserueritis, & prodideritis: quem tandem ciuem habebitis, quem ornetis? cui fauebitis? nisi forte eos qui diadema imposuerunt, conseruãdos, eos, qui nomen Regis sustulerunt, deserendos putatis. Ac de hac quidẽ diuina atq; immortali laude Bruti silebo: quæ gratissima memoria omnium ciuiũ inclusa, nondum authoritate publica testata est. tantam ne patientiã dũ boni, tantam moderationẽ, tantam in iniuria tranquillitatem, & modestiam? qui cũ Prætor vrbanus esset, vrbe caruit: ius non dixit, cum omne ius populi Ro. recuperasset: cumq; concursu quotidiano bonorum omniũ, qui admirabilis ad eum fieri solebat, presidioq; Italiæ cunctæ septus posset esse: absens iudicio bonorum defensus esse maluit, quàm præsens manu: qui ne Apollinares quidem ludos, pro sua populiq; Rom. dignitate apparatos præsens fecit: ne quam viam patefaceret sceleratorum hominũ audaciæ: quanquam quis vnquam aut ludi, aut dies latiores fuerunt? quam cum in singulis versibus pop. Ro. maximo clamore, & plausu Bruti memoriã prosequebatur? corpus aberat, libera-

toris: libertatis memoria aderat: in qua Bruti imago cerni videbatur. At hunc his ipsis ludorum diebus videbã in insula clarissimi adolescentis Luculli propinqui sui, nihil de pace & concordia ciuiũ cogitantẽ. eundem vidi postea Veliæ cedentẽ Italia: ne qua oriretur belli ciuilis causa propter se. O spectaculum illud nõ modo hominibus, sed undis ipsis, & litoribus luctuosum: videre è patria seruatorẽ eius: manere in patria proditorem. Cassius lapsis paucis post diebus consequebatur: vt me puderet Patres Conscripti in eã vrbẽ redire: ex qua illi abirent. Sed quo consilio redierim, initio audistis: post estis experti. Expectatũ igitur tempus à Bruto est. nam quoad vos omnia pati vidit: vsus est ipse incredibili patientia: posteaquam vos ad libertatem sensit erectos: præsidia vestra libertati parauit. at cui pesti, quãq; restitit? si enim C. Antonius quod animo intenderat, perficere potuisset (potuisset autem, nisi eius sceleri virtus M. Bruti obstitisset) Macedoniam, Illyricum, Græciã perdidissemus. esset vel receptaculũ pulso Antonio, vel agger oppugnandæ Italiæ Græcia: quæ quidem nunc M. Bruti imperio, authoritate, copijs non instructa solum, sed etiã ornata tendit dexterã Italiæ, cumq; ei præsidium pollicetur. Quod qui ab illo abduxit exercitum pulcherrimum, & præsidium firmissimum adimit Reipublicæ. Equidem cupio hæc quàm primum Antonium audire: vt intelligat nõ D. Brutum, quem vallo circumsedet: sed seipsum obsideri. ora tenet oppida toto in orbe terrarum: habet inimicissimam Galliam: eos etiam, quibus cõsidebat, alienissimos Transpadanos: Italia omnis infesta est: exteræ nationes a prima ora Græciæ vsq; ad Aegyptum optimo-

rum & fortissimorum ciuium imperijs, & præsidijs tenentur. Erat ei spes una in C. Antonio: qui duorum fratrũ ætatibus medius interiectus: vitijs cũ utroq; certabat. qui tanquam extruderetur à Senatu in Macedoniam: & non contra prohiberetur proficisci: ita cucurrit. Quæ tempestas dij immortales, quæ flamma, quæ vastitas, quæ pestis Græciæ fuisset? nisi incredibilis vis ac diuina virtus Cæsaris furentis hominis conatũ atq; audaciam compressisset? quæ celeritas illa Bruti? quæ cura? quæ virtus? etsi ne illa quidẽ Antonij celeritas contemnenda est. quem nisi in via caducæ hæreditates retardassent: volasse eum, non iter fecisse diceres. alios ad negocium publicum ire cum cupimus, vi solemus extrudere: hunc retinentes excluſimus. At quid ei cum Apollonia? quid cum Dyrrhachio? quid cũ Illyrico? quid cum P. Vatinij Imperatoris exercitu? succedebat, vt ipse dicebat, Hortensio. certi fines Macedoniæ: certa conditio: certus erat etiã illius exercitus: cũ Illyrico vero, cum Vatinij legionibus quid erat Antonio? ne cum Bruti quidem. id enim fortasse quispiam improbus dixerit. omnes legiones, omnes copiæ, quæ vbiq; sunt, populi Romani sunt. neq; enim legiones quæ Antonium reliquerunt: Antonij potius quam Reipu. fuisse dicuntur. omne enim exercitus, & imperij ius amittit is: qui eo imperio & exercitu Rempub. oppugnat. quod si ipsa Respub. iudicaret: aut si omnes decretis eius statuerentur: Antonio ne an Bruto legiones populi Rom. adiudicaret? alter aduolaret subito ad direptionem pestemq; sociorum: & quacunq; iret, omnia vastaret: diriperet: auferret: exercitu populi Rom. cõtra ipsum populum Rom. vteretur. alter vero eam sibi legẽ



bi legẽ statueret: vt quocunq; venisset, lux venisse quædam et spes salutis videretur. denig; alter ad euertendã Rempub. præsidia quærebat: alter ad conseruandam. Nec vero nos hoc magis videbamus, quàm ipsi milites: à quibus tanta in iudicando prudentia non erat postulanda. cum VII cohortibus isse Apolloniam scribit Antonium. qui iã aut captus est, quod dy dent: aut certe homo verecundus in Macedoniam non accedit: ne cõtra Senatũ feciſſe videatur. Delectus habitus in Macedonia est summo Hortensij studio & industria. cuius animũ egregium, dignumq; & ipsõ, & maioribus suis ex Bruti literis perspicere potuistis. Legio, quam L. Piso ducebat, legatus Antonij, Ciceroni se filio meo tradidit. Equitatus qui in Syriam ducebatur bipartito, alter eum à quo ducebatur reliquit in Thessalia: sesq; ad Brutũ contulit: alterũ in Macedonia Cn. Domitius adolescens summa virtute, & cõstantia ab Legato Syriaco abduxit. P. autẽ Vatinius, qui decimo anno iure laudatus à nobis, & hoc tẽpore merito laudandus est: aperuit Dyrrhachij portas Bruto, & exercitũ tradidit. Tenetur igitur populus Ro. Macedoniam: tenet Illyricum: tenetur Græciã: nostræ sunt legiones: nostra leuis armatura: nostri equitatus: maximeq; noster est Brutus: semperq; noster, cũ sua excellentissima virtute Reipub. natus tum fato quodam paterni maternig; generis, & nominis. Ab hoc igitur quisquam bellũ timet? qui ante quam nos id coactus suscepimus: in pace iacere, quàm in bello vigere maluit. quanquam ille quidem nunquam iacuit: nec hoc cadere verbum in tantam virtutis præstantiã potest. erat enim in desiderio ciuitatis: in ore, a sermone omnium. tantum autem aberat à bello: vt

cum cupiditate libertatis Italia arderet: defuerit ciuiũ studys potius, quàm eos in armorũ discrimen adducet. Itaq; illi ipsi, si qui sunt, qui tarditatem Bruti reprehendant: tamen eiusdem moderationẽ, patientiamq; mirentur. Sed video quid loquantur. neq; enim id occulte faciunt. timere se dicunt quomodo ferant Veterani, exercitũ Brutum habere. quasi vero quicquã interfit inter A. Hircij, C. Pansæ, D. Brutj, C. Cæsaris, & hunc exercitũ M. Bruti. Nam si quatuor exercitus y, de quibus dixi, propterea laudantur, quòd pro populi Romani libertate arma cœperint: quid est cur M. Bruti exercitus non in eadẽ causa reponatur? At enim Veteranis suspectũ est nomen M. Bruti, magis quàm Decimi. Equidẽ non arbitror. & si est enim Brutorũ cõmune factũ, & laudis societas: eo tamen D. Bruto iratiores sunt omnes y, qui id factũ dolebant: quo minus ab illo rẽ dicebant fieri decuisse. Quid ergo nunc agunt tot exercitus? nisi vt obsidione Brutus liberetur? qui autem hos exercitus ducunt? hi credo: qui Cæsaris res actas euerti, qui causam veteranorum prodi volunt? si ipse viueret Cæsar: acrius credo acta sua defenderet, quàm vir fortissimus defendit Hircius? aut amicior causæ potest inueniri, quàm filius? At eorum alter nondum ex longinquitate grauissimi morbi recreatus quicquid habuit virium, id in eorum libertatem contulit: quorum votis iudicauit se à morte reuocatum. alter virtutis robore firmior, quàm ætatis, cum istis ipsis veteranis ad D. Brutum liberandum profectus est. Igitur illi certissimi, iy demq; acerrimi Cæsaris actorum patroni pro D. Bruti salute bellum gerunt: quos veterani sequuntur. de libertate enim populi Romani non de suis commodis



modis armis decernendum vident. quid est igitur cur vis, qui D. Brutum omnibus copys conseruatum velint, M. Bruti sit suspectus exercitus? An vero si quid esset, quod à M. Bruto timendũ videretur: Pansa id nõ videret? aut si videret, non laboraret? quis aut sapientior ad tuendũ rerum futurarum? aut ad propulsandum malũ diligentior? Atqui huius animũ erga M. Brutũ iudiumq; vidistis. præcepit oratione sua quid decerneremus de Bruto, quid sentire oporteret: tantumq; abfuit vt periculosum Reipublicæ M. Bruti putaret exercitũ, vt eo firmissimum Reipub. præsidium & grauissimũ putaret. Scilicet hæc Pansa aut non videt (hebeti enim ingenio est) aut negligit? quæ enim Cæsar egit, ea rata esse nõ curat: de quibus confirmandis & sanciendis, legem comitys Centuriatis ex authoritate nostra laturus est. Desinant igitur aut y, qui non timent, simulare se timere, & prospicere Reipub. aut y qui omnia verentur: nimium esse timidi. ne illorum simulatio, horũ segnania. Quæ, malum, est ista ratio? semper optimis causis veteranorum nomen opponere? quorum etiamsi amplectierer virtutes, vt facio: tamen si essent arrogãtes: non possum ferre fastidium. An nos conantes seruitutis vincula rumpere, impediet si quis veteranos id nolle dixerit? non sunt enim credo innumerabiles, qui pro communi libertate arma capiant? nemo est præter veteranos milites vir, qui ad seruitutem propulsandam ingenio dolore excitetur? potest igitur stare Respub. freta veteranis sine magno subsidio iuuentutis? quos quidem libertatis adiutores complecti debetis. libertatis authores sequi nõ debetis. Postremo (erumpat enim aliquando vera & me digna vox) si veteranorũ

nutu mentes huius ordinis gubernantur, omniaq; ad eorum voluntatẽ dicta factaq; nostra referuntur: optanda mors est, quæ ciuibus Romanis semper fuit seruitute potior. omnis est misera seruitus: sed fuerit quædam necessaria: ecquod nam principium putatis libertatis capessendæ? an cũ illum necessarium, & fatalem pene casum non tulerimus: hunc feremus voluntarium? tota Italia desiderio libertatis exarsit: seruire diutius non potest ciuitas: serius populo Romano hunc vestitum atq; arma dedimus, quã ab eo flagitati sumus: magna nos quidem spe, & propè explorata, libertatis causam suscepimus. sed vt cõcedam incertos exitus esse belli, martemq; communem: tamen pro libertate, vitæ periculo decernendum est. non enim in spiritu vita est: sed ea nulla est omnino seruienti. omnes enim nationes seruitutem ferre possunt: nostra ciuitas non potest. nec vllam aliam ob causam: nisi quod illæ laborem dolorem q; fugiunt: quibus vt careant, omnia perpeti possunt. nos ita à maioribus instituti, atq; imbuti sumus: vt omnia consilia atq; facta ad virtutem atq; dignitatem referamus. ita præclara est recuperatio libertatis: vt ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. Quod si immortalitas consequeretur præsentis periculi fuga: tamen eo magis ea fugienda esse videretur: quo diuturnior esset seruitus. Cum vero dies, & noctes omnia nos undiq; fata circumstent: non est nostrum, nominisq; Romani dubitare, eum spiritum, quem natura quis debeat, patriæ reddere concurritur undiq; ad commune incendium restinguendum: veteraniq; primi Cæsaris auctoritatem secuti conatum Antony repulerunt: post eiusdẽ furorem Martia legio fregit: quarta afflixit. sic à suis legionibus



gionibus condemnatus irrupit in Galliam: quam sibi armis animisq; infestam inimicamq; cognouit. hunc A. Hircy, C. Cæsaris exercitus insecuti sunt: post Pansæ delectus vrbem, totamq; Italiam erexit. vnus est omnium hostis: quanquam habet secum L. fratrem charissimum Reip. ciuem: cuius desiderium ciuitas ferre diutius non potest. quid illa tetrius belua? quid immanius? qui ob eam causam natus videtur: ne omnium mortalium turpissimus esset Antonius. est vnà Trebellius: qui iam cũ tabulis nouis redit in gratiam: T. Plancus: cæteri pares. quid pugnant, id agunt, vt contra Remp. restituti esse videantur: sollicitant homines imperitos Saxa, & Caphones: ipsi rustici, atq; agrestes: qui hanc Remp. nec viderunt vnquam, nec videre constitutam volunt: qui non Cæsaris, sed Antony acta defendunt: quos auertit agri Campani infinita possessio: cuius eos non pudere miror: cum videant mimos, & mimas habere vicinos. Ad hæc pestes opprimẽdas quid est, cũ molestè feramus, quod M. Bruti accessit exercitus? immoderati credo hominis, & turbulenti. vide ne nimium penè patientis: & simillius viri consilijs, atq; factis, nec nimium, nec parũ vnquam fuit. omnis voluntas M. Bruti P.C. omnis cogitatio, tota mens, authoritatem Senatus, libertatem populi Romani tuetur: hæc habet proposita, hæc tueri vult: tentauit, quid patientia proficere posset: nihil cum proficeret: contra vim vi experiendũ putauit. cui quidem P.C. vos idem tribuere hoc tempore debetis: quod ad XIII Cal. D. Bruto, & C. Cæsari me authore tribuistis. eorũ priuatum de Rep. consilium et factum authoritate vestra est comprobatum, atq; laudatum. quod idem in M. Bruto facere debetis: à quo insperatum, & repenti-

num Reip. præsidium legionum, equitatus, auxiliorum magnæ & firmæ copiæ comparatæ sunt : adiungendusq; est Q. Hortensius: qui cum Macedoniam obtineat: adiutorem se Bruto ad comparandum exercitum fidelissimum et constantissimum præbuit. nam de Apuleio seperatim censeo referendum. cui testis est per literas Brutus: eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi. Quæ cum ita sint: quod Pansa Consul verba fecit de literis: quæ à Q. Cepione Bruto Procons. allatæ, & huic ordini recitatæ sunt: de ea re ita censeo. Cum Q. Cepionis Bruti Proconsulis opera, consilio, industria, & virtute, difficillimo Reip. tempore prouinciam Macedoniam, Illyricum, cunctam Græciam, legiones, exercitus, equitatus in Consulum, Senatus, populiq; Ro. potestate sint: id Q. Cepionem Brutum Procons. bene, & è Rep. & ex sua maiorumq; suorum dignitate, consuetudineq; Reip. bene gerendæ fecisse: eamq; rem Senatui populoq; Ro. gratam esse, & fore: vtiq; Q. Cepio Brutus Procons. prouinciam Macedoniam, Illyricum, totamq; Græciam tueatur: defendat: custodiat incolumemq; seruet: eiq; exercitui, quẽ ipse constituit, comparauit: præsit: pecuniaq; ad rẽ militarẽ, si qua opus sit, que publica sit: & exigi possit: vtatur: exigat: pecuniasq; à quibus videtur ad rem militarẽ mutuas sumat: frumentum imperet: operamq; det, vt cũ suis copijs quam proxime Italiã sit. Cumq; literis Q. Cepionis Bruti Procons. intellectum sit, Q. Hortensij Proconsulis opera & virtute vehementer Rempub. adiutam: omniaq; eius consilia cũ consilijs Q. Cepionis Bruti Proconsulis coniuncta fuisse: eamq; rem magno vsui Reip. fuisse: Q. Hortensium Procons. recte & ordine exq; Rep. fecisse: Senatui placere Q. Hortensium Procons. cum Q. Cepione Procons. & legatis suis Macedoniam prouinciam obtinere quoad ex S.C. successum sit.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA VNDECIMA. ORATIO LIIII.

MAgno in dolore sum P.C. vel mœrore potius: quem ex crudeli, & miserabili morte C. Trebony optimi ciuis, moderatissimiq; hominis accepimus. inest tamen aliquid, quod Reip. profuturum putem. perspeximus enim quanta in his, qui contra patriã scelerata arma cœperunt, inesset immanitas. nam duo hæc capita nata sunt post homines natos teterrima, & spurcissima, Dolabella, & Antonius: quorum alter effecit, quod optabat: de altero patefactum est, quid cogitaret. L. Cinna crudelis: C. Marius in iracundia perseuerans, L. Sylla vehemens: neq; vllius horũ in vlciscendo acerbitas progressa vltra mortem est. quæ tamen pœna in cines nimis crudelis putabatur. Ecce tibi geminũ in scelere par, inusitatum, inauditum, ferũ, barbarum. Itaq; quorum summum quondam inter ipsos odium, bellum q; meministis: eos dẽ postea singulari inter se consensu, & amore deuinxit impurissimæ naturæ, & turpissimæ vitæ similitudo. ergo id, quod fecit Dolabella, in quo potuit: multis idem minatur Antonius. sed ille cum procul abesset à consulibus, exercitibusq; nostris: nec dũ Senatum cum populo Ro. conspirasse sensisset: fretus Antonij copijs ea scelera suscepit: quæ iam Romæ suscepta arbitrabatur à socio furoris. quid ergo hunc aliud meliri? quid optare censetis? aut quam omnino causam esse belli? omnes qui libere de Rep. sensimus: qui dignas nobis



his sententias diximus: qui populum Ro. liberum esse voluimus: statuit ille quidẽ non inimicos, sed hostes. maiora in nos quàm in hostem supplicia meditatur. mortem naturæ pœnam putat esse: iracundiæ tormentũ atq; cruciatum. qualis igitur hostis habendus est is, à quo victore si cruciatus absit: mors in beneficij partem numeretur? quamobrem P.C. quanquam hortatore non egetis: ipsi enim vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandæ cupiditatem, tamen eo maiore studio libertatem defendite: quo maiora proposita victis supplicia seruitutis videtis. In Galliã inuasit Antonius: in Asiam Dolabella alteram alteram vterq; prouinciam. alteri se Brutus obiecit impetumq; furentis atq; omnia diuexare, & diripere cupientis, vitæ suæ periculo colligauit, à progressu arcuit: à reditu refrenauit: obsideri se passus ex vtraq; parte constrinxit Antonium. alter in Asiã irrupit cursim: cui in Syriam patebat via certa, neq; longa. quid opus fuit cum legione, præmisso Marso nescio quo Octauio sceleratorum latrone atq; egente? qui popularetur agros: vexaret vrbes, non ad spem constituendæ rei familiaris, quam tenere eum posse negant qui norunt (mihi enim hic Senator ignotus est) sed ad præsentem pastum mendicitatis suæ. consecutus est Dolabella in nulla suspitione belli. quis enim id putaret? secutæ collocutiones familiarissimæ cum Trebonio, complexusq; summæ benevolentiæ: falsi indices extiterunt in amore simulato: dextræ quæ fidei testes esse solebant: perfidia sunt & scelere violatæ. qui nocturnus introitus in Smyrnam? quasi in hostium vrbem? quæ est fidelissimorum antiquissimorumq; sociorum. oppressus Trebonius, si vt ab eo, qui aperte hostis esset, incautus: si vt ab eo, qui

ciuis etiam tum speciem haberet, miser. ex quo nimirũ documentum nos capere fortuna voluit: quid esset vitiũ extimescendum. consularem hominẽ consulari imperio prouinciam Asiam obtinentẽ Samario exuli tradidit interficere statim captum noluit: ne nimis credo in vitiosis liberalis videretur: cum verborũ contumelys optimum virum in cesto ore lacerasset: tum verberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ, idq; per biduum: post autem ceruicibus caput abscidit: idq; fixum gestari iussit in pila: reliquum corpus tractum, atque laceratum abiecit in mare. cum hoste hoc bellandum est: cuius teterrima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de cæde ciuium Romanorum? de direptione fanorum? quis est qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? & nunc tota Asia vagatur: volitat vt rex: nos alio bello detineri putat. quasi vero non vnum idemq; bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium. Imaginem Antony crudelitatis in Dolabella cernitis. ex hoc illa effecta est: ab hoc illa Dolabellæ scelerum præcepta sunt tradita. nunc leniorem quàm in Asia Dolabella fuit: in Italia, si liceat, fore putatis Antonium? mihi quidem & illi peruenisse videtur: quoad progredi potuerit fieri hominis amentia. neq; Antonius vllius supplicy adhibendi, si potestatem habeat, vllam partem est relicturus. Ponite igitur ante oculos P.C. miseram quidem illam & flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam: nocturnum impetum in vrbem Asiæ clarissimam: irruptionem armatorum in Trebonij domum: cui ille miser prius latronum gladios videret, quàm quæres esset audisset: furentis introitũ Dolabellæ: vocem impuram. atq; os illud infame: vincula, verbera, eculeum, carnificem, tortorem q; Samarium. quæ tulisse illum fortiter & patienter ferunt. magna laus, meo q; iudicio omnium maxima. est enim sapientis, quicquid hominii accidere possit, ad præmeditari: ferendum modice si aduenerit esse. maioris est omnino consilij, prouidere, ne quid tale accidat: sed animi non minoris, fortiter ferre si euenerit. At Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis (quanquam eius nunquam particeps fuerit) vt suam insaciabilem crudelitatem exercuerit, non solum in viuo, sed etiam in mortuo. at in eius corpore lacerando atq; vexando cũ animum saciare non posset, oculos pauit suos. O multo miserior Dolabella, quàm ille quem tu miserrimũ esse voluisti. dolores Trebonius pertulit magnos. multi, ex morbi grauitate maiores: quos tamen non miseros, sed laboriosos solemus dicere. Longus fuit dolor bidui. at compluribus hominibus annorum sæpe multorũ. nec grauiora vere sunt carnificum tormenta: quàm interdum cruciamenta morborum. Alia sunt, alia inquam, ò perditissimi homines, & amentissimi, multo miseriora. Nam quo maior vis est animi, quã corporis: hoc sunt grauiora ea, quæ concipiuntur animo: quàm illa, quæ corpore. miserior igitur, qui suscipit in se solus: quàm is, qui alterius facinus subire cogitur. cruciatus est a Dolabella Trebonius. & quidem a Carthaginensibus Regulus. in qua re cum crudelissimi Pœni iudicati sint in hoste: quid in ciue de Dolabella iudicandum est? An vero hoc conferendum est? an dubitandum vter miserior? is ne, cuius mortem Senatus populusq; Ro. vlciscetur: an is, qui cuncti Senatus sententia hostis est iudicatus? nam cæteris quidem vitæ partibus,

bus, quis est, qui possit sine Trebony maxima contumelia conferre vitam Trebony cũ Dolabella? alterius consilium, ingenium, humanitatem, innocentiam, magnitudinem animi in patria liberanda, quis ignorat? alteria puero pro delicijs crudelitas fuit. deinde ea libidinum turpitudo, vt in hoc sit semper lætatus: quod ea faceret, quæ sibi obijcine ab inimico quidem possent verecundo. Et hic, dij immortales, aliquando fuit meus amicus. occulta enim erant vicia non inquirenti, neque nunc fortasse alienus ab eo essem: nisi ille vobis, nisi omnibus patriæ, nisi huic vrbi, nisi dijs penatibus, nisi aris & focis omnium nostrum, nisi denique naturæ & humanitati inuentus esset inimicus. à quo admoniti diligentius & vigilantius caueamus Antonium. Etenim Dolabella nõ ita multos secum habuit notos, ac insignes latrones. At videtis quot, & quàm multos habeat Antonius. Primum L. fratrem, quam facem dij immortales? quod facinus? quod scelus? quem gurgitẽ? quam voraginem? quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censeri? in cuius possessiones atq; fortunas non impudentissimos oculos spe & mente defigere? quid Censorinum? qui se verbo Prætorem esse vrbanum cupere dicebat: re certe noluit. quid Bestiam? qui se Consulatum in Brutilocum petere profitetur. atque hoc quidem detestabile omen auertat Iupiter. quàm absurdum autem qui Prætor fieri non potuerit, petere eum consulatum? nisi forte damnationem pro Prætura putat. alter Cæsar Vopiscus, ille homo summo ingenio, summa potentia: qui ex Aedilitate Consulatum petit: solnatur legibus: quanquam leges eum non tenent. credo dignitate. at hic me defendente quin iuris



quinquies absolutus est. sexta palma vrbana etiam in gladiatore difficilis. sed hæc iudicum culpa, nõ mea est. ego defendi fide optima. illi debuerunt clarissimũ, & præstantissimum Senatorem in ciuitate retinere. qui tamen nunc nihil aliud agere videtur: nisi vt intelligamus illos iudices, quorum res iudicatas irritas fecimus: bene, & è Repub. iudicauisse. Neq; hoc in hoc vno est. sunt alij in eisdem castris honeste condemnati: turpiter restituti. quod horum consilium, qui omnibus bonis hostis sunt: nisi crudelissimum putatis fore? Accedit Sassia nescio quis: quem nobis Cæsar ex vltima Celtiberia tribunum pl. dedit: castrorum antea metator, nunc, vt ferat, vrbis: à qua, cũ sit alienissimus, suo capiti saluis nobis dominetur. cum hoc veteranus Capho: quo neminem veterani peius oderunt. His, quasi præter dotẽ, quam in ciuilibus malis acceperant, agrũ Campanum est largitus Antonius: vt haberent aliquorum nutricu las prædiorũ. quibus vtinam contenti essent. ferremus: & tolerabile non erat. sed quiduis patiendum fuit: vt hoc terrimum bellũ non haberemus. Quid illa castrorum M. Antonij lumina, nonné ante oculos proponi? primum duos collegas Antoniorum, & Dolabellæ, Nuculum, & Lentonem, Italiæ diuisores lege ea, quam Senatus per vim latam iudicauit: quorũ alter commentatus est mimos: alter egit Tragœdiã. Quid dicam de Apulo Domitio? cuius bona modo proscripta vidimus tanta procuratorũ est negligentia. at hic nuper patris filio infudit venenum, non dedit. Sed non possunt non prodire, & viuere: qui nostra bona sperant, cum perdunt sua. Videre etiam P. Decij auctionem clarissimi viri: qui maiorum suorum exemplum persequens,

pro alieno se ære devouit. emptor tamen in ea auctione inventus est nemo. O hominem ridiculum: qui se exire ære alieno putaret posse: cum venderet aliena. Nam quid ego de Trebellio dicam? quam multæ videntur furiæ debitorum? vindicis enim tabularum novarum novam tabulam vidimus. quid de Planco? qui præstantissimos cives Aquila, Pollentia expulit: & quidem crure fracto. quod utinam ante illi accidisset: ne huc redire potuisset. Lumen & decus illius exercitus pene pretery, Caninium Cimbrum Lysidici filium, Lysidicum ipsum in Græco verbo, qui omnia iura dissoluit: nisi fratre iure germanum Cimber occidit. cum hanc, & huius generis copiam tantam habeat Antonius: quod scelus omittet? cum Dolabella tantis se obstrinxerit paradys. nequaquam pari latronum manu et copia? Quapropter ut invitus sæpe dissensi à Q. Fusio: ita sum eius sententiæ libenter assensus. ex quo iudicare debetis, me nec cum homine sölere, sed cum causa dissidere. Itaq; non assentior sölum, sed etiam gratias ago Q. Fusio. dixit enim seueram, grauem, Rep. dignam sententiam: iudicauit hostem Dolabellam: bona eius censuit publice possidenda. quo cum addi nihil posset: quid enim atrocius potuit, quid seuerius decernere? dixit tamen si quis eorum, qui post se rogati essent, grauiorem sententiam dixisset: in eam se iturum. quam seueritatem quis potest non laudare? Nunc quoniã iudicatus est hostis Dolabella: bello est persequendus. neq; enim quiescet. habet legionem: habet fugitiuos: habet sceleratam impiorum manum: est ipse confidens, impetosus, gladiatorio genere mortis addictus. quamobrem quoniam cum Dolabella hesterno die hoste decreto bellum gerendum est. Imperator est deligendus. Duæ dictæ sunt sententiæ: quarum neutram probo. Alteram, quia semper, nisi cũ id necesse, periculosam arbitror. alterã, quia alienã his temporibus existimo. Nam extraordinarium semper imperiũ populare atq; ventosum est: minime vestræ gravitatis: minime huius ordinis. Bello Antiochi magno, & graui, cum L. Scipioni Publy fratri obuenisset Asia, parumq; in eo putaretur esse animi, parũ roboris: senatumq; ad Collegam eius C. Lælium huius sapientis patrem negocium adferret: surrexit P. Africanus frater maior L. Scipionis: & illam ignominiã familiæ deprecatus est: dixitq; & in fratre suo summã virtutem esse, summumq; consilium: neq; se ei legatũ id ætatis, hisq; rebus gestis defuturum. quod cũ ab eo esset dictũ: nihil est de Scipionis provincia cõmutatũ. nec plus extraordinarium Imperium ad id bellum quæsitum: quàm duobus antea maximis Punicis bellis, quæ à consulibus, aut à Dictatoribus gesta & cõsumata sunt: aut quàm Pyrrhi, quam Philippi, q̃ post Achaico bello, quã Punico tertio: ad quod pop. Ro. ita ipse sibi delegit idoneum ducem P. Scipionem: ut eũ tamen bellũ gerere Consulẽ vellet. Cum Aristonico bellũ gerendum fuit L. Valerio, P. Licinio Consulibus. rogatus populus, quẽ id bellũ gerere placeret: Crassus consul, Pontifex maximus, Flacco collegæ flamini Martiali mulctam dixit, si à sacris discessisset. quã mulctam popu. Ro. remisit: Pontifici tamen flamini parere iussit. sed ne tũ quidem populus Rom. ad priuatum detulit bellũ. quanquam erat Africanus: qui anno antea de Numantinis triumphauerat. qui cũ lõgo omnes belli gloria & virtute superaret: duas tantum

tribus tulit. Itaq; pop. Ro. Consuli potius Crasso, quam priuato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeij imperijs summi viri, atq; omniũ principis, tribuni pl. turbulenti tulerunt. nam Sertoriani bellũ à Senatu priuato datum est: quia Consules recusabant: cum L. Philippus pro Consulibus se eum mittere dixit, non pro Consule. Quæ igitur hæc comitia? aut quam ambitionem constantissimus & grauissimus ciuis L. Cæsar in Senatum introduxit? clarissimo viro atq; innocentissimo decreuit Imperium. priuato tamen. in quo maximum nobis onus imposuit. assensero. ambitionem induxero in Curiam. negauero. suffragio meo, tanquã comitys, homini honorem amicissimo denegauero. Quod si comitia placet in Senatu habere: petamus: ambiamus: tabula modo noua detur nobis: sicut populo data est. cur comitys Cæsar? ita, vt aut præstantissimus vir, si tibi nõ sit assensum, repulsam tulisse videatur: aut vnusquisq; nostrum præteritus: si, cum pari dignitate simus, eodem honore digni non putemur. At enim (namid exandio) Cæsari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi. Ille enim mihi præsidiũ extraordinarium dederat. cum dico mihi, Senatui dico, populoq; Romano à quo Respub. præsidium ne cogitatum quidem tantum haberet: vt sine eo salua esse non posset. huic extraordinarium Imperium non darem? aut exercitus adimendus: aut imperium dandum fuit. qua est enim ratio? aut qui potest fieri? vt sine Imperio teneatur exercitus? non igitur quod ereptum non est: id deberi existimandum esse datum. eripuissetis C. Cæsari P.C. imperium, nisi dedissetis. milites veterani, qui illius authoritatem, imperium, nomen secuti pro Repub. arma cœperant: volebant sibi ab illo imperari: Legio Martia, & Quarta, ita se contulerat. ad authoritatem Senatus, populiq; Ro. dignitatem: vt eum deposcerent Imperatorem, & ducem. Imperium Cæsari belli necessitas, fascis Senatus dedit. ocio vero, nihil agenti, priuato, obsecro te L. Cæsar (cum peritissimo homine mihi res est) quando Imperium Senatus dedit? Sed de hoc quidem hactenus. ne refragari homini amicissimo, ac de me optime merito videar. & si quis potest refragari non modo non petenti, verum etiam recusanti?

Illa vero P. C. aliena consulum dignitate, aliena temporum grauitate sententia est: vt Consules Dolabellæ persequendi causa Asiam & Syriam sortiantur. Dicam cur inutile Reipublicæ. sed prius quàm turpe Consulibus sit videte. Cum consul designatus obsideatur: in eoq; liberando salus sit posita Reipublicæ: cumq; à Rep. pestiferi cives, parricidaq; desciuerint: cumq; id bellum geramus: quo bello de dignitate, de libertate, de vita decernamus: & si in potestatem quis Antonij venerit: proposita sint tormenta atq; cruciatus: cumq; hanc rerum omniũ decertatio Consulibus optimis & fortissimis cõmissa & commendata sit: Asiæ & Syriæ mẽtio fiet? vt aut suspicioni crimen, aut inuidiæ materiam dedisse videamur. At vero ita decernunt: vt liberato Bruto. id enim restabat, vt relicto, deserto, prodito. Ego vero mentionem prouinciarum factam dico alienissimo tempore: quamuis enim intentus animus tuus sit C. Pansa sicut est, ad fortissimum virum, & omnium clarissimũ liberandum: tamen rerum natura cogit te necessario referre animum aliquando ad Dolabellam persequendum: & partem aliquam in Asiam

& Syriam deriuare curæ, & cogitationis tuæ. Si autem fieri posset: vel plureis te animos habere vellem: quo omnes ad Mutinam intenderes. quod quoniã fieri non potest: istoc animo, quem habes præstantissimũ atq; optimũ, nihil volumus nisi de Bruto cogitare. facis tuid quidem: & eò maxime incumbis: duas tamen res, magnas præsertim, non modo agere vno tempore, sed ne cogitando quidẽ explicare quisquam potest. incitare & inflammare istud tuum præstantissimũ studium, non ad aliam vlla ex parte curam transferre debemus: adde istuc sermones hominum: adde suspiciones: adde inuidiam. imitare me: quem tu semper laudasti: qui instructam, ornatamq; à Senatu prouinciam deposui: vt incendium patriæ omissa omni cogitatione restinguerẽ. nemo erit, præter vnum me, qui cum profectò, si quid interesse putasses tua: pro summa familiaritate nostra cõmunicauisses: qui credat te inuito prouinciam tibi esse decretam. hanc quasi pro tua singulari sapientia reprime famam: atq; effice, vt id quod non curas, cupere videare. quod quidẽ vehementius eò tibi laborandum est: quia in eandem cadere suspicionem Collega vir clarissimus non potest. nihil horum scit: nihil suspicatur: bellum gerit: in acie stat: de sanguine, & de spiritu decertat: ante prouinciã sibi decretam audiet: quàm potuerit tẽpus ei rei datum suspicari. Vereor ne exercitus quoq; nostri, qui non delectus necessitate, sed voluntarijs studijs se ad Rempub. contulerunt, tardentur animis: si quicquã aliud nobis, nisi de instanti bello cogitatũ putabunt. Quod si prouinciæ Consulibus expetendæ videntur: sicut sæpe multis clarissimis viris expetita sunt: reddite prius nobis Brutum, lumen, & decus ciuitatis:



ciuitatis: qui ita conseruandus est: vt id signum, quod cœlo delapsum Vestæ custodys continetur: quo saluo, salui sumus futuri. hunc vel in cœlum, si fieri poterit, nostris humeris tollemus: prouincias certe dignissimas võbis deligemus. nunc quod agitur agamus. agitur autem, liberine viuamus: an mortem obeamus. quæ certe seruituti anteponenda est. Quid si etiam affert tarditatem ipsa sententia ad Dolabellã persequendum? quando enim veniet Consul? an id expectamus, quo ne vestigiũ quidem Asiæ ciuitatum, atq; vrbium relinquatur? At mittent aliquem de suo numero. valde mihi probari potest, qui paulo ante clarissimo viro priuato Imperium extra ordinem non dedi. At hominem dignum mittent. nũ P. Seruilio digniorem? at eũ quidem ciuitas non habet. quod ergo ipse nemini putat dandũ, ne à Senatu quidẽ: id ego vnius iudicio delatum comprobem? Expedito nobis homine, & parato P.C. opus est: & eo, qui imperium legitimũ habeat: qui præterea auctoritatem, nomen, exercitum, perspectum animum in Reipub. liberanda. Quis igitur is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut vterq;. Decernerem planè, sicut multa, consulẽ alterum ambos ne: ni Brutum colligasse nos in Græcia: & eius auxilium ad Italiam vergere, quàm ad Asia maluissemus: non vt ex ea acie auxiliũ haberemus: sed vt ipsa acies subsidiũ haberet etiã transmarinum. Præterea P.C. M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius: qui tenet Apolloniam magnã vrbẽ, & graue. tenet opinor Hellidem: tenet Amantiã: instat Epiro: vrget Illyricũ: habet aliquot cohortes: habet equitatum. hinc si Brutus erit traductus ad aliud bellum:

Græciam certe amiserimus. Est autem etiã de Brundusio, atq; illa ora Italiæ prouidendum. quanquã miror tã diu morari Antonium. solet enim accipere ipse manicas: nec diutius obsidionis metum sustinere. quod si confecerit Brutus: & intellexerit plus sẽ Reip. profuturum, si Dolabellã persequatur, quàm si in Græcia maneat: aget ipse per se: vt adhuc quoq; fecit: neq; in tot incendijs, cum confestim succurendum est, expectabit Senatum. nam & Brutus & Cassius multis iam in rebus ipse sibi Senatus fuit. necesse est enim in tanta concursatione perturbationem, rerum temporibus potius parere, quàm moribus. nec enim nunc primũ aut Brutus, aut Cassius salutẽ libertatemq; patriæ legẽ sanctissimã, & morem optimũ iudicauit. Itaq; si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo: tamẽ ego pro decreto putarẽ: cũ essent tales virtute, authoritate, nobilitate summi viri: quorũ alterius iam notus nobis est exercitus: alterius auditus. Non igitur Brutus expectauit decreta nostra: cum studia nosset. neq; enim est in prouinciam suam Cretam profectus: in Macedoniam alienam aduolauit: omnia sua putauit: quæ vos vestra esse vellet is: legiones conscripsit nouas: excæpit veteres: equitatum ad se abduxit Dolabellæ: atq; eum nondũ tanto parricidio oblitũ, hostem sua sententia iudicauit. nãni ita esset: quo iure equitatem à Consule abduceret? Quid C. Cassius pari magnitudine animi & consilij præditus, nonné eo ex Italia consilio profectus est: vt prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo iure? eo, quod Iupiter ipse sanxit: vt omnia quæ Reip. salutaria essent: legitima & iusta haberentur. Est enim lex nihil aliud: nisi recta, & à numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens



contraria. Huic igitur legi paruit Cassius: cum esset in Syriam profectus, alienam prouinciam, si homines legibus scriptis vterentur: his vero oppressis, suam legem naturæ. Sed vt ex vestra quoq; authoritate firmetur, censeo: Cum P. Dolabella, quicq; eius crudelissimi, & vecordissimi facinoris ministri, socij, adiutores fuerunt: hostes populi Ro. à Senatu iudicati sint: cumq; Senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit: vt is, qui omnia deorum, hominumq; iura nouo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit, nefarioq; patriæ se parricidio obstrinxerit: pœnas dijs, hominibusq; meritas, debitasq; persoluat: Senatui placere C. Cassium Proconsulem prouinciam Syriam obtinere: vt qui eam optimo iure prouinciam obtinuerit: eumq; à Q. Martio Crispo Proconsule, L. Scauro proconsule, A. Plotio Legato exercitus accipere: eosq; ei tradere: cumq; his copijs, & si quas præterea parauerit, bello P. Dolabellã terra mariq; persequi eius belli gerendi causa, quibus ei videatur, naues, nautas, pecunias, cæteraq;, quæ ad bellum gerendũ pertineant: vt imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto, eius potestatem q; habeat: vtq;, quancunq; in prouinciam eius belli gerendi causa aduenerit: ibi maius imperium C. Cassij proconss. sit: quàm eius erit, qui eam prouinciam obtinebit. Cum C. Cassius proconss. in eam prouinciam venerit: regem Deiotarum patrem, & regem Deiotarum filium, si vt multis bellis sæpenumero imperium populi Ro. iuuerint: item C. Cassium proconsulem copijs suis opibusq; iuuissent: Senatui populoq; Ro. gratum esse facturos. Item si cæteri Reges, Tetrarchæ, Dynastæq; fecissent: S. P. q. Ro. eorum officij non immemorem futurum. vtq; C. Pansa, A. Hircius Consules, al-

ter, ambo'ue, si eis videretur: Rep. recuperata, de prouincijs Consularibus, Prætorijs, ad hunc ordinem primo quoq; tempore referant. interea prouinciæ ab his, quibus obtinentur, obtineantur: quoad cuiq; ex S.C. successum sit. Hoc senatus consulto ardentem inflammabitis, & armatum armabitis Cassium. nec enim animũ eius potestis ignorare, nec copias. animus is est quem videtis: copiæ, quas audistis fortis & constantis viri: qui ne vino quidem Trebonio Dolabellæ latrocinium in Syriã penetrare siuisset. Halienus familiaris & necessarius meus post interitũ Trebonij profectus, ne dici quidem si Legatum Dolabellæ volet. Est Q. Cæcilij Bassi priuati illius quidẽ, sed fortis & præclari viri robustus & victor exercitus. Deiotari Regis & patris & filij & magnus & nostro more instructus exercitus. summa in filio spes: summa ingenij indoles: summaq; virtus. quid dicam de patre? cuius beneuolentia in populũ Ro. est ipsius æqualis ætati: qui non solum socius imperatorũ nostrorum fuit in bellis: sed etiam dux copiarum suarum. quæ de illo viro Sylla? quæ Murena? quæ Seruilius? quæ Lucullus? quàm honorarè? quàm honorificè, quàm grauiter sæpe in Senatu prædicauerũt? quid de Cn. Pompeio loquar? qui vnum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereq; beneuolum, vnum fidelem populo Ro. iudicauit. Fuimus Imperatores nuper ego & M. Bibulus in ppinquis finitimisq; prouincijs. ab eodẽ Rege adiuti sumus & equitatu, & pedestribus copijs. secutum est hoc acerbissimum & calamitosissimum ciuile bellum. in quo quid faciendum Deiotaro? quid omnino rectius fuerit, dicere non est necesse: præsertim, cum contra ac Deiotarus sensit, victoria belli iudicauerit. quo in bello sisiuit



sisiuit error: communis ei fuit cum Senatu. sin recta sententia: ne victa quidem causa vituperanda est. Ad has copias accedent alij reges. etiam delectus accedent. neq; vero classes deerunt. tanti Tyry Cassium faciunt: tanti eius in Syria nomen, atq; Phœnicia est. Paratum habet Imperatorem C. Cassium P. C. Resp. contra Dolabellã: nec paratum solum: sed peritum atq; fortẽ. magnas ille res gessit ante Bibuli summi viri aduentum: cum Parthorum nobilissimos duces, magnas copias fudit: Syriamq; immani Parthorũ impetu liberauit. maximam eius & singularem laudem prætermitto. cuius enim prædicatio nondum omnibus grata est: hanc memoriæ potius quã vocis testimonio conseruemus. Animaduerti P. C. dici iam à quibusdam exornari etiam nimium à me Brutũ. nimium Cassiũ ornari. Cassio vero sententia mea dominatũ & principatũ dari. Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta Reip. quid D. Brutum? nonne omnibus sententijs semper ornaui? num igitur reprehenditis? an Antonios potius ornarẽ, non modo suarum familiarũ, sed populi Ro. nominis probra, atq; dedecora? an Censorinũ ornem in bello hostem? in pace seorem? an cætera ex eodem latrocinio naufragia colligam? Ego vero istos ocy, concordiæ, legum, iudiciorum, libertatis inimicos tantum abest vt ornem: vt effici non possit, quin eos tam oderim, quàm Remp. diligo. Vide inquit ne veteranos offendas. hoc enim vel maxime exaudio. Ego autẽ veteranos tueri debeo: sed hos, quibus sanitas est, certo timere non debeo. eos vero veteranos, qui pro Rep. arma cœperunt: secutiq; sunt C. Cæsarem authoritate beneficiorum paternorum: hodieq; Remp. defendunt cum magno periculo: non tueri solum, sed

etiam

etiam augere commodis debeo. qui autem quieſcunt: vt VII, & VIII legio: in magna gloria & laude ponendos puto. comites vero Antonij, qui poſt quam beneficia Cæſaris comederunt: Conſulem deſignatum obſederunt: huic vrbi ferro, igniq; minitantur: Saxæ ſe & Caphoni tradiderunt ad facinus prædamq; natis: num quis eſt qui tuendos putet? Ergo aut boni ſunt, quos etiã ornare: aut quieti, quos conſeruare debemus: aut impij, quorum contra furorem & bellum & iuſta arma cepimus. quorum igitur veteranorum animos ne offendamus, veremur? eorum ne qui Brutum obſidione cupiunt liberare? quibus cum Bruti ſalus chara ſit: qui poſſunt Caſſij nomen odiſſe? an eorum, qui vtriq; armis vacant? non vereor ne acerbus ciuis quiſquam iſtorum ſit: qui ocio delectantur. tertio vero genere non militum veteranorum, ſed importuniſſimorum hoſtium cupio quàm acerbiſſimũ dolorem inurere. quanquam P. C. quouſq; dicemus ſententias veteranorum arbitratu? quod eorum tantum faſtidium eſt? quæ tanta arrogantia? vt ad arbitrium eorum Imperatorem etiam deligamus? Ergo autem (dicendum eſt enim P. C. quod ſentio) non tam veteranos intuendos nobis arbitror: quàm quid tyrones milites, flos Italiæ, quid nouæ legiones ad liberandum patriam paratiſſimæ, quid cuncta Italia de veſtra grauitate ſentiat. nihil enim ſemper floret: ætas ſuccedit ætati: diu legiones Cæſaris viguerunt: nunc vigent Panſæ: vigent Hircy: vigent Cæſaris filij: vigent Planci. vincunt numero: vincunt ætatibus: nimirum etiam authoritate vincunt. id enim bellum gerunt: quod ab omnibus gentibus probatur. Itaq; his præmia promiſſa ſunt, illis perſoluta. fru-



antur illis: vel perſoluantur his, quæ ſpopondimus. id enim deos immortales ſpero æquiſſimum iudicare. Quæ cum ita ſint: eam, quam dixi ſententiam, vobis P.C. cenſeo comprobandam.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DVODECIMA

## ORATIO LII.

TSi minime decere videtur P.C. falli, decipi, errare eum: cui vos maximis sæpe de rebus assentiamini: consolor me tamen: quoniam vobiscum pariter & vna cum sapientissimo consule erraui: nam cum duo Consulares spem honestæ pacis nobis attulissent: quod erant familiares M. Antonij: quod domestici: nosse aliquod eius vulnus, quod nobis ignotum esset, videbantur. apud alterum vxor, liberi: alter quotidie literas mittere: accipere: aperte fauere Antonio. hi subito hortari ad pacem, quod iam diu non fecissent. non sine causa videbantur. accessit consul hortator. at quis consul? si prudentiam quærimus, qui minime falli posset: si virtutem, qui nullam pacẽ probaret, nisi Antonio cedente, atq; victo: si magnitudinem animi, qui præferret mortem seruituti. Vos autem P.C. non tam immemores vestrorum grauissimorum decretorum videbamini: quàm spe allata deditionis, quam amici pacem appellarent: de imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. auxerat autem meam quidem spem: credo item vestram: quod domum Antony afflictam mœstitia audiebam: lamentari vxorem. hinc etiam fautores Antonij, quorum in vultu habitant oculi mei: tristiores videbam. Quod si non ita est: cur à Pisone, & à Caleno potissimum? cur hoc tempore? cur tam improuiso? cur tam repente pacis facta est mentio? negat Piso se scire: negat audisse quicquam: negat Calenus rem vllam



vllam nouam allatam esse. atq; id nunc negant: posteaquã nos pacificatoria legatione implicatos putant. quid ergo opus est nouo consilio? si in re nihil omnino noui est? decepti, decepti inquã sumus Patres Conscripti: Antony est acta causa ab amicis eius, non publica. quod videbã equidem: sed quasi per caliginem perstrinxerat aciem animi Bruti salus. Quod si in bello dari vicarij solerent: libenter me vt D. Brutus emitteretur: pro illo includi paterer. atq; hac voce Q. Fusij capti sumus. ne si à Mutina quidem recesserit: audiemus Antonium? ne si in Senatus potestate futurum se dixerit? durum videbatur. atq; fracti sumus. cessimus. recedit igitur à Mutina? nescio. paret Senatui? credo inquit Calenus: sed ita, vt teneat dignitatem. valde vobis hercule laborandũ est P. C. vt vestram dignitatem amittatis: quæ maxima est: Antonij, quæ neq; est vlla: neq; esse potest: retineatis: vt eam per vos recuperet: quam per se perdidit. si iacens id nobiscum ageret, audire fortasse. quanquã (sed hoc malo dicere) audirẽ. instanti resistendũ est: aut cõcedenda quàm cum dignitate libertas. At non est integrum: constituta legatio est. Quid autem integrum non est sapienti, quod restitui potest? cuiusuis est hominis errare: nullius, nisi insipientis, perseuerare in errore. posteriores enim cogitationes (vt aiunt) sapientiores solent esse. discussa est illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit: patet: videmus omnia: neq; per nos solum: sed admonemur à nostris. attendistis paulo ante præstantissimi viri, quæ esset oratio. mœstam, inquit, domum offendi, coniugem, liberos. admirabantur boni viri: accusabant amici: quod spe pacis legationem suscepissem. nec mirum P. Seruili: tuis enim verissimis, grauissimisq; sententijs omni est nõ

dico

dico dignitate, sed etiam spe salutis spoliatus Antonius: ad eum ire te legatum quis non miraretur? de me experior: cuius idem consilium, quod tuum, sentio quàm reprehendatur. nos reprehendimur soli? quid? vir fortissimus. Pansa sine causa tam accurate paulo ante locutus est tam diu? quid egit? nisi vti falsam à se suspicionem depelleret? vnde autem est ista suspicio? ex pacis patrocinio repentino: quod subito suscepit eodem captus errore, quo nos. Quod si est erratum P.C. spe falsa, atq; fallaci: redeamus in viam. optimus est portus pœnitenti mutatio consilij. quid enim per deos immortales potest Reip. prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si etiam obfutura est? obfutura? quid si etiam nocuit? an vos acerrimam illam, & fortissimam populi Ro. libertatis recuperandæ cupiditatem, non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita? quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio quo contra commune incendium exarserat? an non putamus fore: vt eos pœniteat professos esse & præscripsisse odium in Antonium: qui pecunias polliciti sunt: qui arma, qui se totos, & animis, & corporibus in salutem Reip. contulerunt? quem admodum vestrum consilium hoc Capua probabit? quæ temporibus his Roma altera est. Illa impios ciues iudicauit: eiecit: exclusit. illi, illi inquam vrbi fortissimæ conanti, è manibus est ereptus Antonius. quid? legionũ nostrarũ neruos non ne his consilijs incidimus? quis est enim, qui ad bellum inflammato animo sit futurus spe pacis oblata? ipsa illa Martia, cœlestis, & diuina legio, hoc nuncio languescet, & mollietur: atq; illud pulcherrimum nomen Martium amittet: excident gladij fluent arma de manibus. Senatum enim secuta, non arbitratur se graniore odio debere esse in Antonium, quàm Senatum. pudet huius legionis: pudet Quartæ: quæ pari virtute nostram authoritatem probans, nõ vt Consulem, & Imperatorem suum, sed vt hostem, & oppugnatorem patriæ reliquit Antonium: pudet optimi exercitus: qui coniunctus est ex duobus: qui iã lustratus, qui profectus ad Mutinam est: qui si pacis, id est timoris nomen audiuerit: vt non referat pedem, insistet certe. quis enim reuocante, & receptui canente Senatu pugnare dimicare? Quid autem hoc iniustius? quàm nos inscientibus his qui bellum gerunt, de pace decernere? nos solum inscientibus, sed etiam inuitis? An vos A. Hirtium præclarissimum consulem C. Cæsarem deorum beneficio natum ad hac tempora, quorũ epistolas ipsam victoriæ declarantes in manu teneo: pacẽ velle cẽsetis? vincere illi expetunt: pacis, dulcissimum & pulcherrimũ nomen, non pactione, sed victoria concupierunt. quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? illa enim huius belli propulsandi, administrandi, sustinendi, principatum tenet. Gallia D. Bruti virtutũ ipsum, ne dicam imperium secuta, armis, viris, pecunia belli principia firmauit: eadẽ crudelitati M. Antonij suum totum corpus obiecit: exhauritur: vastatur: vritur omnis: æquo animo belli patitur iniuriam: dum modo repellat periculum seruitutis. Et vt omittam reliquas partes Galliæ: nam sunt omnes paræ: Patauini alios excluserunt: alios eiecerunt missi ab Antonio: pecunia, militibus, & quod maxime deerat: armis nostros duces adiuuerunt. fecerunt idem reliqui: qui quondam in eadem causa erant:

& propter multorum annorum iniurias alienati à Senatu putabantur. quos minime mirum est cõmunicata cum his Republica fideles esse: qui etiam expertes eius, fidem suã semper præstiterunt. His igitur omnibus victoriã sperantibus pacis nomen afferemus? id est de ratione victoriæ? Quid? sine potest quidẽ vlla esse pax? quæ enim est conditio pacis? in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi potest? multis rebus à nobis est inuitatus ad pacem Antonius. bellũ tamen maluit. missi legati repugnante me: sed tamen missi: delata mandata. non paruit. denunciatũ est ne Brutum obsideret: à Mutina discederet. oppugnauit etiã vehementius. & ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuncios repudiauit? verecundiorem ne coràm putamus in postulando fore: quàm fuerit tum cũ misit mandata ad Senatum? Atqui tũ ea petebat: quæ videbantur improba omnino, sed tamẽ aliquo modo posse concedi: nondũ erat vestris tam grauissimis, tamq; multis iudicijs, ignominijsq; concisus. nunc ea petit, quæ dare nullo modo possumus: nisi prius volumus nos bello victos confiteri. Senatusconsulta falsa relata ab eo iudicauimus. num ea vera possumus iudicare? leges statuimus per vim, & contra auspicia latas: hisq; nec populũ nec plebem teneri. num eas restitui posse censetis? Sestertium septies millies auertisse Antonium pecuniæ publicæ iudicauistis. num fraude poterit carere peculatus? immunitates ab eo, ciuitates, sacerdotia, regna venierunt. num figuntur rursus hæ tabulæ? quas vos decretis vestris refixistis? Quod si ea, quæ decreuimus, obruere volumus: num etiam memoriam rerum delere possumus? quãdo eius obliuiscetur vlla posteritas? cuius

scelere



scelere in hac vestitus fœditate fuerimus? vt Centurionum legionis Martiæ Brunduſy profusus sanguis eluatur. num elui prædicatio crudelitatis poterit? vt media præterea, quæ vetustas tollet operum circa Mutinam tetra monumenta? sceleris indicia? latrocinij q; vestigia? Huic igitur importuno atq; impuro parricidæ, quid habemus per deos immortales quod remittamus? An Galliã vltimam, & exercitũ? quid est aliud quàm non pacem facere: sed differre bellũ? nec solum prorogare bellum: sed concedere etiam victoriã? An ille non vicerit, quacunq; conditione in hanc vrbem cũ suis armis venerit? Nunc omnia tenemus: authoritate valemus plurimũ: absunt tot perditi ciues nefariũ secuti ducem: tamen eorum ora, sermones, qui ex eo numero in vrbe relicti sunt, ferre non possumus. quid censetis, cum tot vno tempore irruperint? nos arma posuerimus: illi non deposuerint? nonné vos vestris consilijs victos in perpetuum fore? Ponite ante oculos L. Antonium Consularem: sperantem Consulatum Lucium adiungi te: supplete cæteros, neq; nostri ordinis solum, honores et imperia meditantes: nolite ne Tyrones quidem Numisios, & Mustellas, Saxaue contẽnere. cũ his facta pax, non erit pax, sed pactio seruitutis. L. Pisonis amplissimi viri præclara vox à te non solum in hoc ordine Pansa, sed etiã in concione iure laudata est. excessurum se ex Italia dixit. deos penates & sedes patrias relicturum: si, quod dij omen auerterent, Rempub. oppressisset Antonius. Quæro igitur à te Piso: non'ne oppressam Rempub. putes: si tot, tam impij ciues, tam audaces, tam latrocinosi recepti sint? quos nondum tantis parricidijs contaminatos vix ferebamus: hos nunc omni sce-

lere coopertos tolerabiles censes ciuitati fore? Aut isto tuo mihi crede consilio erit vtendū: vt cedamus, abeamus, vitā inopem & vagam prosequamur: aut cernices latronibus dandæ, atq; in patria cadendū est. vbi sunt C. Pansa illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ? quibus à te excitatus Senatus, inflammatus populus Romanus non solum audiuit, sed etiā didicit, nihil esse homini Romano fœdius seruitute. iccirco ne saga sumpsimus? arma cœpimus? iuuentutem omnem ex tota Italia eximus? vt de exercitu florentissimo & maximo Legati ad pacem mitterentur: si postulandam, quid timemus? si accipendam, cur non rogamur? in hac ego legatione sim? aut ad id consilium admiscear? in quo, ne dissensero quidē à cæteris, sciturus populus Romanus sit, ita fiet, vt si quid remissum, aut concessum sit: meo semper periculo peccet Antonius: cū ei peccandi potestas à me concessa videatur. Quod si habenda cū Antonij latrocinio, pacis ratio fuit: mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. ego nunquam legatos mittendos censui: ego ante legatorū reditum ausus sum dicere: pacem ipsam si afferent, quoniā sub nomine pacis bellum lateret: repudianda: ego princeps sagorum: ego semper illum hostem appellaui: cū alij aduersarium: semper hoc bellum: cū alij tumultum. nec hæc in Senatu solum: eadē ad populum semper. nec solū in ipsum, sed in eius socios, facinorū ministros, & præsentes, & eos, qui vna sunt, in totam demiq; M. Antonij domum sum semper inuectus. Itaq; vt alacres, & læti spe pacis oblata inter se impij ciues, quasi vicissent, gratulabantur: sic me iniquum eiurabant: de me querebantur. diffidebant etiam Seruilio: me



minerant eius sententijs confixum Antonium. L. Cæsarem fortem quidem illū, & constantem Senatorē: aununculum tamen: Calenum procuratorem: Pisonem familiarem: teipsum Pansa vehementissimum, et fortissimū Consulem, factum iam putant leniorem: non quo ita sit, aut esse possit: sed mentio facta à te pacis suspitionem multis attulit immutatæ voluntatis. Inter has personas me interiectum amici Antonij moleste ferunt. quibus gerendus mos est: quoniā semel liberales esse cœpimus. proficiscantur legati optimis omnibus: sed hi proficiscentur: in quibus non offendatur Antonius. Quod si de Antonio non laboratis: mihi certe P. C. consulere debetis. parcite oculis saltē meis: & aliquā veniā iusto dolori date. quo enim aspectu videre potero, mitto hostem patriæ, ex quo mihi odium in illū commune vobiscum est: quomodo aspiciam mihi vni crudelissimū hostem? vt declarant de me eius acerbissimæ conciones. adeone me ferreum putatis? vt cum eo congredi, aut illum aspicere possim? qui nuper cū in concione donaret eos: qui ei de parricidis audacissimi videbantur: mea bona donare se dixit Petissio Vrbinati: qui ex naufragio luculenti patrimonij ad hæc Antoniana Saxa proiectus est. An L. Antonium aspicere potero? cuius ego crudelitatē effugere non potuissem: nisi me mœnibus, & portis, & studio municipij mei defendissem. Atq; idem hic Myrmillo Asiaticus, latro Italiæ, collega Lentonis, & Nuculæ, cū Aquilæ primipili nummos aureos daret: de meis bonis se dare dixit. si enim de suis dedisset: nec Aquilam quidem ipsum crediturū putauit. non ferent inquam oculi Saxam, Caphonem, non duos Prætores, non Tribunum plebis, non duos

desiderio Tribunos, non Bestiam, non Trebellium, non Plancum. non possum animo æquo videre tot, tam importunos, tam sceleratos hostes. nec id fit fastidio meo? sed charitate Reipublicæ. Sed vincã animũ: mihiq; imperabo: dolorem iustissimũ, si non potuero frãgere, occultabo: quid? vita censetis ne P. C. habendam mihi aliquam rationem esse? quæ mihi qui dẽ minime chara est præsertim cũ Dolabella fecerit, vt optanda mors esset: modo sine cruciatu atq; tormentis. vobis tamen, & populo vilis esse spiritus meus non debet. is enim sum: nisi forte me fallo: qui vigilys, curis, sententijs, periculis etiam, quæ plurima ady propter acerbissimum omnium in me odium impiorum, perfecerim: vt non obstarent Reipublicæ, ne quid arrogantius videar decere. quod cũ ita sit: nihil ne mihi de periculo meo cogitandum putatis? hic cum in vrbe essem, ac domi: tamen multa sæpe tentata sunt: vbi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam vniuersæ ciuitatis oculi custodiunt. quid censetis, cum iter ingressus ero, longum præsertim: nullas ne insidias pertimescendas? Tres viæ sunt ad Mutinam, quo festinat animus: vt quàm primum illud pignus libertatis populi Ro. D. Brutum aspicere possim: cuius in complexu libenter extremum vitæ spiritũ ediderim: cum omnes actiones horum mensium, omnes sententiæ meæ peruenerint ad eũ exitum: qui mihi fuit propositus. tres ergo vt dixi viæ: à supero mari, Flaminia: ab infero, Aurelia: media, Cassia. Nunc quæso attendite, num aberret à coniectura suspicio periculi mei. Hetruriam discriminat Cassia. scimus ne igitur Pansa quibus nunc in locis sit Lentonis Cesenij septemuiralis authoritas? nobiscum nec animo certe est,



est, nec corpore. si autem aut domi est: aut non longe à domo: certe in Hetruria est in via. quis igitur mihi præfiat, Leutonem vno capite esse contentum? Dic mihi præterea Pansa Ventidius vbi sit? cui fui semper amicus: ante quam ille Reipub. bonisq; omnibus tã aperte est factus inimicus. Possum Cassiã vitare: tenere Flaminiam. Quid si Anconam, vt dicitur, Ventidius venerit? potero ne Ariminũ tuto accedere? restat Aurelia. hic quidem etiam præsidia habeo. possessiones enim sunt P. Clodij: tota familia occurret: hospitio inuitabit propter familiaritatẽ notissimã. Hisce ego me vijs commit tam? qui Terminalibus nuper in suburbium, vt eodem die reuerterer, ire non ausus sim. domesticis me parietibus vix tueor, sine amicorum custodijs. Itaq; in vrbe, si sic licebit, manebo. hæc mea sedes est: hæc vigilia: hæc custodia: hoc præsidiũ statiuum teneant aly castra, regna, bellicas: oderint hostem: nos vt dicimus, semper fecimus: vrbẽ & res vrbanas vobiscum pariter tuebimur. neq; vero recuso munus hoc. quanquam populũ Romanum video pro me recusare. nemo minus timidus: nemo cautior. res declarat. vigesimus annus est: cũ omnes sceleratj me vnum petunt. itaque ipsi, ne dicã mihi, populo Romano pœnas dederunt: me saluũ adhuc Respublica conseruauit sibi. Timide hoc dicã. sic enim quiduis homini accidere posse. veruntamen: semel circumsessus lectis valentissimorũ hominum viribus cecidi sciens: vt honestissime surgere possem. possum ne igitur satis videri cautus, satis prouidus: si me tuc inermem ab infesto, tamq; periculoso cõmisero? gloriam morte debent hi, qui in Republica versantur, non eu pereprehensionem, & stultitiæ vituperationem re-

linquere. quis bonus non luget mortẽ Trebony? quis non dolet interitum talis & ciuis & viri? At sunt qui dicant, dure illi quidem: sed tamen dicunt, minus dolendum: quod ab homine impuro, nefarioq; non caueris. etenim qui multorum custodẽ se profiteatur: eum sapientes sui primum capitis aiunt custodem esse oportere. Cũ septus sis legibus, & iudiciorum metu: non sunt omnia timenda: neque ad omnes insidias præsidia quærenda. quis enim audeat luci? quis in militari via? quis bene comitatum? quis illustrem aggredi? hæc neque hoc tempore, neq; in me valent: non modo enim pœnam non extimesceret, qui mihi vim attulerit: sed etiam gloriam sperabit à latronum gregibus & præmia. hæc ego in vrbe prænideo: facilis est circumspectus, vnde exeam: quo progrediar: quid ad dextram, quid ad sinistram sit. num idem in Appennini tramitibus potero facere? in quibus, etiam si non erunt insidiæ: quæ facillime esse poterunt: animus tamen erit sollicitus: vt nihil possit de officijs legationis attendere. Sed effugi insidias: perrupi Appenninum. nempe in Antony congressum, colloquiumq; veniendum est. qui nam locus capietur? si extra castra, cæteri viderint: ego mortem actutum futuram puto. noui hominis furorem: noui effrenatam violentiam. cuius acerbitas morum, immanitasq; naturæ, ne vino quidem permixta temperari solet: hic ira, dementiaq; inflammatus, adhibito fratre Lucio teterrima belua, nunquã profecto à me sacrilegas manus atq; impias abstinebit. memini colloquia, & cũ acerrimis hostibus, & cũ grauissime dissentiẽtibus ciuibus. Cn. Pompeius Sextifilius Consul me præsente, cum essem Tyro in eius exercitu: cũ P. Vectio Scatone duce Marsorũ inter bina



ter bina castra collocutus est. quo quidem memini Sex. Pompeium fratrem Consulis ad colloquium ipsum Romæ venire, doctum virum atque sapientem. quem Catone cum salutasset: quem te appellem? inquit. at ille, voluntate hospitem, necessitate hostem. Erat in illo colloquio equitas: nullus timor, nulla suberat suspicio: medio ere etiam odium. non enim vt eriperent nobis ciuitatem: sed vt in eam reciperentur, petebant. Sylla cum Scipione inter Cales, & Teanum: cum alter nobilitatis fœrem, alter belli socios adhibuisset: de authoritate Senatus, de suffragijs populi, & de iure ciuitatis, legis inter se conditiones contulerunt: non tenuit omnino colloquium illud fidem, à vita tamen periculoq; abfuit. Possumus ne igitur in Antony latrocinio æque esse, vt hi? non possumus aut si cæteri possunt: me posse diffido. Quod si non extra castra congrediemur: quæ ad colloquium castra sumentur? in nostra ille nunquam veniet. multo minus nos in illius. reliquum est, vt & accipiant, & remittantur postulata per literas. ergo erimus in castris. mea ad omnia postulata vna sententia. quam cum hic vobis audientibus dixero, isse & redisse me putatote. Legationem confecero: omnia ad Senatum mea sententia referam, quæcunq; postulabit Antonius. neq; enim licet aliter: neque permissum est nobis ab hoc ordine, vt bello confecto decem legatis permitti solet more maiorum: neque vlla omnino a Senatu mandata accepimus. quæ cum agam in consilio nonnullis, vt arbitror repugnantibus: non ne metuendum est: ne imperita militum multitudo per me pacem distineri putet? Facite hoc meum consilium legationes nouas non improbare: nam Martiam, & Quartiam nihil præter dignitatem, & decus

probaturas esse, certe scio. quid? Veteranos non veremur? nam timeri se ne ipsi quidem volunt. sed quonam modo accipient seueritatẽ meam? multa enim falsa de me audierunt: multa ad eos improbi detulerunt. quorũ commoda, vt vos optimi testes estis: semper sententia, authoritate, oratione firmaui. sed credunt improbis: credunt turbulentis: credunt suis. Sunt autẽ fortes illi quidem: sed propter memoriam rerum quas gesserunt populi Ro. libertate, & dignitate, Reip. nimis feroces: & ad suam vim omnia nostra consilia reuocantes. horum ego cogitationes non vereor: impetum pertimesco. Hæc quoq; pericula tanta si effugero: satis ne tutum reditum putatis fore? cum enim & vestra authoritate, & meo me more defendero, & meam fidem Reip. constantiamq; præstitero: tum erunt mihi non hi sõlum, qui me oderunt: sed illi etiã, qui inuident, extimescendi. custodiatur igitur mea vita Reipublicæ: eaq;, quoad vel dignitas, vel natura patietur, patriæ reseruetur. mors autẽ necessitatem habeat fati: aut si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria. Hæc cum ita sint: & si hanc legationẽ Resp. vt leuissime dicam, non desiderat: tamen si tuto licebit ire: proficiscor omnino P. Cõscripti: totum huiusce rei consilium non periculo meo, sed vtilitate Reip. metiar. de qua mihi quoniam liberum est spacium: multum etiam atq; etiam considerandum puto: idq; potissimum faciendum, quod maxime interesse Reip. iudicauero.



## IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMATERTIA. ORATIO LVI.

I Nprincipio huius belli P.C. quod cum impys ciuibus, sceleratisq; suscepimus: timui, ne conditio insidiosa pacis, libertatis recuperandæ studia restingueret. dulce enim nomẽ est pacis: res vero ipsa, cum iucunda, tum salutaris. nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest quem discordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat: eumq; ex numero hominũ eijciendum, ex quibus humana natura exterminandum puto. Itaq; siue Sylla, siue Marius, siue vterq;, siue Octauius, siue Cinna, siue iterum Sylla, siue alter Marius, & Carbo, siue quis alius ciuile bellum optauit: eum detestabilem ciuem Reip. natum iudico. nam quid ego de proximo dicam? cuius acta defendimus: cum authorem ipsum iniuriæ fateamur? Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine tetrius: si aut ciuis, aut homo habendus est: qui ciuile bellum concupiscit. Sed hoc primum videndum est P.C. cum omnibus ne pax esse possit: an sit aliquod bellum expiabile, in quo pactio pacis, lex sit seruitutis. Pacem cum Scipione Sylla faciebat. nõ erat desperandũ, si conuenissent: fore aliquem tolerabilem statum ciuitatis. Cinna si concordiam cum Octauio confirmare voluisset: hominum in Rep. sanitas remanere potuisset. Proximo bello si aliquid de summa grauitate Pompeius, multũ de cupiditate Cæsar dimisisset: et pacem stabilẽ,

et ali-

et aliquam Remp. nobis habere licuisset. Hoc vero quid est? cum Antonijs pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Numatio, Lentone, Saxa? exempli causa paucos nominaui: genus infinitum, immanitatem q3 ipsi cernitis reliquorũ. addite illa naufragia Cæsaris amicorum, Barbas, Cassios, Barbatios, Polliones: addite Antonij collusores, & sodales, Eutrapelum, Melam, Celium, Pontium, Crassiciũ, Tyronẽ, Mustelã, Petissium, comitatum relinquo: duces nomino. huc accedunt Alaudæ, cæteriq3 veterani, seminarũ indicum tertiæ decuriæ: qui suis rebus exhaustis, beneficy Cæsaris deuoratis, fortunas nostras concupierunt: O' fidam dexteram Antonij: qua ille plurimos ciues trucidauit. O' ratum religiosum q3 fœdus: quod cum his fecerimus. hoc si Antonius violare conabitur, Lucij eũ sanctitas à scelere reuocabit. Illis locus si in hac vrbe fuerit: vrbi ipsi locus non erit. Ora vobis eorum ponite P. C. ante oculos: & maxime Antoniorũ: incessum, aspectum, vultum, spiritum, latera tegentes alios, sequentes alios, alios progredientes amicos. quam vim anhelitus? quas contumelias fore censetis, minas q3 verborum? nisi forte eos pax ipsa leniet: maximeq3, cum in hunc ordinẽ venerint: salutabunt benigne, comiter appellabunt vnũquenq3 vestrum. non recordamini per deos immortales quas in eos sententias dixeritis? acta Antony rescidistis: leges refixistis: per vim, & contra auspicia lata decreuistis: totius Italiæ delectum excitastis: collegam, & socium scelerum omnium, hostem iudicauistis. cum hoc quæ pax esse potest? Si esset externus hostis: tamen id ipsum vix, talibus factis, posset aliquo modo. sed si maria, montes, regionum magnitudines interessent: odisset cum,



F. Morishlat.

cum, quem non videres. hi in oculis hærebunt: & cum libello in faucibus. quibus enim septis tam immanes bestias cõtinebimus? At incertus exitus belli est. Est omnino fortium virorum, quales vos esse debetis: virtute præditos tantum, vt possint fortunæ culpam non extimescere. sed quoniam ab hoc ordine non fortitudo solum, verum etiam sapientia postulatur: quanquam videntur hæc non posse seiungi: seiungamus tamen. fortitudo dimicare iubet: iustum odium incendit: ad confligendum impellit: vocat ad periculum. quid sapientia? cautiorem vtitur cõsilys: in posterum prouidet: est omni ratione protectior. quid igitur censet? parendũ est enim: atq3 id optimum iudicandum, quod sit sapientissime constitutum. si hoc præcipit: ne quid vita existimẽ antiquius: ne decernã capitis periculo: fugiã omne discrimen: quæram ex ea, etiam ne fuerit, cum id fecero: seruiendum. si annuerit: nae ego istam sapientiam, quamuis sit erudita, non audeam. sin responderit, tu vero ita vitam, corpus q3 seruato: ita fortunas, ita rem familiarem: vt hac posteriora libertate ducas: atque his vti velis, si liberare Remp. possis: nec pro his libertatem, sed pro libertate hæc proiicias, tanquam pignora iniuriæ: tum sapientiæ vocem audiendam esse iudicem: eiq3 vt deo pareamus. Itaq3 si receptis illis possumus esse liberi: vincamus odium: paceq3 potiamur. si liber viuis his, incolumibus q3 esse nullus potest: lætemur de certandi oblatam esse fortunã. aut enim illis interfectis fruemur victrice Republica: aut oppressa. quod omen auertat Iupiter: si nõ spiritu, at virtutis laude viuemus. At enim nos M. Lepidus imperator, Pontifex Maximus optime proximo ciuili bello de Rep. meritus ad pacem adhortatur. Nullius apud me P. C. authoritas

maior

maior est, quàm M. Lepidi: vel propter ipsius virtutẽ, vel propter familiæ dignitatem. accedunt eodem multa priuata, magna eius in me merita: ac mea quædam officia in illum. maximum vero eius beneficium numero quod hoc animo in Remp. est: quæ mihi vita mea semper fuit charior. Nam cum Magnum Pompeium clarissimum adolescentem præstantissimi viri filium authoritate adduxit ad pacem, Remq; publicam sine armis maximo ciuilis belli periculo liberauit: tum me eius beneficio plusquam pro virili parte obligatum puto. Itaq; ei & honores decreui, quos potui amplissimos: in quibus vos mihi estis assensi: nec vnquam de illo & sperare optime, & loqui destiti. magnis & multis pignoribus M. Lepidum Resp. obligatũ tenet. summa nobilitas est hominis: summi honores, amplissimum sacerdotium, plurima vrbis ornamẽta, ipsius, fratris, maiorumq; monumẽta, probatissima vxor, optatissimi liberi, res familiaris cum ampla, tum casta à cruore ciuili. nemo ab eo ciuis violatus: multi beneficio & misericordia liberati. talis igitur vir & ciuis opinione labi potest: voluntate a Rep. dissidere nullo pacto potest. pacem vult M. Lepidus. præclare: si talem potest efficere, qualem nuper effecit. qua pace, Cn. Pompeij filium Respub. aspiciet, suoq; sinu complexuq; recipiet: neque solum illum, sed cum illo seipsam sibi restitutam putabit. Hæc causa fuit, cur decerneretis statuam in Rostris cum inscriptione præclara: cur absenti triumphum. quanquam cum magnas res bellicas gesserat, & triumpho dignas: non erat tamen ei tribuendum: quod nec L. Æmilio, nec Æmiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Pompeio, qui maiora bella gesserunt. sed quod silentio



lentio ciuile bellum confecerat: primum vt licuit, honores in eum maximos contulistis. existimas ne igitur M. Lepide qualem Pompeium Resp. habitura sit ciuem, tales futuros Antonios? in altero pudor, grauitas, moderatio, integritas. in illis (& cum hos compello, præterea illius ex grege latrocinij neminem) libidines, scelera, ad omne facinus immanis audacia. Deinde obsecro vos P.C. quis hoc vestrum non videt: quod fortunæ ipsa, quæ dicitur cæca, vidit? saluis enim actis Cæsaris, quæ concordiæ causa defendimus: Pompeio sua domus patebit: eamq; non minoris, quàm emit Antonius, redimet. redimet inquam Cn. Pompeij domum filius. O rem acerbam. sed hæc satis diu multumq; defleta sunt. decreuistis tantam pecuniam Pompeio: quantam ex bonis patris in prædæ dissipatione inimicus victor redegisset. sed hanc mihi dissipationem pro paterna necessitudine & coniunctione deposco. redimet hortos, ædes, vrbana quædam, quæ possidet Antonius. nam argentum, vestem, supellectilem vniuersam amittet æquo animo: quæ ille helluo dissipauit. Albanum, Firmanum, à Dolabella recuperabit. etiam ab Antonio Thusculanũ. hiq;, qui nunc Mutinã oppugnant: D. Brutum obsident: de Falerno anseres depellantur. sunt alij plures fortasse. sed mea memoria dilabuntur. ego etiam eos dico, qui hostium numero non sunt: Pompeianas possessiones, quanti emerint, filio reddituros. satis inconsiderati fuit, ne dicam audacis, rem vllam ex illis attingere. retinere vero quis poterit, clarissimo domino restituto? An is non reddet? qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco, Pompeij fernus, libertus Cæsaris, agri Lucani possessiones

sessiones occupauit? Atq; illud septies millies quod adolescenti P.C. spopondistis, ita describite: vt videatur à vobis Cn. Pompeÿ filius in patrimonio suo collocatus. Hæc Senatus reliqua populus Ro. in ea familia, quam vidit amplissimam, prosequetur. in primis paternum Auguratus locum: in quo ego eum, vt quod à patre accepi filio reddam: mea nominatione cooptabo. vtrum igitur augurẽ Iouis Optimi Maximi, cuius interpretes interuncyq; constituti sumus: vtrum populus Ro. libentius sanciet? Pompeium, an Antonium? mihi quidẽ numine deorũ immortalium videtur hoc fortuna voluisse: vt actis Cæsaris firmis, ac ratis, Cn. Pompeÿ filius posset & dignitatem & fortunas patrias recuperare. ac ne illud quidem silentio P. C. prætermittendum puto: quod clarissimi viri legati L. Paulus, Q. Thermus, C. Fannius, quorum habetis cognitam voluntatem in Rempublicam, eamq; perpetuã, atq; constantem, nunciant: se Pompeÿ conueniendi causã diuertisse Massiliã: eumq; cognouisse paratissimo animo: vt cum suis copÿs iret ad Mutinam: ni vereretur veteranorum animos offendere. Est vero eius patris filius: qui sapiẽter faciebat non minus multa, quàm fortiter. Itaq; intelligitis & animum ei præsto fuisse: nec consilium defuisse. Atq; etiam hoc M. Lepido prouidendum est: ne quid arrogantius, quã mores eius ferunt, facere videatur. Si enim nos exercitu terret: non meminit illum exercitum Senatus populiq; Romani, atq; vniuersæ Reip. esse, non suum. Ac vti potest pro suo. quid tum? omnia ne viris bonis, quæ facere possunt, facienda sunt? etiam si turpia, si perniciosa erunt: si facere omnino non licebit? Quid autẽ turpius, aut fœdius? aut quod minus deceat? quàm contra Senatum,

natum, contra cines, contra patriam exercitum ducere? quid vero magis vituperandum? quàm id facere, quod nõ liceat? licet autẽ nemini contra patriam ducere exercitum. siquidem licere id dicimus: quod legibus, quod more maiorũ, institutisq; conceditur. Neq; enim, quod quisq; potest, id ei licet: nec, si non obstatur: propterea etiã permittitur. tibi enim exercitum Lepide, tanquã maiorib. tuis patria pro se dedit. hoc tu arcebis hostẽ: fines Imperÿ propagabis: Senatui populoq; Romano parebis: si quam ad aliãrem te forte traduxerit. hæc cogitas M. Lepide: M. Lepidi Pontificis Maximi fueris pronepos. sin hominibus tantum licere iudicas, quantũ possunt: vide ne alienis exemplis, hisq; recentibus vti, quàm antiquis & domesticis malle videare. Quod si authoritatẽ interponis, sine armis: magis qui dẽ laudo, sed vide ne hoc ipsum non sit necesse. quanquã enim est tanta in te authoritas: quanta debet in homine nobilissimo: tamen Senatus se ipse non contemnit. nec vero fuit vnquã grauior, constantior, fortior. incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandã: non potest vllius authoritate tantus Senatus populiq; Romani ardor extingui: odimus: irati pugnamus: extorqueri de manibus arma non possunt: receptui signũ, aut reuocationem à bello audire non possumus: speramus optima pati vel difficillima malumus, quàm seruire. Cæsar confecit inuictum exercitũ: duo fortissimi Consules adsunt cum copÿs: L. Planci Cons. designati varia, & magna auxilia non desunt: de D. Bruti salute certatur. vnus furiosus gladiator cũ teterrimorũ latronum manu, contra patriã, contra deos penates, contra aras, & focos, contra quatuor Consules gerit

bellum huic cedamus? huius conditiones audiamus. cũ hoc pacem fieri posse credamus? At periculum est ne opprimamur. non metuo, ne is qui suis amplissimis fortunis, nisi nobis saluis frui non potest, prodat salutem suam. bonos ciues primum natura efficit: adiunat deinde fortuna. omnibus enim bonis expedit saluã esse Rẽpublicam. sed in his, qui fortunati sunt, magis id apparet. quis fortunatior Lepido, vt ante dixi? quis eodem sanior? vidit eius mœsticiam, atq; lachrymas populus Romanus Lupercalibus: vidit quàm abiectus esset, quàm confectus: cum Cæsari diadema imponens Antonius, seruum se illius, quàm Collegã esse malebat. qui si reliquis flagitijs, & sceleribus abstinere potuisset: tamen vnum ob hoc factum dignum illũ omni pœna putarem. nam si ipse seruire poterat: nobis dominum cur imponebat? & si eius puericia pertulerat libidines eorum: qui erant in eũ Tyranni: etiam ne in nostros liberos dominum, & Tyrannum comparabat? itaq; illo interfecto, qualem eum in nos esse voluit, talis ipse in ceteros extitit. qua enim in barbaria quisquam tam ter, tã crudelis Tyrannus? quàm in hac vrbe armis barbarorum stipatus Antonius? Cæsare dominante veniebamus in Senatum, sinon libere, attamen tuto. hoc archipirata, quid enim dicam Tyranno? hæc subsellia ab Ithyreis occupabantur. prorupit subito Brundusij: vt inde agmine quadrato ad vrbem accederet: lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondã colonorum Suessam, fortissimorum militum sanguine impleuit: Brundusij in sinu non modo auarissimæ, sed etiam crudelissimæ vxoris delectos Martiæ legionis Centuriones trucidauit. inde se quo furore, quo



quo ardore, ad vrbem, id est ad eadem optimi cuiusque cædes? quo tempore dij ipsi immortales præsidium improuisum, nec opinantibus nobis obtulerunt. Cæsaris enim incredibilis ac diuina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardauit. quẽ tamen ille demens ladere se putabat edictis: ignorans quæcunq; falso diceret in sanctissimũ adolescentem, ea vere recidere in memoriam puericiæ suæ. ingressus vrbẽ est, quo comitatu, vel potius agmine? cum dextra, sinistra, gemente populo Romano minaretur dominis: notaret domos: diuisurũ se vrbẽ palàm suis polliceretur. rediit ad milites. ibi pestifera illa Tyburi concio. inde ad vrbem cursus: Senatus in Capitolium: parata de circumscribendo adolescente sententia Consularis: cum repente (nam Martiam legionem Albæ consedisse sciebat) affertur ei de Quarta nuncius. quo perculsus abiecit consilium refrendi ad Senatũ de Cæsare: egressus est non vyis, sed tramitibus paludatus: eodemq; die ipso innumerabilia S. C. fecit. quæ quidem omnia citius lecta, quàm scripta sunt. Ex eo non iter, sed cursus, & fuga in Gallias. Cæsarem sequi arbitrabatur cum legione Martia, cum Quarta, cum veteranis: quorum ille nomen præ mauferre non poterat. eiq; in Galliam penetranti, D. Brutus obiecit. qui se totius belli fluctibus circumiri quàm illum aut egredi, aut progredi maluit: Mutinamq; illi exultanti, tanquam frenos furoris incidit. quam cum operibus munitionibusq; sepsisset, nec cum florentissimæ Coloniæ dignitas, neque Cons. designati maiestas à parricidio deterreret: tum me, testor & vos, & populum Romanũ, & omnes deos, qui huic vrbi præsident: inuito, & repugnante, Legati missi

tres Consulares ad latronem M. Antoniũ gladiatorum ducẽ. Quis tam barbarus vnquam? tã immanis? tam ferus? non audiuit: non respondit: neq; eos sõlũ presentes, sed multo magis nos, à quibus illi erant missi, spreuit, & pro nihilo putauit. postea quod scelus, quod facinus parricida non edidit? circumsedit colonos vestros, exercitum populi Ro. Imperatorem, Cons. designatum: agros diuexat ciuium optimorum: hostis teterrimus omnibus bonis cruces ac tormenta minitatur. Cum hoc M. Lepide pax esse quæ potest? cuius ne supplicio quidẽ vllo saciari videtur populus Roman. Quod si quis adhuc dubitare potuit: quin nulla societas huic ordini populoq; Romano cum illa importunissima belua possit esse: desinat profectò dubitare, his cognitis literis: quas mihi missas ab Hircio Cons. modo accepi. Eas dum recito: dumq; de singulis sententys breuiter disputo P.C. vt adhuc feciſtis, me attente audiatis. ANTONIVS HIRCIO ET CÆSARI. neq; se Imperatorem, neq; Hircium Consulem, nec Propr. Cæsarem. satis quidẽ hæc scite: deponere alienum nomen ipse maluit: quàm illis suum reddere. COGNITA MORTE C. TREBONII, NON PLVS GAVISVS SVM, QVAM DOLVI. Videte quid se gauisum, quid se doluisse dicat: facilius de pace deliberabitis. DEDISSE POENAS SCELERATVM CINERI ATQVE OSSIBVS CLARISSIMI VIRI: ET APPARVISSE NVMEN DEORVM INTRA FINEM ANNI VERTENTIS, AVT IAM SOLVTO SVPPLICIO PARRICIDÆ, AVT IMPENDENTE, LÆTANDVM EST. O' Spartace

quem



quem enim te potius appellem? cuius propter nefanda scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina: lætandũ esse ausus es scribere Treboniũ dedisse pœnas? sceleratũ Treboniũ? quo scelere? nisi quod te Idibus Mar. à debita tibi peste seduxit? age hoc lætaris. videamus, qd moleste feras. HOSTEM IVDICATVM HOC TEMPORE DOLABELLAM, EO QVOD SICARIVM OCCIDERIT: ET VIDERI CARIOREM POPVLO RO. FILIVM SCVRRÆ, QVAM C. CÆSAREM PATRIÆ PARENTEM: INGEMISCENDVM EST. Quid ingemiscis hostẽ Dolabellam iudicatum? quid? te non intelligis delectu tota Italia habito, Consulibus missis, Cæsare ornato, sagis demq; sumptis, hostem iudicatum? quid est autem scelere quod gemas hostem Dolabellam iudicatum à senatu? quem tu ordinem omnino esse nullum putas. sed eam tibi causam belli gerendi proponis: vt senatum funditus deleas: reliqui boni, & locupletes omnes summum ordinem subsequantur. at scurræ illum appellat: quasi vero ignotus nobis fuerit splendidus Eques Romanus Treboniy pater. Is autem humilitatem despicere audet cuius quam? qui ex eadem sustulerit liberos? ACERBISSIMVM VERO EST, TE A. HIRCI ORNATVM ESSE BENEFICIIS CÆSARIS: ET TALEM AB EO RELICTVM: QVALEM IPSE MIRARIS. Equidem negare non possum à Cæsare Hircium ornatum. sed illa ornamenta in virtute, & industria posita lucent. tu vero qui te ab eodem Cæsare ornatum negare non potes: quid esses? si tibi ille non tam multa tribuisset? ecquo te tua virtus

prouexisset? ecquo genus? in lustris, popinis, alea, vino, tempus ætatis omne consumpsisset, vt faciebas: cũ in gremijs mimarum, mentem mentum q3 deponeres. ET TE O' PVER, puerum appellat, quem non modo virum, sed etiam fortissimum virum sentit, & sentiet. est istud quidem nomen ætatis: sed ab eo minime vsurpandum: qui suam amentiam huic præbet ad gloriam. QVI OMNIA EIVS NOMINI DEBES: debet verò, soluitq3 præclare. si enim ille patriæ pater est, vt tu appellas: ego quid sentiã, videro: cur non hic parens verior? à quo certe vitam habemus è tuis fatinorosissimis manibus ereptam? ID AGERE. VT IVRE DAMNATVS SIT DOLABELLA? Turpem vero actionem: qua defenditur amplissimi authoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amentiam. ET VT VENEFICVS HAC LIBERETVR OBSIDIONE:

Veneficum audes appellare eum virum: qui tuis veneficijs remedia inuenit? quem ita obsides noue Annibal, aut si quis acutior Imperator fuit: vt te ipse obsideas: neque istinc, si cupias, possis explicare. recesseris: vndique omnes insequentur. manscris: hærebis. nimirum recte veneficum appellas: à quo tibi præsentem pestem vides comparatam. VT QVAM POTENTISSIMVS SIT CASSIVS, ATQVE BRVTVS. putes Censorinum dicere, aut Ventidiũ, aut etiam ipsos Antonios. cur autẽ nolit parentes esse non modo optimos, & nobilissimos viros, sed secũ etiã in Reip. defensione cõiunctos? NIMIRVM EODEM MODO HÆC ASPICITIS: VT PRIORA. QVÆ TANDEM CASTRA POMPEII SENA-



SENATVM APPELLATIS? An vero tua castra potius senatum appellaremus? in quibus tu es videlicet Consularis: cuius totus Consulatus est ex omni monumentorum memoria reuulsus: duo Prætores sine causa diffisi se aliquid habituros: nos enim Cæsaris beneficia defendimus: Prætorij Philadelphus Annius, & innocens Caius: Ædilitij C. Oricus laterũ, & vocis meæ testis Bestia, & fidei patronus, fraudator creditorũ Trebellius, & homo diruptus dirutusq3 Q. Celius, columenq3 amicorum Antonij, Cotula Varius: quos Antonius deliciarũ causa loris in conuiuio cædi iubebat, à suis publice: Septemuirales Lento, Nucula, tũ deliciæ atque amores populi Rom. L. Antonius, tribunitij primũ duo designati, T. Hostilius, qui suo iure in portam nomen inscripsit: qui cum prodere Imperatorẽ suum non potuisset, reliquit. alter est designatus, Viscius nescio quis, fortis vt aiunt latro: quẽ tamen temperantẽ fuisse sẽ tui scribam ne ator ẽ. sequuntur alij Tribunitij, C. Planci in primis: qui si Senatũ dilexisset: nunquã Curiam incendisset. quo scelere damnatus, in eã vrbẽ rediit armis, à qua excesserat legibus. sed hoc ei cõmune cũ plurimis dissimillimis illud tamẽ verũ, quod in hoc Planco querby loco dici solet, perire eũ posse: nisi ei crura fracta essent. fracta sunt: & viuit. hoc tamen, vt alia multa, Aquile fertur acceptum. est etiam ibi Decius ab illis vt opinor maioribus Decijs. itaque Cæsaris munere Decorum quidem multo interuallo per hunc præclarum virum memoria renouata est. Saxam vero Decidium præterire qui possum, hominem deductum ex vltimis gentibus? vt eum tribunum pl. videremus: quem

ciuem nunquam videramus. Est quidem alter Soresanus. omnes tamen tantam habent similitudinem inter se: vt in eorum prænominibus errem. Nec vero Exitius Philadelphi frater Quæstor prætermittendus est: ne si de clarissimo adolescente siluero: inuidisse videar Antonio. Est etiam Asinius quidam senator voluntarius, lectus ipse à se. apertam curiam vidit post Cæsaris mortẽ. mutauit calceos: pater conscriptus repente factus est. Non noui Sex. Albedium: sed tamen neminem tam maledicũ offendit: qui illum negaret dignum Antony senatu. Arbitror me aliquos præteriisse. de his tamẽ qui occurrebant, tacere non potui. Hoc igitur fretus senatu, Pompeianum senatum despicit: in quo decem fuimus Consulares: qui si omnes viuerent: bellum omnino hoc non fuisset: authoritati cessisset audacia. sed quantum præsidy fuerit in cæteris, hinc intelligi potest: quod ego vnus relictus è multis, contudi, & fregi adiuuantibus vobis, exultantis prædonis audaciam. Quod si fortuna nobis modo non eripuisset Seruium Sulpitium, eiusq; Collegam A. Marcellum, quos ciues? quos viros? si duos Consules amicissimos patriæ simul ex Italia electos, si L. Affranium summum ducem, si P. Lentulum ciuem cum in cæteris rebus, tum in salute mea singularẽ, si Bibulum, cuius est in Rempublicã merito semper laudata constantia: si L. Domitium præstantissimum ciuem, si Appiũ Claudium pari nobilitate, & voluntate præditum, si P. Scipionem clarissimum virũ, maiorumq; suorũ simillimum Respub. tenere potuisset: certe his Consularibus non esset Pompeianus despiciendus senatus. vtrũ igitur æquius, vtrum melius Reipub. fuit, Cn. Pompeium, an sectorem Cn. Pompeij viuere Anto-



Antonium? qui vero Prætory? quorum princeps M. Cato idemq; omnium gentium virtute princeps. quid reliquos præclarissimos viros commemorem? nostis omnes. magis vereor ne longum me in enumerando, quã ne ingratum in prætereundo putetis. qui Aedilitij? qui Tribunitij? qui Quæstory? quid multa? talis Senatorũ & dignitas & multitudo fuit: vt magna excusatione opus sit: qui illa in castra non venerunt. Nunc reliqua attendite. VICTVM CICERONEM DVCEM HABVISTIS. Eo libentius ducem audio: quod certe ille dicit inuitus. nam de victo nihil laboro. fatum enim meum est siue Rep. nec vinci posse, nec viuere. MACEDONIAM MVNITIS EXERCITIBVS: eam quidem fratri tuo, qui à vobis nihil decreuit, extorsimus. AFRICAM COMMISISTIS VARO BIS CAPTO: his cum C. fratre putas te litigare. IN SYRIAM CASSIVM MISISTIS: Non igitur sentis huic causæ orbem terræ parere? te extra munitiones tuas, vestigium vbi imprimas, non habere? CASCAM TRIBVNATVM GERERE PASSI ESTIS? quid ergo? vt M. Arullum, vt Cæsarem etiam, à Rep. remoueremus tum: per quem vt neq; idem hoc post hac, neque multa huiusmodi accidere possent, consecuti sumus? VECTIGALIA IVLIANA LVPERCIS ADEMISTIS: Lupercorum mentionem facere audet? neq; illius diei memoriam perhorrescit: quo ausus est obrutus vino, vnguentis oblitus, nudus, gementem populum Ro. ad seruitutem cohortari? VETERANORVM COLONIAS DEDVCTAS LEGE, SENATVS CONSVLTO SVSTV-

LISTIS: Nos sustulimus? an contra legem comitis Centuriatis latam sanximus? vide ne tu veteranos, tamen eos, qui erant perditi, perdideris: in eumq; locum deduxeris: ex quo iam ipsi sentiunt se nunquam exituros. MASSILIENSIBVS IVRA BELLI ADEMPTA REDDITVROS VOS POLLICEMINI: Nihil disputo de iure belli. magis facilis disputatio est, quàm necessaria. Illud tamen aduertite P.C. quàm sit huic Reip. natus hostis Antonius: qui tantopere eam ciuitatem oderit: quã scit huic Reipub. semper fuisse amicissimam. AN NESCITIS NEMINEM POMPEIANVM, QVI VIVAT: TENERE LEGE HIRCIA DIGNITATES: Quisquam iam legis Hirciæ mentionem facit? cuius non minus arbitror latorem ipsum, quàm eos, de quibus lata est, pœnitere. omnino quidem mea sententia legem illam appellare fas non est: & vt sit lex, non debemus illam Hircy legem putare. APVLEIANA PECVNIA BRVTVM SVBORNASTIS: Quid si omnibus suis copijs excellentem virum Resp. armasset? quem tandem bonum pœniteret? nec enim sine pecunia exercitum alere, nec sine exercitu fratrem tuum capere potuisset. SECVRI PERCVSSOS PÆTVM ET MENEDEMVM CIVITATE DONATOS ET HOSPITES CÆSARIS LAVDASTIS: Non laudamus, quod ne audiuimus quidem. valde enim nobis in tanta perturbatione Reipublicæ de duobus nequissimis graculis cogitandum fuit? THEOPOMPVM NVDVM EXPVLSVM A TREBONIO CON-



CONFVGERE ALEXANDRIAM NEGLEXISTIS: Magnum crimen Senatus. de Theopompo summo homine negleximus: qui vbi terrarum sit, quid agat: viuat denique, an mortuus sit: quis aut fuit? aut curat? SER. GALBAM EODEM PVGIONE SVCCINCTVM IN CASTRIS VIDETIS: Nihil tibi de Galba respondebo fortissimo & constantissimo ciue: coram aderit: præsens tibi ipse, & ille quem insimulas, pugio respondebit. MILITES AVT MEOS, AVT VETERANOS CONTRAXISTIS, TANQVAM AD EXITIVM EORVM, QVI CÆSAREM OCCIDERANT: ET EOSDEM NEC OPINANTES AD QVÆSTORIS SVI, AVT IMPERATORIS, AVT COMMILITONVM SVORVM PERICVLA IMPVLISTIS: scilicet verba dedimus: decepimus: ignorabat legio Martia, Quarta: nesciebant veterani quid ageretur. non illi Senatus authoritatem, an libertatem populi Ro. sequantur? Cæsaris vlciſci mortem volebant? quam omnes fatalem fuisse arbitrabantur. te videlicet saluum, beatum florentem esse cupiebant? O' miser cum re, tum hoc ipso quod non sentis quàm miser sis. Sed maximum crimen audite. DENIQVE QVID NON AVT PROBAVISTIS? AVT FECISTIS? QVID FACIAT? SI REVIVISCAT? quis? credo enim afferet aliquod scelerati hominis exemplum CN. POMPEIVS IPSE: homo turpis, siquidem imitaturi sumus. AVT

FILIVS

FILIVS EIVS, SIDOMI POSSIT? *poterit, mihi crede. nam paucis diebus & in domum, & in hortos paternos immigrabit.* POSTREMO NEGATIS PACEM POSSE FIERI: NISI AVT EMISERO BRVTVM: AVT FRVMENTO IVVERO. *Alij istud, negant. ego vero, ne si ista quidem feceris: vnquà tecum pacem huic ciuitati futuram puto.* QVID? HOC PLACET NE VETERANIS ISTIS? QVIBVS ADHVC OMNIA INTEGRA SVNT. *nihil vidi tam integrum: quàm vt oppugnare Imperatorem incipiant: quem tanto studio consensuq́ defenderint.* QVONIAM VOS ASSENTATIONIBVS, ET VENENATIS MVNERIBVS VENISTIS: *depraua ti aut corrupti sunt: quibus persuasum sit fœdissimum hostem iustissimo bello persequi.* AT MILITIBVS INCLVSIS OPEM FERTIS. NIHIL MOROR EOS SALVOS ESSE, ET IRE QVOLVBET: SI TAMEN PATIVNTVR PERIRE EVM, QVI MERVIT. *quàm benigne denique vsi liberalitate Antonij milites Imperatorem reliquerunt: & se ad hostem metu perterriti contulerunt: per quos si non stetisset: non Dolabella primo Imperatori suo, quàm Antonius etiam Collegæ parentasset.* CONCORDIÆ FACTAM ESSE MENTIONEM SCRIBITIS IN SENATV: ET LEGATOS ESSE CONSVLAREIS QVINQVE. DIFFICILE EST CREDERE, EOS, QVI ME PRÆCIPITEM EGERINT, ÆQVISSIMAS CON-



CONDITIONES FERENTEM, ET TAMEN EX HIS ALIQVID REMITTERE COGITANTEM: PVTARE ALIQVID MODERATE AVT HVMANE ESSE FACTVROS. VIX ETIAM VERISIMILE EST: QVI IVDICAVERINT DOLABELLAM HOSTEM OB RECTISSIMVM FACINVS: EOSDEM NOBIS PARCERE POSSE IDEM SENTIENTIBVS. *Parum ne videtur omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confiteri? non ne cernitis ex vno fonte omnia scelera manare? ipse denique fatetur, hoc quidem satis acute, non posse eos, qui hostem Dolabellam iudicauerint ob rectissimum facinus, ita enim videtur Antonio, sibi parcere idem sentienti. quid huic facias? qui hæc literis memoriq́ mandarit: ita sibi conuenisse cum Dolabella: vt ille Trebonium, & si posset etiam Brutum, Cassium, discruciatos necaret: eademq́ inhiberet supplicia nobis conseruandus ciuis cum tam pio, iustoq́ fœdere. Is etiã queritur conditiones suas repudiatas, æquas quidem & verecundas: vt haberet Galliam vltimam aptissimam ad bellum renouandum, instruendumq́ prouinciam: vt Alaudæ in tertia Decuria iudicarent: id est, vt perfugium scelerum essent cum turpissimis Reipub. sordibus: vt acta sua rata essent cuius nullum remanet Consulatus vestigium. cauebat etiam L. Antonio: qui fuerat æquissimus agri priuati & publici decempedator Nuculq, & Lentone Collega.* QVAMOBREM VOS POTIVS ANIMADVERTITE, VTRVM SIT ELEGANTIVS, ET PAR-

PARTIBVS VTILIVS: TREBONII MORTEM PERSEQVI, AN CÆSARIS: ET VTRVM SIT ÆQVIVS, CONCVRRERE NOS: QVO FACILIVS REVIVISCAT POMPEIANORVM CAVSA, TOTIENS IVGVLATA: AN CONSENTIRE: NE LVDIBRIO SIMVS INIMICIS. Si esset iugulata: nunquam exurgeret: quod tibi, tuisq; contingat. vtrum inquit elegantius. atq; hoc bello de elegantia quæritur. & partibus vtilius. partes furiose dicuntur in foro, in curia. bellum contra patriam nefarium suscepisti: oppugnas Mutinam: circunsedes Cons. designatum: bellum cõtra te duo Conss. gerunt: cumq; his Propr. Cæsar: cuncta contra te Italia armata est. istas tu partes potius quam populi Ro. defensionem vocas? Potiusne Trebony mortem: quàm Cæsaris persequamur? Trebony satis persecuti sumus: hoste iudicato Dolabella. Cæsaris mors facillime defenditur oblivione & silentio. Sed videte quid moliatur. cum mortem Cæsaris vlciscendam putat: mortem proponit non his solum, qui illam rem gesserunt: sed his etiam, si qui non moleste tulerunt. QVIBVS VTRI NOSTRVM CECIDERINT: LVCRO FVTVRVM EST. QVOD SPECTACVLVM ADHVC IPSA FORTVNA VITAVIT: NE VIDERET VNIVS CORPORIS DVAS ACIES LANISTA CICERONE DIMICANTES: QVI VSQVE EO FELIX EST: VT EISDEM ORNAMENTIS DECEPERIT VOS: QVIBVS DECEPTVM



CEPTVM CÆSAREM GLORIATVS EST. pergit in mea maledicta. quasi vero ei pulcherrime priora processerint: quem ego inusitum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ sempiternæ. Ego Lanista? equidem non insipiens. deteriores enim iugulare cupio: meliores vincere. Vtri ceciderint scribit lucro nobis futurum. ò præclarum lucrum: quo te victore, quod dij omen auertant, beata mors eorum futura sit: qui è vita excesserint sine tormentis. A me deceptos ait, eisdem ornamentis Hirtium, & Cæsarem. quod quæso adhuc à me est tributum Hirtio ornamentum? nam Cæsari plurima, & maiora debentur. deceptum autem patrem à me Cæsarem dicere audes? tu, tu inquã illum occidisti Luperca bum: cuius homo ingratissime Flaminiũ curreliquisti? Sed iam videte magni & clari viri admirabilem grauitatem atque constantiam. MIHI QVIDEM CONSTAT: NEC MEAM QVIDEM CONTVMELIAM, NEC MEORVM FERRE: NEC DESERERE PARTES QVAS POMPEIVS ODIVIT: NEC VETERANOS SEDIBVS SVIS MOVERI PATI: NEC SINGVLOS AD CRVCIATVM TRAHI: NEC FALLERE FIDEM, QVAM DEDI DOLABELLÆ: omitto alia: fidem Dolabellæ sanctissimi viri deserere homo pius non potest. quam fidem? an optimi cuiusq; fides, vrbis, et Italiæ partitiones, sententias dandarum diripiendarumq; prouinciarũ? nam quid erat aliud: quod inter Antonium & Dolabellam impurissimos parricidas fœdere ac fide sanciretur? NEC LEPI

DI

DI SOCIETATEM VIOLARE PIISSIMI HOMINIS: Tibi cum Lepido societas? aut cum vllo, non dicam bono ciue, sicut ille est: sed homine sano? Id agis: vt Lepidum aut impium, aut insanum existimari velis. Nihil agis. quanquam affirmare de aliquo difficile est? de Lepido præsertim: quem ego metuam nunquam: bene sperabo dum licebit. reuocare te à furore Lepidus voluit: non adiutor esse dementiæ. tu porrò ne pios quidem, sed pissimos quæris: & quod verbum omnino nullum in lingua latina est: id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis. NEC PLANCVM PRODERE PARTICIPEM CONSILIORVM. Plancum participem? cuius memorabilis ac diuina virtus lucem affert Reipublicæ. nisi forte subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, magno equitatu, peditatuq; Gallorum? quibus, nisi ante aduentum eius Reip. pœnas dederis: ille huius belli feret principatum. quanquam enim prima præsidia vtiliora Reip. sint: tamen extrema sunt gratiora. Sed iam se colligit: & ad extremum incipit philosophari. SI ME RECTIS SENSIBVS EVNTEM DII IMMORTALES, VT SPERO, ADIVVERINT, VIVAM LIBENTER. SIN AVTEM ALIVD ME FATVM MANET: PRÆCIPIO GAVDIA SVPPLICIORVM VESTRORVM. NAM SI VICTI POMPEIANI TAM INSOLENTES: VICTORES QVALES FVTVRI SINT, VOS POTIVS EXPERIEMINI. Præcipias licet gaudia: non enim tibi cum Pompeianis, sed cum vniuersa Rep. bellū est. omnes te dij, homines, simi-



mi, medij, infimi, ciues, peregrini, viri, mulieres, liberi, seruiderunt. sensimus hoc nuper falso nuncio: vero propediem sentiemus. quæ si tecū ipse recolis: æquiore animo & maiore consolatione moriere. DENIQVE SVMMA IVDICII MEI SPECTAT HVC. VT MEORVM INIVRIAS FERRE POSSIM: SI AVT OBLIVISCI VELINT IPSI FECISSE. AVT VLCISCI PARATI SVNT VNA NOBISCVM CÆSARIS MORTEM. Hac Antonij sententia cognita, dubitaturos ne A. Hircium, C. Pansam consules putatis: quin ad Antonium transeant? Butum obsideant? Mutinam expugnare cupiant? Quid de Pansa & Hircio loquar? (Cæsar singulari pietate adolescens, poterit ne se tenere? quin D. Bruti sanguine pœnas patrias persequatur? Itaq; fecerunt vti his literis lectis ad munitiones propius accederent. Quo maior adolescens Cæsar maiore deorum immortalium beneficio Reipub. natus est: qui nulla specie paterni nominis, nec pietate, vnquam abductus est. intelligit maximam pietatem conseruatione patriæ contineri. quod si partiū certamen esset: quarū omnino nomen extinctum est: Antonius ne potius, & Ventidius partes Cæsaris defenderent? quam (Cæsar adolescens summa pietate, & memoria paretis sui? deinde Pansa, et Hircius? qui qua sicernua duo tenuerunt Cæsaris: tū cum illæ vere partes vocabantur. hæ vero quæ sunt partes? cum alteris senatus authoritas, pop. Ro. libertas, Reip. salus proposita sit: alteris cædes bonorum, vrbis, Italiæq; partitio. Veniamus aliquando ad clausulam. LEGATOS VENIRE NON CREDO. bene me nouit.

BELLVM QVO VENIAT. proposito præsertim exemplo Dolabellæ. sanctiores erunt credo iure Legati: quã duo consules, contra quos arma fert: quam Cæsar, cuius patris Flamen est: quam Cons. designatus, quẽ oppugnant: quàm Mutina: quã obsidet: quã pátria: cui igni ferroq; minitatur, CVM VENERINT: QVÆ POSTVLANT, COGNOSCAM. Quin tu abis in malam pestem, malumq; cruciatũ. ad te quisquam veniat, nisi Ventidy similis? oriens incendium qui restinguerent: summos viros misimus. repudiasti. nunc in tantam flammã tamq; inueteratam mittamus? cum locum tibi relictum non modo ad pacẽ, sed ne ad deditionem quidẽ feceris. Hanc ego epistolã P.C. non quo illũ dignum putarem, recitaui: sed vt confessionibus ipsius omnia patefacta eius parricidia videretis. Cum hoc pacẽ M. Lepidus vir ornatissimus omnibus & fortunæ, & virtutis bonis, si hæc videret: deniq; aut vellet: aut fieri posse arbitraretur? prius undas flammamq;, vt ait Poeta nescio quis: prius deniq; omnia: quàm aut cũ Antonys Resp. aut cum Repub. Antony redeant in gratiã. Monstra quædã sunt ista, & portenta, & prodigia Reipub. moueri sedibus huic vrbi melius est: atq; in alias, si fieri possit: terras demigrare: vnde Antoniorũ nec facta, nec nomen audiat: quã illos Cæsaris virtute eiectos, Bruti retentos, intra hæc mœnia videre. Optatissimum est vincere, secundum est nullũ casum pro dignitate, & libertate patriæ non frendum putare: quod reliquum est, non est tertium, sed postremum omniũ. maximam turpitudinem suscipere vitæ cupiditate. Quæ cum ita sint: de mandatis literisq; M. Lepidi viri clarissimi, Seruilio assentior: & hoc

amplius



amplius censeo: Magnum Pompeium Cn. F. pro patris, maiorumq; suorum animo, studioq; in Rempub. suaq; pristina virtute, industria, voluntate, fecisse: quod suam eorumq;, quos secum haberet: operam Senatui populoq; Ro. pollicitus esset: eamq; rem, S. P. q; R. gratam acceptamq; esse: eiq; honori dignitatiq; eam rem fore. Hoc vel coniungi cum hoc senatus consulto licet: vel seiungi potest: separatimq; perscribi: vt proprio Senatus consulto Pompeius collaudatus esse videatur.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMAQVARTA. ORATIO LVII.

SI, vt ex literis, quæ recitatæ sunt P. C. sceleratorum hostium exercitũ casum fusumq; cognoui: sic id, quod & omnes maxime optamus: et ex ea victoria, quæ parta est: consecutum arbitramur: D. Brutum egressum iam Mutina esse cognouissem: propter cuius periculum ad sagа issemus: propter eius dẽ salutem redeundũ ad pristinum vestitum sine vlla dubitatione censerem. ante vero quàm ea res, quã auidissime ciuitas expectat, allata sit: lætitiæ vsus satis est maximæ præclarissimæq; pugnæ: reditum ad vestitũ confectæ victoriæ reseruate. confectio autem huius belli est D. Bruti salus. Quæ autem est ista sententia? vt in hodiernũ diem vestitus mutetur? deinde cras sagati prodeamus? nos vero cum semel ad eũ, quẽ cupimus, optamusq;, vestitum redierimus: id agamus, vt eũ in perpetuum retineamus. nam hoc quidem cũ turpe est, tum ne dijs quidẽ immortalibus gratum: ab eorundem aris, ad quas togati adierimus: ad sagа sumenda discedere. Atque animaduerto P. C. quosdam huic fauere sententiæ: quorum ea mens, idq; consilium est: vt cum videant illum glorioſissimum D. Bruto futurum diem: quo die propter eius salutem redierimus ad vestitũ: hunc tantum ei fructum eripere cupiant: ne memoriæ posteritatiq; prodatur, propter vnius ciuis periculũ populum Ro. ad sagа iuisse: propter eiusdem salutem redisse



disse ad togas. tollite hanc: nullam tam prauæ sententiæ causam reperietis. Vos vero P. C. conseruate authoritatem vestram: manete in sententia: tenete vestra memoria quod sæpe ostendistis: huius totius belli in vnius viri fortissimi & maximi vita positũ esse discrimen. ad D. Brutum liberandũ Legati missi principes ciuitatis: qui illi hosti ac parricidæ denunciarent, vt à Mutina discederet: eiusdem D. Bruti conseruandi gratia consu lus sortiti: ad bellũ profectus A. Hircius: cuius imbecillitatẽ valetudinis animi virtus & spes victoriæ confirmauit: Cæsar, cum exercitu comparato à primis pestibus Rẽp. liberasset: ne quid postea sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutum liberandum: vicitq; dolorem aliquẽ domesticum patriæ charitate. quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecunijs cõparandis, senatus consultis faciendis grauissimis in Antonium nobis cohortandis, populo Ro. ad causam libertatis vocando, nisi vt D. Brutum liberaret? à quo populus Ro. frequens ita salutem D. Bruti vna voce depoposcit: vt eam non solum cõmodis suis, sed etiã necessitati victus anteferret. quod sperare nos quidem debemus P. C. aut imbi esse: aut iam esse confectum: & spei fructum rei conuenit, & euentui reseruari: ne aut deorum immortalium beneficiũ festinatione præripuisse, aut vim fortunæ stulticia contempsisse videamur. Sed quoniam significatio vestra satis declarat, quid de hac re sentiatis, ad literas veniam: quæ sunt à Consule & à Prætore missæ. si pauca ante, quæ ad ipsas literas pertineant, dixero. Imbuti sanguine gladij P. C. legionũ, exercituumq; nostrorum, vel madefacti potius duorum Consulum, tertio Cæsaris præsidio. si hostium

Sanguis. fuit ille sanguis: summa militũ pietas. nefarium scelus: si ciuium: quousq; igitur is, qui omnes hostes scelere superauit: nomine hostis carebit? nisi mucrones etiã nostrorum militum tremere vultis: & dubitare vtrũ in ciue, an in hoste figantur. Supplicationem decernitis: hostem non appellatis. gratæ vero nostræ dijs immortalibus gratulationes erunt: gratæ victimæ: cũ interfecta sit ciuũ multitudo: de improbis, inquit, & audacibus. nã sic eos appellat clarissimus vir. quæ sunt vrbanarũ maledicta litium non iniusta. euelli, internecti nota * testamenta credo subyciunt, aut ejciunt vicinos: aut adolescentulos circumscribunt: his enim vicijs affectos, & talibus, malos & audaces appellare consuetudo solet, bellũ inexpiabile infert quatuor consulibus vnus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellũ cum Senatu populoq; Romano: omnibus, quanquã ruit ipse suis cladibus: pestem, vastitatem, cruciatũ, tormenta denunciat: Dolabellæ ferum & immane facinus, quod nulla barbaries posset ignoscere: id deorum consilio factum esse testatur: quæq; esset facturus in hac vrbe, nisi eum hinc ipse Iupiter ab his mœnibus repulisset: declarauit in Parmensium calamitate, quos optimos viros, honestissimosq; homines maxime cum authoritate huius ordinis, populiq; Rom. dignitate coniunctos, crudelissime interfecit: præludium illud, & portentũ L. Antonius, insigne odium omniũ hominum, vel, si etiã dijs oderint, quos oportet, omniũ deorum. refugit animus P. C. eaq; formidat dicere: quæ L. Antonius in Parmensium liberis, & coniugibus effecerit. quas enim turpitudines Antony libenter cum dedecore subierunt: easdem per vim lætantur alijs se intulisse. Sed vis calamitosa



Vis Dolabellæ in Eo. lamitosa est: quam illis intulerunt: libido flagitiosa: qua Antoniorũ oblita est vita. Est igitur quisquã qui hostis appellare non audeat: quorum scelere crudelitatẽ constat Carthaginensiũ victam esse? qua enim in vrbe tã immanis Annibal capta? quàm in Parma surrepta Antonius? nisi fortè huius Coloniæ, & cæterarũ, in quas eadem est animo: non est hostis putandus. Si vero coloniarum & municipiorũ sine vlla dubitatione hostis est: quid tandẽ huius censetis vrbis? quã ille ad explendas egestates latrocinij sui concupiuit: quàm iã peritus Metator decempeda. spectator & callidus decempeda sua Saxa diuiserat. Recordamini per deos immortales P. C. quid hoc biduo timuerimus à domesticis hostibus. id est. qui intra mœnia hostes sunt rumoribus improbissimis dissipatis. quis Domestici hostes. liberos, quis coniugem aspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larẽ familiarem? Iam aut fœdissimam mortem omnes, aut miserabilẽ fugam cogitabant. hæc à quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? grauius si quis attulerit nomen: libenter assentiar: hoc vulgari contentus vix sum: leuiore non vtar. Itaq; cum supplicationes iustissimas ex his literis, quæ recitatæ sunt, decernere debeamus, Seruiliusq; decreuerit: augebo omnino numerum dierũ. præsertim cum non vni, sed tribus ducibus sint decernendæ. Sed hoc primũ faciam: vt imperatores appellem eos: quorũ virtute, & consilij felicitate maximis periculis seruitutis, Imperator qs & quid. atque interitus liberati sumus. Etenim cui viginti bis annis supplicatio decreta est: vt non Imperator appellaretur: aut minimis rebus gestis, aut plærunque nullis? Quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit? aut vsitatus honos peruulga-

tusq3 tribuendus his, quibus etiã noui & singulares debentur. At si quis Hispanorum, aut Gallorũ, aut Thracũ mille, aut duo millia occidisset: non eũ hac consuetudine, quæ increbuit, imperatorẽ appellaret senatus? tot legionibus cæsis, tanta multitudine hostiũ interfecta (dico inquam hostiũ: quamuis hoc isti hostes domestici nolint) clarissimis ducibus supplicationis honorẽ tribuemus? Imperatorũ nomen adimemus? quanto enim honore, lætitia, gratulatione in hoc templũ ingredi debent illi ipsi huius vrbis liberatores: cum hesterno die propter eorũ res gestas me quantem & propè triumphantẽ populus Rom. in Capitolium domo tulerit? domum inde reduxerit? Is demum est mea quidẽ sententia iustus triũphus, ac verus, cũ bene de Rep. meritis testimonium à consensu ciuitatis datur. nã siue in cõmuni gaudio populi Ro. mihi gratulabantur, magnũ iudicium: siue gratias agebant, eo maius: siue vtrunq3: nihil magnificentius excogitari potest. tu igitur de te, dixerit quispiã. & quidem inuitus, sed iniuria dolor facit me præter consuetudinẽ glorioſum. nonne satis est ab hominibus virtutis ignaris gratiam benemerentibus non referri? etiam ne eos, qui omnes suas curas in Reipub. salute defigunt? Scitis enim per hos dies creberrimũ fuisse sermonem: me per Idus Quintiles, qui dies hodie est, cũ fascibus descensurũ. aliquem ne Imperatorẽ habituri erimus? crimen inuidia quæretur? Credo hoc in gladiatorẽ, aut latronẽ, aut Catilinã esse consultum: non in eum, qui ne quid tale in Repub. fieri possit, effecerit. an vt ego qui Catilinã hæc molientem sustulerim, euerterim, afflixerim: ipse extiterim repente Catilina? quibus auspicys istos fasces

augur.



augur acciperem? quatenus haberem? cui traderem? quanquam opinor nec fuisse tam sceleratum: qui hoc fingeret: nec tam furiosum qui crederet. vnde igitur ista suspicio? vel potius iste sermo? cum, vt scitis, hoc triduo vel quatriduo tristis à Mutina fama manaret: inflatu lencia atq3 insolentia impij ciues vnum se in locum, ad illam Curiam viribus potius suis, quàm Reipub. infelicem, congregabant. ibi cum consilium inirent de cæde nostra: partirenturq3 inter se, qui Capitolium, qui ostia, qui Vrbis portas occuparent: ad me concursum futurum ciuitatis putabant. quod, vt inuidia mea fieret, & cum vitæ etiam periculo: famam istam fascium dissipauerunt: fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. quod cum esset quasi mea voluntate factũ: tum impetus conductorum hominum, quasi in Tyrannum parabatur. ex quo cades esset vestrum omnium consecuta. Quæ res patefecit P. Conscripti: quod suo tempore totiusq3 huius sceleris fons aperietur. Itaq3 P. Apuleius Tribunus pl. meorum omnium consiliorum periculorumq3 iam inde à consulatu meo testis, conscius, & adiutor, dolorem ferre non potuit. doloris mei concionem habuit maximam populo Ro. vnũ atq3 idem sentiente. In qua concione cum me pro summa nostra coniunctione & familiaritate liberare suspicione fascium vellet: vna voce cuncta concio declarauit: nihil esse à me vnquam de Rep. nisi optime cogitatum. Post hanc habitam concionem duabus tribus ue horis optatissimi nuncy & literæ venerunt: vt idem dies non modo me iniquissima inuidia liberaret: sed etiam celeberrima populi Ro. gratulatione auxerit. Hæc interposui P. C. non tam vt pro me dicerem (male enim mecum ageretur, si parum

vobis essem sine defensione purgatus) quàm vt quosdam nimis ieiuno animo, & angusto monerem: id quod ego semper feci essem: vti excellentium ciuium virtutem imitatione dignam, non inuidia putarent. Magnus est in Rep. campus: vt sapienter dicere solebat Crassus: multis apertus cursus ad laudem. vtinam quidem illi principes viuerent: qui me post meum consulatum, cum his ipse cederem, principem non inuiti videbant. hoc vero tempore in tanta inopia constantium & fortium consularium, quo me dolore affici creditis? cum alios male sentire, alios nihil omnino curare videam: alios parum constanter in suscepta causa permanere: sententiam q3 suam non semper vtilitate Reip. sed cum spe, tum timore moderari. Quod si quis de contentione principatus laborat, quæ nulla esse debet: stultissime facit. si vicys cum virtute contendit. vt enim cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. tu, si ego de Repub. optime sentiã, vt me vincas: ipse pessime senties? aut si ad me bonorum concursum fieri videbis: ad te improbos inuitabis? nollem, primum Reip. causa: deinde etiam dignitatis tuæ. sed si principatus ageretur, quem nunquam expetiui: quid tandẽ mihi esset optatius? ego enim malis sententijs vinci non possum: bonis fortasse possum, & libenter. Hæc populũ Ro. videre, animaduertere, iudicare, quidam moleste ferunt. poterat ne fieri, vt non perinde homines quoq3, vt quisq3 mereretur iudicarent? vt enim de vniuerso Senatu populus Ro. verissime iudicat: nullis Reip. temporibus hunc ordinem firmiorem, atq3 fortiorem fuisse: sic de vnoquoq3 nostrum, & maxime qui hoc loco sententias dicimus: sciscitantur omnes: auent audire quid quisq3 senserit: ita de vnoquoq3, vt

quenq3



quenq3 meritum arbitrantur, existimant. memoria tenent, me ante diem XIIII Calen. Ianua. principẽ reuocandæ libertatis fuisse: me ex Calen. Ianua. ad hanc horã vigilasse Reipublicæ: meam domum, meas q3 aures dies & noctes omnium præceptis monitis q3 patuisse: meis literis, meis nũcijs, meis q3 cohortationibus omnes, qui vbiq3 essent: ad patriæ præsidium excitatos: meis sententijs a Calen. Ianua. nunquam legatos ad Antonium: semper illum hostẽ: semper ad hoc bellum: vt ego, qui omni tempore veræ pacis author fuissem: huic esse omnium pestiferæ pacis inimicus. Idem Venti diũ, cum alij Tribunũ Pl. voluissent: num ego semper hostem? In has sententias meas si Consules designati discessionem facere voluissent: omnibus istis latronibus authoritate ipsa Senatus iam pridem de manibus arma cecidissent. Sed quod tum non licuit P. Conscripti: id hoc tempore non solum licet, verum etiam necesse est: eos, qui re sunt hostes, verbis notari: sententijs nostris hostes iudicari. antea cum hostem aut bellum nominassem: semel, & sæpius, sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt. quod in hac causa iam fieri non potest. ex literis enim C. Pansæ, A. Hircij Consulum, C. Cæsaris Proprætoris, de honore dijs immortalibus habendo sententias diximus. supplicationem modo qui decreuit: idem imprudens hostis iudicauit. nunquam enim in ciuili bello supplicatio decreta est. decretam dico? ne victoris quidem literis postulata est. Ciuile bellum Consul Sylla gessit: legionibus in vrbẽ adductis quos voluit, expulit: quos potuit, occidit: supplicationis mentio nulla. graue bellum Octauij insecutum est: supplicatio Cinnæ nulla victoris. Cinnæ victoria Imperator vltus est Sylla. nulla supplicatio de-

creta

creta à Senatu.ad te ipsum P.Seruilium misit vllas Collega literas de illa calamitosa pugna Pharsaliæ ? num te de supplicatione voluit referre? profecto noluit. at misit postea de Alexandria,de Pharnace: Pharsalicæ vero pugnæ ne triumphũ quidẽ egit. eos enim ciues pugnæ illa sustulerat: quibus non modo victoribus,sed etiã viuis , & incolumis , & florens ciuitas esse posset. quod idem contigerat superioribus bellis ciuilibus. nam mihi Consuli supplicatio nullis armis sumptis, non ob cædem hostium,sed ob conseruationem ciuium,nouo,& inaudito genere decreta est. Quamobrem aut supplicatio ob Rempub.pulcherrime gestam postulantibus vestris Imperatoribus publice deneganda est: quod præter Gabinium contigit nemini:aut supplicatione decreta, hostes eos,de quibus decernitis,iudicetis necesse est. quod ergo illi re,ego etiam verbo:cum imperatores eos appello. hoc ipso nomine qui etiam deuicti sunt , & eos qui supersunt,hostes iudico : cum victores appello Imperatores. Quomodo enim potius Pansam appellem ? & si habet honoris nomen amplissimi?quo Hircium ? est ille quidem consul: sed alterũ nomen beneficij est populi Romani:alterũ virtutis atq; victoriæ. quid Cæsarem deorum beneficio Reip.procreatum: dubitem ne appellare Imperatorem?qui primus Antony immanem et fœdam crudelitatem non solum à iugulis nostris,sed etiam à membris , & visceribus auertit. Vnius autem diei quot & quantæ virtutes dij immortales fuerunt? princeps enim omnium Pansa prælij faciendi, & cum Antonio confligendi fuit:dignus Imperator legione Martia: digna legio Imperatore. cuius si acerrimum impetum cohibere Pansa potuisset:vno prælio confecta res esset. Sed cum libertatis



bertatis auida legio effrenatius in aciem hostium irruisset:ipseq; inprimis Pansa pugnaret:duobus periculosis vulneribus acceptis sublatus è prælio Reip. vitam reseruauit. Ego vero hunc non solum Imperatorem,sed etiam clarissimum Imperatorem iudico : qui cum aut morte,aut victoria se satis facturum Reipub. spopondisset: alterum fecit : alterius dij immortales omen auertant. Quid dicam de Hircio? qui re audita è castris duas legiones eduxit incredibili studio atq; virtute, quartam illam,quæ relicto Antonio se olim cum Martia legione coniunxit:et septimam,quæ constituta ex veteranis docuit hoc prælio militibus,his qui Cæsaris beneficia seruassent,senatus populiq; Ro.charum nomen esse. his viginti cohortibus nullo equitatu Hircius ipse aquilam quartæ legionis cum inferret: quam vllius pulchriorem speciem Imperatoris accepimus? cum tribus Antonij legionibus equitatuq; conflixit:hostesq; nefarios,huic Ioui Maximo,cæterisq; deorum immortaliũ templis,vrbi tectis,libertati populi Romani , nostræ vitæ,sanguiniq; imminentes prostrauit:fudit: occidit:vt cũ admodum paucis nocte tectus metu perterritus princeps latronũ,duxq; fugerit. O' solem ipsum beatissimum:qui ante quam se abderet,stratis cadaueribus parricidarum , cũ paucis fugientem vidit Antonium. An vero quisquam dubitabit appellare Cæsarem Imperatorem ? ætas eius certe ab hac sententia neminem deterrebit:quandoquidem virtute superauit ætatem. Ac mihi semper eo maiora beneficia Cæsaris visa sunt : quo minus erant ab ætate illa postulanda. cui cum Imperium dabamus : eodem tempore & spem eius nominis deferebamus: quod ei est consecutus authoritatẽ nostri decreti, rebus gestis

suis

suis comprobauit. Hic ergo adolescens maximi animi, vt verissime scribit Hircius, castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est: secundumq3 præliũ fecit. Ita trium Imperatorum populi Rom. virtute, consilio, felicitate, vno die locis pluribus Resp. est conseruata. decerno igitur eorũ trium nomine L dierũ supplicationes. quas vt honorificentissimis verbis ipse consequi potero: complectar ipsa sententia. Est autem fidei pietatisq3 nostræ declarare fortissimis militibus, quam memores simus, quamq2 grati. quamobrẽ promissa nostra, atq3 ea, quæ legionibus bello confecto tributuros nos spopondimus: hodierno Senatus Consulto renouãda censeo. æquũ est enim militum, talium præsertim, honorem coniungi. Atq3 vtinam P.C. ciuibus omnibus soluere nobis præmia liceret. quanquam ea, quæ nos promisimus: studiose cumulata reddemus. sed id quidem restat, vt spero, victoribus: quibus Senatus fides præstatur: quam cum difficillimo Reip. tempore secuti sunt: eos nunquam oportebit consily sui pœnitere. sed facile est bene agere cum his: à quibus etiam tacentibus flagitari videamur. illud admirabilius, & maius, maximeq3 proprium Senatus sapientis est: grata eorũ virtutem memoria prosequi: qui pro patria vitam profuderunt. quorũ de honore vtinam mihi plura in mentem venirent. duo certe non præteribo: quæ maxime occurrunt. quorum alterũ pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam. alterum ad leniendum mœrorem, & luctum proximorum. Placet igitur mihi P.C. legionis Martiæ militibus, & eis, qui vna pugnantes occiderunt: monumentum fieri quàm amplissimi. m. magna atq3 incredibilia sunt in ~~Rempub. huius merita legionis.~~ hæc se prima latrocinio

abrupit



abrupit Antonij: hæc tenuit Albam: hæc se ad Cæsarem contulit: hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam consecuta est. quarta victrix desiderat neminem. ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. O fortunata mors: quæ naturæ debita pro patria est potissimum reddita. Vos vero patriæ natos iudico: quorum etiam nomen à Marte est: vt idem deus Vrbem hanc gentibus, vos huic vrbi genuisse videatur. In fuga fœda mors: in victoria gloriosa. etenim Mars ipse ex acie fortissimũ quenq3 pignerari solet. Illi igitur impy, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnas parricidij luent. vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis. piorũ estis sedem, & locum consecuti. breuis autem vobis vitæ data est: at memoria bene redditæ vitæ sempiterna. quæ si non esset longior, quàm hæc vita: quis esset tam amens? qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamq3 contenderet? actum igitur præclare vobiscum fortissimi dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites: quod vestra virtus nec obliuione eorum qui sunt, nec reticentia posterorũ insepulta esse poterit: cui vobis immortale monumentum suis pene manibus Senatus populusq3 R. extruxerit. multi sæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari, & magni fuerunt: nec tamen vllis tale genus honoris tributũ est. atq3 vtinam maiora possemus: quandoquidẽ à vobis maxima accepimus. vos ab Vrbe furentem Antonium auertistis: vos redire molientem repulistis. erit igitur extructa moles opere magnifico: incisæq3 literæ diuinæ virtutis testes sempiternæ: nunquamq3 de vobis eorum: qui aut videbunt vestrũ monumentum, aut audient gratissimus sermo conticesset ita pro mortali conditione vitæ, immortalitatem

tatem estis consecuti. Sed quoniam P.C. gloria munus optimis & fortissimis ciuibus monumenti honore persoluitur: consolemur eorum proximos: quibus optima est hæc quidē consolatio: parentibus, quod tanta Reip. præsidia genuerunt: liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis: coniugibus, quod his viris carebunt: quos laudare, quàm lugere præstabit: fratribus, quod in se, vt corporum, sic virtutum similitudinem esse considerent. Atq; vtinam his omnibus abstergere fletum sententys nostris, consultisq; possemus: vel aliqua talis his adhiberi publice posset oratio: qua deponerent mœrorē, atq; luctum: gauderentq; potius, cum multa et varia impenderent hominibus genera mortis: id genus, quod est pulcherrimū, suis obtigisse: eosq; nec inhumatos esse, nec desertos: quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur: nec dispersis bustis humili sepultura crematos: sed contectis publicis operibus, atq; muneribus, eaq; extructione, quæ sit ad memoriam æternitatis aratuirtutis. Quamobrem quidē maximum solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari & virtutem suorum, & ætatem, & senatus fidem, & crudelissimi memoriam belli, in quo nisi tanta militum virtus extitisset: parricidio M. Antonij nomē populi Ro. occidisset. Atq; etiā censeo P.C. quæ præmia militibus promisimus nos Rep. recuperata tributuros: ea viuis victoribusq; cumulate, cum tempus venerit persoluenda. qui autem ex his, quibus illa promissa sunt: pro patria occiderunt: eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus, tribuenda censeo. Sed vt aliquando sententia complectar, ita censeo. Cum C. Pansa Cons. Imp. initium cum hostibus confligendi fecerit: quo prælio legio Martia ad-



tia admirabili, incredibili, virtute libertatē pop. Ro. defenderit: quod idē legiones Tyronum fecerint: ipseq; C. Pansa Cons. Imp. cū inter media hostium tela versaretur, vulnera acceperit: cumq; A. Hircius Cos. Impe. prælio audito, & cognito, fortissimo, præstantissimoq; animo exercitū castris eduxerit, impetumq; in M. Antonii, exercitumq; hostiū fecerit: eiusq; copias occisione occiderit, suo exercitu ita incolumi, vt ne vnū quidem militē desiderauerit: cumq; C. Cæsar Imp. consilio diligentiaq; sua castra feliciter defenderit: copiasq; hostiū, quæ ad castra accesserant, profligarit: occiderit: ob eas res Senatum existimare, & iudicare, eorum trium Imperatorum virtute, imperio, consilio, grauitate, constantia, magnitudine animi, felicitate populū Rom. fœdissima crudelissimaq; seruitute liberatū: cumq; Rempublicam, vrbem, templa deorum immortaliū, bona, fortunasq; omnium, liberosq; conseruarint dimicatione, & periculo vitæ suæ: vt ob eas res bene fortiter, feliciterq; gestas, C. Pansa, A. Hircius Conss. Imperatores vter amboue, aut si aberint, M. Cornutus Pr. vrbanus supplicationes per dies L. ad omnia puluinaria constituant: cumq; virtus legionum digna clarissimis Imperatoribus extiterit: Senatum, quæ sit antea pollicitus legionibus, exercitibusq; nostris: ea summo studio Rep. recuperata resoluturū: cumq; legio Martia princeps cum hostibus confluxerit: atq; ita cum maiore numero hostium contenderit: cōplurimos caderent: caperent nonnulos: cumq; sine vlla necessitate pro patria vitam profuderint: cumq; simili virtute reliquarum legionū milites pro salute & libertate populi Ro. mortem oppetiuerint: Senatui placere, vt C. Pansa, A. Hircius Consules,

*Imperatores, alter amboue, si his videatur, his qui sanguinem pro vita, libertate, fortunisq; populi Rom. pro vrbe, templisq; deorum immortaliũ profudissent: monumentum quam amplissmũ, locandũ, faciendumq;, vrbem ad eam rem pecuniam dare, contribuere, soluere iubeant: vt extet ad memoriam posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium, militumq; diuinam virtutem: vtq;, quæ præmia Senatus militibus ante constituit: ea soluantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt: parentibus, liberis, coniugibus, fratribus: eaq; fratribus tribuantur, quæ militibus ipsis tribui oporteret: si illi vicissent, qui morte vicerunt.*

# M. T. CICERONIS AD OCTAVIVM EPISTOLA.

SI per tuas legiones mihi licitum fuisset, quæ nomini meo, populoq; Ro. sunt inimicissimæ: venire in Senatũ, coramq; de Rep. disputare: feciſſem neq; tã libenter, quàm necessario. nulla enim remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria. Sed, quoniam cohortibus armatis circumseptus Senatus, nihil aliud vere potest decernere, nisi timere: in Capitolio signa sunt: in vrbe militia vagantur: in campo castra ponuntur: & Italia tota legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad seruitutem adductis, equitatuq; exterarum nationũ detinetur: cedam tibi in præsentia fõro, curia, & sanctissimis deorum immortalium templis: in quibus reuiuiscente iam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur: timet multa: assentitur omnia: post etiam paulo, temporibus ita postulantibus, cedã vrbe: quam per me conseruatam, vt esset libera, in seruitute videre non potero: cedam vita: quæ quanquam sollicita est: tamen si profutura est Reipublicæ, bona spe posteritatis me consolatur. qua sublata non dubitanter occidam. atq; ita cedam: vt fortuna, iudicio meo, non animus mihi defuisse videatur. illud vero, quod & præsentis doloris est indicium, & præteritæ iniuriæ testimonium, & absentium sensus significatio: non prætermittam, quin, quoniam coràm id facere prohibeor: absens prosim. siquidem mea salus, aut vtilis Reipublicæ est: aut cõiun-

cta certe publicæ saluti. nam per Deûm immortalium fidem (nisi forte frustra eos appello, quorum auris, atque animus à nobis abhorret) perq; fortunam pop. Ro. quæ quanquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia: & vt spero, futura est: quis tã expers humanitatis? quis huius vrbis nomini, ac sedibus vsq; adeo est inimicus? vt ista aut dissimulare possit? aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incõmodis mederi queat: non morte proprium periculum vitet? nam, vt ordiar ab initio: & perducã ad extremum: & nouissima cõferam primis: quæ non posterior dies acerbior priore, & quæ non insequens hora antecedente calamitosior populo Romano illúxit? M. Antonius vir animi maximi (vtinam etiã sapientis consilij fuisset) C. Cæsare fortissimo, sed parum feliciter à Reipub. dominatione semoto, concupierat, magis regium, quàm liberæ ciuitas pati poterat, principatũ: publicã dilapidabat pecuniam: ærarium exhauriebat: minuebat vectigalia: donabat ciuitates ex commentario: Dictaturã gerebat: leges imponebat: prohibebat vt. Dictatorẽ creari legibus: senatus consultis ipse repugnabat. in Senatu: prouincias vnus omneis concupierat, cui sordebat Macedonia prouincia: quam victor sibi sumpserat Cæsar: quid de hoc sperare, aut expectare nos oportebat? extitisti tu vindex nostræ libertatis, vt tunc quidẽ optimus: quod vtinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset: & veteranis in vnum conductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ ad salutem auocatis, subito propè iam affectam, ac prostratam Rempublicam tuis opibus extulisti. quæ tibi, non antequã postulares, maiora quàm velles, plura quàm sperares, detulit Senatus?

dedit



dedit fasces: vt cum authoritate defensorem haberet: nõ vt imperio se aduersum armaret: appellauit Imperatorem, hostium exercitu pulso tribuens honorem: non, vt sua cade cæsus ille fugiens exercitus te nominaret Imperatorem: decreuit in foro statuam: locum in Senatu: summum honorem ante tempus. siquid aliud est, quod dari possit, addat. quid aliud est maius, quod velis sumere? Sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa: cur aut ingratus crudeliter, aut imm emor beneficij sui scelerate circumscribis Senatum? quo te misimus? à quibus reuerteris? contra quos armauimus? quibus arma cogitas inferre? à quibus exercitum abducis? & aduersus quos aciem struis? cur hostis relinquitur? ciuis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longius aduersariorum castris, & propius vrbem mouentur? O' me nunquam sapientem, & aliquando id, quod nõ erat frustra existimatum. quantũ te populi Romane de me fefellit opinio: O' meam calamitosam, ac præcipitem senectutem: O' turpem exacta, dementiq; ætate caniciem. Ego Patres conscriptos ad parricidiũ induxi: ego Rẽp. fefelli: ego ipse Senatum sibi manus afferre coegi: cum te Iunonium puerum, & matris tuæ partum aureum esse dixi. at te fata patriæ Paridem futurum prædicabant: qui vastares Vrbẽ incendio: Italiam bello: qui castra in templis deorum immortalium, Senatum in castris habiturus esses. O' miseram, & in breui tam celerem, & tam variam in Repub. commutationem. quis nam talis futurus ingenio est? qui possit hæc ita mandare literis: vt facta, non ficta videantur esse? quis erit tanta animi facultate? qui quæ verissime memoriæ pro-

pagata fuerint: non fabulæ similia sit existimaturus? cogita enim Antonium hostem iudicatum: ab eo circumsessum Cos. designatum, eundemq; Reip. parentem: te profectum ad Cos. liberandum, & hostem opprimendũ: hostemq; à te fugatum: & consulem obsidione liberatum: deinde paulo post, fugatum illum hostem accersitũ, tanquam cohæredem mortua Rep. ad bona populi Romani rapienda: Consulem des. rursus inclusum eò, vbi se non mœnibus, sed fluminibus, & montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere? quis credere audebit? liceat semel impune peccare: sit erranti medicina confessio. verum enim dicam, vtinam te potius Antoni dominum non expulissemus: quàm hunc reciperemus, non quod vlla sit optanda seruitus: sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna serui. in duobus autem malis cum fugiendum maius sit: leuius est eligendum. ille ea tamen exorabat, quæ volebat auferre. tu extorques. ille Consul Prouinciam petebat. tu priuatus concupisti. ille ad malorum salutem iudicia constituebat, & leges ferebat. tu ad perniciem optimorum. ille à sanguine, & incendio seruorum Capitolium tuebatur. tu cruore, & flamma cuncta delere vis: Si, qui dabat Prouincias Cassio, & Brutis, & illis custodibus nominis nostri, regnabat: quid faciet? qui vitam adimit? si qui ex vrbe eiciebat: Tyrannus erat: quem hunc vocemus? qui ne locũ quidem reliquit exilio? Itaq; si quid illæ maiorum nostrorum sepultæ reliquiæ sapiunt: si non vnà cum corpore sensus omnis vno, atq; eodem consumptus est igni: quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus Romanus, respondebit aliquis nostrũ, qui proximus in illã æternam domũ discesserit? aut quæ accipient de suis posteris nuncium illi veteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? quid de sua patria audient? quam spoliis, triumphisq; decorarant? an esse quendã annos XXIII natum: cuius annus fuerit argentarius: adstipulator pater: vterq; vero precariũ fecerit quæstum: sed alter vsq; ad senectutem, vt non negaret: alter à pueritia, vt non posset non confiteri. eum agere, rapere Rempublicam: cui nulla virtus: nullæ bello subactæ, & adimperium adiunctæ Prouinciæ; nulla dignitas maiorum conciliasset opem potentium: sed forma per dedecus, pecuniam, & nomen nobile conscelera tum impudicitiæ dedisset: vetera vulneribus, & ætate confectos Iulianos gladiatores egenteis reliquias Cæsaris ludi ad rudem compulisset: quibus ille septus omnia miscere t: nulli parceret: sibi viueret: qui quanquam in dotali matrimonio Remp. testamento legatam sibi obtineret. Audient duo Decij seruire eos cines: qui, vt hostibus imperarent, victoriæ se deuouerunt. audiet C. Marius impudico domino parere nos: qui ne militem quidem habere voluit, nisi pudicũ. audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, post progenies eius à regibus liberauit: pro turpi stupro datum in seruitutem. Quæ quidem si nullo alio, me tamẽ internuncio ad illos celeriter deferentur. nam si viuus ista sub terfugere non potero: vnà cum istis vitam simul fugere decreui.

# C. CRISPI SALVSTII IN M. TVL. CICERONEM.

Rauiter, & iniquo animo maledicta tua paterer M. Tulli: si te scirem iudicio magis, quàm morbo animi petulantia ista uti. sed cum in te neq; modum, neq; modestiam vllam animaduerto: respondeo tibi: vt si quam voluptatem maledicendo capisti: eam male audiendo amittas. vbi querar? quos implorem P.C. diripi Rempublicam: atq; audacissimo cuiq; esse perfidiæ locũ? an apud populum Romanum? qui ita largitionibus corruptus est: vt sese, ac fortunas suas venales habeat. an apud vos Patres Conscripti? quorum authoritas turpissimo cuiq; & sceleratissimo ludibrio est: vbi M. Tullius leges, iudicia populi Ro. defendit: atq; in hoc ordine ita moderatur: quasi vnus reliquus ex familia viri clarissimi Scipionis Africani, ac non repetitus, accitus, & paulo ante insitus huic vrbi ciuis. An vero M. Tulli facta ac dicta tua obscura sunt? an non ita à pueritia vixisti? vt nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? an scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ iactura perdidiciſti? Itaq; minime mirandum est: si eam flagitiose venditas: quam turpissime parasti. Verum vt opinor splendor domesticus tibi animos tollit. vxor sacrilega, ac periurijs delibuta: filia matris pellex tibi iucundior atq; obsequentior, quàm parenti par est. domũ ipsam tuam vi, & rapinis funestam tibi, ac tuis comparasti. videlicet vt nos cõmonefacias, quàm conuersa sit Respublica: cum in ea domo habitares homo flagitiosissime: que



que P. Crassi viri consularis fuit. Atq; hæc cum ita sint: tamen se Cicero dicit in concilio deorum immortalium fuisse: inde missum huic vrbi, ciuibusq; custodem, absq; carnificis nomine. qui ciuitatis incommodum in gloriã suam ponit. quasi vero non illius coniurationis causa fuerit consulatus tuus: & iccirco Resp. disiecta eo tempore: quo te custodem habebat. Sed vt opinor illa te magis extollunt: quæ post consulatum cum Terentia vxore de Rep. consuluisti: cum legis Plancię iudicia domi faciebatis: ex coniuratis, alios morte, alios pecunia condemnabas: cum tibi alius Thusculanum, alius Pompeianũ villam ædificabat: alius domum emebat. qui vero nihil poterat, is erat calumniæ proximus: is aut domum tuã oppugnatũ venerat, aut insidias senatui fecerat: denique de eo tibi compertum erat. quæ si tibi falsa obijcio: redde rationem quantum patrimonij acceperis: quid tibi litibus accreuerit: qua ex pecunia domũ paraueris: Thusculanum, & Pompeianum infinito sumptu ædificaueris. aut sceleres: cui potest esse dubium? quin opulentiam istam ex sanguine & miserijs ciuium paraueris? Verum vt opinor homo nouus Arpinas, ex M. Crassi familia eius virtutem imitatur: contemnit simultatẽ hominum nobilium: Remp. charã habet: neq; terrore, neq; gratia commouetur. Illud vero amicitiæ tantum, ac virtutis est animi? immo vero homo leuissimus supplex inimicis, amicis contumelioſus, modo harum, modo illarum partium, nemini fidus, leuissimus Senator, mercenarius patronus, cuius nulla pars corporis à turpitudine vacat: lingua vana: manus rapacissima: gula immensa: pedes fugaces: quæ honeste nominari non possunt, inhonestissima. Atq; is cum eiusmodi sit: tamen audet de cere:

cere: O fortunatam natam me Consule Romam. te Consule fortunatam Cicero? immo vero infelicem, & miseram: quæ crudelissimã proscriptionem ciuium perpessa est: cum tu turbata Rep. metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas: cum omnia iudicia, omnes leges in tua libidine erant: cũ tu sublata lege Portia erepta libertate, nostrorum omniũ vitæ necisq; potestatẽ ad te vnum reuocaueras. Atq; parum est quod impune feceris: verũ etiã commemorando exprobras: neq; licet obliuiscì seruitutis suæ. Egeris oro te Cicero: perficeris quod libet: satis est perpessos esse: etiam ne aures nostras onerabis tuo odio? etiam ne molestissimis verbis insultabere? Cedant arma Togæ: concedat laurea linguæ. quasi vero togatus, & non armatus ea, quæ gloriaris, confeceris: atq; inter te Syllamq; Dictatorem præter nomen imperij quicquã interfuerit. Sed quid ego plura de tua insolentia commemorẽ? quẽ Minerua omneis artes edocuit? Iupiter Optimus Max. in concilio deorũ admisit: Italia exulẽ humeris suis reportauit. oro te Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos, Scipiones, Fabios superasti: quẽ tandem locum in hac ciuitate obtines? quæ tibi partes Reip. placent? quem amicum, quẽ inimicũ habes? cui insidias in ciuitate feciſti ancillares: quo iure cũ de exilio tuo Dyrrhachio redysti, eũ sequeris? quos Tyrannos appellabas: eorum nunc potentiæ faues? qui tibi ante optimates videbantur: eosdẽ nunc dementes ac furiosos vocas? Vatinij causam agis? de Sextio male existimas? Bibulum petulantissimis verbis laedis: laudas Cæsarem? quem maxime odisti, ei maxime obsequeris? aliud stans, aliud sedens de Rep. sentis? hic maledicis? illos odisti, leuissime transfuga, neq; in hac neq; in illa parte fidem habens.



# M. TVL. CICERONIS IN CRISPVM SALVSTIVM RESPONSIO.

Audacter. Audiebar. Audiebar.

Admodum magna voluptas est Crispe Salusti, æqualem, ac parem verbis vitã agere: neq; quicquam tam obscenũ dicere: cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat: vt omnis oratio moribus consonet. neq; enim qui ita vixit, vt tu, aliter ac tu loqui potest: neq;, qui tam illoto sermone vtitur: vita honestior est. Quo me vertam Patres Cõscripti? vnde initium sumam? maius enim mihi dicendi onus imponitur: quo notior est vterq; nostrũ. Quod, aut si de mea vita atq; actibus huic conuiciatori respondero: inuidiam gloria consequatur. aut si huius facta, mores, omnem ætatem nudauero: in idem vicium incidam procacitatis, quod huic obijcio. Id vos si forte offendimini: iustius huic, quàm mihi succensere debetis: qui initium introduxit, ego dabo operam, vt & pro me minimo cum fastidio respondeam: & in hanc minime mentitus esse videar. Scio me P.C. in respondendo non habere magnam expectationem: quod nullum vos sciatis nouum crimen in Sallustium audituros: sed omnia vetera recogniturus: quis & mea, & vestra iam, & ipsius aures calent. verum eo magis odisse debetis hominem: qui ne incipiens quidem peccare minimis rebus potuit rudimentum: sed ita ingressus est: vt neq; ab alio vinci possit: neque ipse se omnino reliqua ætate præterire. sing. nihil aliud studet: nisi vt lutulentus sus cũ quouis volutari.

volutari longe vero fallitur opinione. Non enim procacitate linguæ vitæ sordes eluuntur. sed est quædã calumnia, quam vnusquisq; nostrum testante animo suo fert, de eo, qui falsum crimen bonis obiectat. quod si vita istius memoriam vicerit: aliam Patres Conscripti non ex oratione eius, sed suis ex moribus spectare debetis. Iã dabo operam quã maxime potero: vt breue id faciam. Neq; hæc altercatio nostra vobis inutilis erit Patres Conscripti. plerunque enim Respublica priuatis crescit inimicitijs: vbi nemo ciuis qualis sit vir, potest latere. Primum igitur quoniam omnium maiores Crispus Sallustius ad vnum exemplum & regulam quærit: velim mihi respondeat, nunquid hi, quos protulit Scipiones, & Metellos, vel Fabios, ante fuerint aut opinionis, aut gloriæ, quã eos res gestæ suæ, & vita innocentissime acta commendauit? quod si hoc fuit illis initium nominis, & dignitatis: cur non æque de nobis existimetur: cuius & res gestæ illustres, & vita integerrime acta: quasi vero tu sis ab illis viris Sallusti ortus. quod si esses: nonnullos iam tuæ turpitudinis pigeret. ego meis maioribus virtute mea præluxi: vt, si prius noti non fuerint: à me accipiant initium memoriæ suæ. tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: vt etiam si fuerint egregij ciues: certe venerint in oblivionem. quare noli mihi antiquos viros obiectare. satius est enim me meis rebus gestis florere: quàm maiorum opinione niti: & ita viuere: vt ego sim posteris meis nobilitatis initiũ, & virtutis exemplum. Neq; me cum his conferri decet P.C. qui iam decesserunt, omniq; odio carent, & inuidia. sed cum eis, qui mecum vna in Republica versati sunt. Sed si fuerim aut in honoribus petendis nimis ambitiosus:



ambitiosus: non hanc dico popularem ambitionem, cuius me principem confiteor. sed illã perniciosam contra leges: cuius primos ordines Sallustius duxit: aut in gerendis magistratibus, aut in iudicandis maleficijs, tã seuerus: aut in tuenda Repub. tam vigilans, quã tu proscriptionem vocas: credo quod non omnes tui similes incolumes in hac vrbe vixissent. at quanto meliore loco Resp. staret: si tu par ac similis sceleſtorũ ciniũ, vna cum illis adnumeratus esses. An ego tunc falso scripsi? Cedant arma togæ. qui togatus armatos, & pace bellum oppressi. An illud mentitus sum? fortunatã natam me Consule Romam. qui tantum intestinũ bellum, ac domesticum vrbis incendium extinxi? neq; te tui piget hominem leuissimè cũ ea culpat: quæ in historijs gloriæ mihi ducis. An turpius est P.C. scribentem mentiri? quàm illũ palàm hoc ordine dicentem? Nam quod ætatem increpuisti: tantum me abesse puto ab impudicitia: quantũ tu à pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? quid enim mẽtiri turpe duces: qui mihi ausus sis eloquentiam vt vitium obijcere? cuius semper nocens eguisti patrocinio? An vllũ existimas posse fieri ciuem egregiũ, qui non his artibus, & disciplinis sit eruditus? an vlla putas esse rudimenta, & incunabula virtutis? quibus animi ad gloriæ cupiditatẽ aluntur? sed minime mirũ est P.C. si homo, qui desidiæ, ac luxuriæ plenus sit: hac vt noua, atq; inusitata miratur. Nam quod inusitata rabie petulantem in vxorẽ, & in filiam meã inuasisti: quæ facilius mulieres se à viris abstinuerunt: quàm tu vir à viris: satis docte ac perite fecisti. non enim me speraſti mutuã tibi gratiam relaturũ: vt vicissim tuos compellarem. vnus enim satis es materiæ habens: neq; quicquam domi tuæ

turpius est quàm tu. Multũ vero te opinio fallit: qui mihi parare putasti inuidiã ex mea re familiari: quæ mihi multo minor est: quàm habere dignus sim. atq; vtinam ne tanta quidẽ esset, quanta est: vt potius amici mei viuerent: quàm ego testamentis eorũ locupletior essem. Ego fugax Crispe Salusti? furori tribuni pl. cessi: vtilius duxi quamuis fortunã vnus experiri: quàm vniuerso populo Ro. ciuilis essem dissensionis causa. qui postea quam ille suum annũ in Rep. perbacchatus est: omniaq; quæ cõmouerat, pace & ocio resederunt: hoc ordine reuocante, atque ipsa pop. Ro. manu trahente me, reuerti. qui mihi dies, si cũ omni reliqua vita conferatur: animo meo quidem superet: cũ vniuersi vos, Populusq; Ro. frequens aduentu meo gratulatus est. tanti me fugacẽ, mercenariũ patronum hi æstimauerunt. Neq; hercule mirũ est, si ego semper iustas omnium amicitias existimaui. non enim vni priuatim ancillatus sum: neq; me addixi: sed quantũ quisq; Reip. studuit: mihi tantũ fuit aut amicus, aut inimicus. ego nihil plus volui valere, quã pacẽ. multi priuatorum audacias nutrierunt: ego nihil timui nisi leges. multa arma sua timeri voluerũt: ego nunquã volui quicquã posse nisi pro vobis. Multi ex vobis potẽtia freti, in vos suis viribus abusi sunt. Itaq; non est mirũ, si nullius amicitia vsus sum, qui nõ perpetuo Reip. amicus fuit. neq; me pœnitet: si aut petenti Vatinio reo patrociniũ pollicitus sum: aut Sexty insolentiã repressi: aut Bibuli patientiã culpaui: aut virtutibus Cæsaris faui. hæc enim laudes egregij ciuis, & vnicæ sunt. Quæ si tu mihi vt vicia obycis: temeritas tua reprehendetur: non mea vicia culpabuntur. plura dicerem, si apud alios mihi esset dicendum P. C. non apud vos, quos ego habui



bui omnium mearum actionum monitores. Sed vbi rerum testimonia adsunt: quid opus est verbis? Nunc vt ad te reuertar Salusti: patrem q; tuum præteream: qui si nunquã in vita sua peccauit: tamen maiorem iniuriam Reipub. facere non potuit: quàm quod te talem filium genuit. Neq; tu si qua in pueritia peccasti, exequar. ne parentem tuum accusare videar: qui eo tempore summam tui potestatem habuit: sed qualem adolescentiam egeris. hac enim demonstrata, facile intelligetur, quàm petulanti pueritia tã impudicus & pcax adoleueris. Posteaquã immẽsæ gulæ impudicissimi corporis quæstus sufficere non potuit: & ætas tua iam ad ea patiẽda, quæ alteri facere collibuisset, exoleuerat: cupiditatibus infinitis efferebaris, vt quæ ipse corpori tuo turpia non duxisses, in alys experireris. Ita non est facile reputare P. C. vtrum inhonestioribus corporis partibus rem quæsierit, an amiserit. domum paternam vino patre turpissime venalem habuit, vendidit, & cuiquam dubium potest esse: quin mori coegerit eum, quo hic nondum mortuo pro hærede gesserit omnia? neque pudet eum à me quærere, quis in P. Crassi domo habitet: cum ipse respondere non queat: quis in ipsius habitet paterna domo. At hercule lapsus ætatis tyrocinio, postea se correxit. non ita est: sed abyt in sodalitiũ sacrilegij Nigidiani: bis ad iudicis subsellia attractus, extrema fortuna stetit: & ita discessit, vt non hic innocens esse, sed iudices peierasse existimarentur. primũ honorem in quæstura adeptus, hunc locũ & ordinẽ deseruit despectus: cuius aditus sibi quoq; sordidissimo homini patuisset. Itaq; timens ne facinora eius clàm vos essent: cum omnibus matribus familiarũ opprobrio es-

A dulterij confessio.

set: confessus est vobis audientibus adulterium: neq; erubuit ora vestra. Vixeris vt lubet Salusti: egeris quæ volueris. satis sit vnum te tuorum scelerũ conscium esse, nolì nobis languorẽ & soporẽ nimium exprobrare. sumus diligentes in tuenda pudicitia nostrarum vxorum: sed ita experrecti non sumus: vt à te cauere possimus. audacia tua vincit studia nostra. Et quod hunc monere possit P. C. factum ac dictũ turpe? quem non puduit palam vobis audientibus adulterium confiteri? quod si tibi nihil per me respondere voluissem: sed illud censorium elogium Appij Claudy, & L. Pisonis integerrimorum virorũ, quo vsus est quisq; eorum: pro lege palàm vniuersis recitarem: nonné tibi viderer æternas in vrere maculas? quas reliqua vita tua eluere non possit? neq; post illũ delectum Senatus vnquã te vidimus: nisi forte in ea te castra coniecisti: quo omnis sentina Reip. confluxerat. At idem Salustius, qui in pace ne senator quidem manserat: posteaquam Resp. armis oppressa est: & idẽ per victores, quos exules, reduxit: in senatum post quæsturã est reductus. quem honorem ita gessit: vt nihil in eo nõ venale habuerit: cuius aliquis emptor fuerit. ita igitur egit, vt nihil non æquũ, ac verum duxerit: quod ipsi facere collibuisset: neq; aliter vexauit, ac debuit, si quis prædæ loco magistratũ accepisset. peracta quæstura posteaquã magna pignora eis dederat: cũ quibus similitudine vitæ se coniunxerat: vnus iã ex illo grege videbatur. eius enim partis erat exemplar Salustius: quo tanquã in imam voraginẽ cœtus omniũ vitiorum excesserat, quicquid impudicorũ, cylonum, parricidarũ, sacrilegorum, debitorũ fuit, in vrbe, municipijs, coloniis, Italia tota, sicut in fretis subsederant, nominis per-

Pudicitia.

Emptor.



diti, ac notissimi, nulla in parte castris apti, nisi licentia vitiorum, & cupiditate rerum nouarũ. At posteaquã Prætor est factus: modeste se gessit, & abstinenter. nonné ita pronunciam vastauit? vt nihil neq; passi sint, neque expectarint grauius in bello socij nostri: quã experti in pace, hoc Africam interiorem obtinente. vnde tantum hic exhausit: quantũ potuit aut fide nominũ traijci, aut in naues contrudi. tantum inquã P. C. exhausit, quantum voluit. ne causam diceret sextertio duodecies cum Cæsare paciscitur. quod si quippiam eorum falsum est: his palàm refelle. vnde tu, qui modo ne paternã quidem domum redimere potueris: repente tanquam somnio beatus, hortos preciosissimos, villam Tiburti, C. Cæsaris reliquas possessiones, paraueris. neq; piguit quærere, cur ego P. Crassi domũ emissem: cum in veteris villæ dominus sis: cuius paulo ante fuerat, Cæsar: modo inquã patrimonio nõ comesso, sed deuorato, quibus rationibus repente factus es tã affluens, & tam beatus? nam quis te faceret heredem? quẽ ne amicum quidem suũ satis honestum quisquã sibi ducit: nisi similis ac par tui. At hercule egregia facta maiorũ tuorum te extollunt. quorum siue tu similis es: siue illi tui: nihil ad omnium scelus, ac nequitiam addi potest. verum vt opinor honores tui te faciunt insolentem. tu C. Salusti tantidem putas esse bis Senatorẽ, & bis Quæstorem fieri: quanti bis Consularem, & bis triumphalem. carere debet omni vicio qui in alterum paratus est dicere. is demum maledicit: qui non potest verum ab altero audire. sed tu omnium mensarũ assecla, omnium cubiculorum in ætate pellex, & idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es, & ciuilis belli memoria. quid enim grauius

Affluens. Beatus. Amicus. Victus. Maledicax.

pati potuimus: quàm quod te incolumem in hoc ordine videamus? desine honos petulantissima consectari lingua: desine morbo procacitatis isto uti: desine vnumquenque moribus tuis existimare. his moribus amicum tibi facere non potes. videris velle inimicum habere. Finem dicendi P. C. faciam. sæpe enim grauius vidi offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt: quàm eos, qui commiserunt. Mihi quidem ratio habenda est, non quid Salustius merito debeat audire: sed vt ea dicam si qua ego honeste effari possum.

A Inotatio, vel publicatio damnatorum.

# ΑΠΟΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ
## IN SECVNDVM VOLVMEN ORATIONVM CIC.


Acta publica leges præcipue: priuata testamentum 181.

Actutum 244.

Accusationis ratio 38.

Adolescentiæ ætas 46.

Adolescentiæ cupiditates 43.

Alexander Macedoniæ tricesimo anno obijt 23.

Alpes Italiam munierunt pop. Rom. 76.

ἀμνησία Athenienſium 153.

Animas inferorum elicere 31.

Animus 118.

Animus immortalis 27.

ἀντίθετον pulchrum 58. 119.

Antonius Cæsari ad Lupercalia regnū detulit 177.

Antonius flamen Cæsaris 181.

Antonius filium suum obsidem in Capitolium pacis misit 159.

Antonius Dictaturam tollere cogitauit 153.

Antonius conatus est P. Clodium occidere 270.

Antonius non latinus 187.

Antonij auus 159.

Antonij filius obses pacis 177.

Antonij libidines 169.

Antonij luxuria & profusus sumptus 173.

Antonij in Lupercalibus facinus 176.

Appius Claudius cæcus 44.

Aquaria prouincia 31.

Argumenta firmiora quam teſtes 41.
Argum. ex adiunctis 91..
Argumentū ex comparatis 20.l 22.65.l 4. & 66.l 10
Arg. ex coniugatis 238.l 15.
Arg. ex coniunctis 48..111.
Argumentum ex coniunctis refutatum 38..
Arg. ex contrarijs 61.l 30 108..l 13.& 109.& 192..
Argumentum ex differentibus 41..l 15.
Arg. ex pari 112.
Arg. ex relatis 123..l. 7.
Arg. ex ſimili 123..l 21.
Ariopagitæ Athenis ciues Romani 60..
Ariſtarchus 95.
Ariſtides vnus omnium iuſtiſſimus 27.
A. Hircius infirmus corpore contra Antonium Cōſul præfectus 211.
Augures Ioue fulgente cum populo agi nefas eſſe reſponderunt. 33.
Auguſtus qualis occiſo Cæſare 184.& 191..
Bellum 214..
Bellum pacis nomine inuolutum eſſe nudandum 212..
Brutum ſtirps 155.
C. Cæſar 97.
C. Cæſar naturæ & gloriæ ſe ſatis vixiſſe dixit 234..
Cæſaris res geſtæ & dotes 182..
C. Cæſaris virtus 129.
Cæſaris & Ciceronis coniunctio, offenſio 76..
Cæſar nequam & perditis familiaribus delectabatur 175..

Cæſaris



Cæſaris percuſſores 165..
C. Marius 88..
C. Marius paludibus demerſus 14.
C. Rabirij perduellionis rei cauſa 80.
Calliſthenes ab Alexandro necatus 126.
Caſus & conſilium 132.
Catilina multa adumbrata ſigna virtutum habuit 39..
Cenſoria ratione quinto quoq; anno de moribus iudicabatur 81..
Cicero augur à Cn. Pompeio & Q. Hortenſio nominatus 161.
Cicero parens patriæ nominatus à Q. Catulo 80..
Cicero Gabinium defendit 127.
Ciceronis reditus in patriam 90..
Ciceronis reditum ſi quis impediſſet, in hoſtium numero erat habendus 87.
Cic. verſus, cedant arma togæ 95.
Ciuitatum multarum eundem eſſe licere 60.
Claudia veſtalis 44.
Clodij facinora 115..
Cn. Domitius M. Scaurum accuſauit 150..
Comes 62..
Comiter 62..
Comparatio amplificatoria 69..
Comparatio contrariorum 111..l1
Comparatio differentium rerum 185.l 5
Conglobatio effectorum 15.28. 212.
Conglobatio coniunctorum 146.l 30
Conſul cuiuſmodi eſſe debeat 84.
Contraria contrarijs oppoſita, ſingula ſingulis 39.

Conuicium 38..
Cornelium Balbum tres defenderunt, Pompeius, Crassus, Cicero 58.
Cupiditates adolescentiæ 43.
Demetrius Phalereus in Aegypto vita priuatus aspide corpori admota 126.
Dextræ fidei testes 231.
Dictaturam Antonius tollere cogitauit 153.
Digestio 37..39.17 & 88..124
Dignus quid sit 186..
Διλημμα 48.
Dicœcetes Regius 126.
Disperditio vrbis 188.
Effectorum conglobatio 15.28.212.
εἰρωνεία 29..117
ἐνθυμημα 173. & 180.
ἐπανόρθωσις 44.
Epicureorum sententia 88..
Equestris ordo solutus & liber 125.
Exilium ibi est vbi virtuti non est locus 121.
Falsa manifesto contemnit & præterit 42..
Festis diebus etiam iudicia fieri 37..
Fors domina campi 80.
Fortuna in re militari 132.
Furiæ impiorum 89..
Furoris definitio oratoria 89..
Gabinius Semiramis Syria 71
Gallicum bellum imperatore Cæsare 73.
Gallos Rom. Imperatores refutandos potius quam lacessendos putabant 75..
Glaucia homo impurus 125.

Gloria



Gloria 120..
Gloria vera 26..
Gloriæ via à voluptatibus libera est 26..
Græcus Pisonianus 94..
Herculis corpus ambustum 27..
Homines feri primo, deinde ex feritate ad iusticiam atque mansuetudinem translati 22..
Honoris & laudis vera via 26.
Hypallage 158. 112.
Hyperbole 90..
Hyperbole oratoria 15.
Iani medij patronus L. Cæsar 212.
Imitatio Platonis de conditis ciuitatibus 122.
Imperium extraordinarium 234.
Inuictissimus 87.
Iracundia inimica consilio 132.
Ire ad saga 207. & 206.
Iudicis officium 124..
Iudicia fieri etiam festis diebus 37..
Iupiter Latialis 118.
Iusticiæ consultus 223.
Iuuentuti quædam indulgenda 46.
κατάφορὰ περιβολὴ 69. 116
κατάστασις ordinis 160..
κατάστασις in confirmatione i. Digestio ordinis 58.
κῦκλος 105. 120
Laudis & honoris vera via 26.
Legatis quatuor occisis à Tolumnio rege Veientorum, statuæ erectæ 221..
Leges annales 203..

Leges, acta esse 156.
Lex quid sit 236..
Lex Ciceronis gladiatoria 36..
Lex Helia & Fusia centũ annos durarunt, sublatæ Pisone consule 81..
Legio Alaudarum 156..
Legio Martia 184..
Libertas 190..
Libertatis iura 61.
L. Cottæ sententia de reuocando Cicerone 19..
L. Opimĩj monimenta 27.
L. Opimĩj condemnatio 100.
L. Sylla chlamydatus 126..
Luperci 42..
Luxuria 94.
Luxuria Pisonis 94.
Macedonia triumphalis prouincia 89.
Macedonia vexata à Pisone 70.
Maledictio 38..
M. Crassi pater seipsum occidit 13..
M. Drusus occisus 104.
M. Lepidus Sextum Pompeium ciuitati restituit 202.
M. Marcellus in mari periit 89.
M. Regulus 88..
Martia legio vnde dicta 192.
Martiæ & quartæ legionis honores 264.
Matris magnæ Pessinuncius sacerdos 15..
Medicina non est sanè corporis parti scalpellum adhibere, sed carnificina 26.
Membratim facta oratio 39.. 11 41.. 110 & 123. 113.

Metaphora



Metaphora 33.
Metaphoræ continuatæ 26.
Metaphoræ continuatæ ἀλληγορικῶς 41. 127.
Miltiades 27
Mors naturæ finis non pœna 121.
Nitedula 19.
Nudiustertius decimus 195.
Oculorum flagrantia 47..
Optimates qui sint 23. 26..
Optimatium princip. 6.
Oratio membratim facta 39.. 11. & 41.. 110.
Orator cœtu & multitudine gaudet 144.
Pacis nomen dulce 246.
Pacis inimici exterminandi 246.
Pax 182.
Pax non pax, sed pactio seruitutis 242.
παραδειγματώδης ὑπόθεσις 13..
Paria paribus relata singula & terna 26.. 118
Paria paribus relata tria tribus, ordine inuerso 142.. 119
Partitio in exordio 153.
Pecunia publica cruenta sed non necessaria, quia non redditur his quorum est 156.
Periodi bimembres 125.. 233 1 28
Periodi duæ bimembris. 40. 115
Periodus duorum membrorum μειωρὴς 60. 1 2
Periodus trimembris 65.. 1 7
Periodicum trimembre redditione vnius membri παθ' ὑπέρβατον 29. 11
Periodus quadrimembris 88. 12
Periodus quadrimembris κεκλασμένη 83.. 110

Perio-

Periodus quadrimembris cum interspiratione longiuscula 260.
Pestes pestibus 32..
Philosophorum sectæ 46.
Pisonia administratio Macedoniæ 97..
Piso Macedoniam prouinciam vexat 70.
Pisonis collegæ 84.
Pisonis reditus ex prouincia Macedonia 91.
τὸ πλαγὸν 89..
Plato apud Dionysium Siciliæ Tyrannum in periculis versatus 126.
Platonis imitatio de conditis ciuitatibus 22.
Platori hospiti Pisonis incisæ venæ à medico 97..
Pœnitenti optimus portus mutatio consilij 240..
Populares qui sint facti 77.
Populus fundus factus 58..
Populi Rom. propria libertas 209.
Populi voluntas quibus locis significabatur 24.
Populi voluntas quando spectetur 30..
Posteriores cogitationes sapientiores 24.
Præmunitio anterem 158.
προσωποποιΐα 44. & 45.
Prouerb. viuus ac videns 16..
Prouincia aquaria 31.
P. Africano vis illata domi 104.
P. Decius 13..
P. Rutilius soccatus & palliatus 127.
Ptolemæus rex publicatus 16.
Q. Mutius 13..
Regis virtutes 148..
Reges frugi nominare nō multū laudis habet 149..

Regum



Regum imperia 127.
Reip. propugnator Senatus 26..
Religiones inexpiabiles 155.
Repetitio primi verbi breui interuallo cōtinuata 193.
Repetitio primorum verborum 221..
Repetitio medij verbi continuata 159.
Repetitio extremi verbi 112..
Rheni fossa 97.
Romana responsio. 26..
Romani Græcis vestibus vsi 126..
Sacra Cereris 66.
Sacrosanctum 61..
Sagunti oppugnatio causa secundi belli Punici 99..
Sanctiones quomodo sacrentur 61..
Sapientia 247.
Senatorum conditio 125.
Senatus consultum de Bruto factum 201.
Senatus consultum C. Cæsari C. F. factum 203.
Senatus consultum pro M Lepido 202.
Senatus propugnator Reip. 26..
Sententiæ rerum magnarum 117..
Seruitutem Romani ferre non possunt 228.
Seruius Sulpitius in legatione ad M. Antonium mortuus 221.
Seruitus 182. 185.. 190..
Seruitus pax non est 216.
Sex. Clodius prætextatus per ludos compitalitios 81.
Similitudo breuis & elegans ante conglobationem effectorum, & eidem post quoque subiecta 171.

Spurius

Spurius Melius 115.
Status scripti & voluntatis 221..
Supplicium 88..
Syria vexata à Gabinio 71.
τάξις περιοδικὴ 234. l 11
Temeritas & sapientia 132.
Themistocles 27.
Thesis syllogistica, nemo studiosus literarum voluptati deditus 47.
Thesis de veris honoribus & gloria 26.
Thesis quæ verè gloria 158..
Thyestea execratio 88..
Tib. Gracchus 115.
Tigranes supplex à Pompeio recipit insigne regium 16.
Tribuni plebis decem 32
Tribuni plebis appellati à Vatinio ne causam diceret 35.
Triumphus applicatus 92..
Triumphi consecuti Romani 92.
Tumultus 214..
Tyrannicidæ Græci 117.
Vatinius Pythagoricus 31..
Vatinius cum toga pulla in epulo Q. Arrij accubuit 35.
Vatinij in M. Bibulum iniuria 33.
Vectius adiutor Vatinij in sceleribus 33..
Vectio fractæ ceruices à Vatinio 34..
Veprecula 19.
Verba poetæ antiqui 257..
Verba propria 40 146. 179. l 20.

Verbi



Verbi proprij inuestigatio 139..
Verbi medij repetitio continuata 159.
Verborum primorum repetitio 221. 193.
Verbi notatio 233..
Vetustas omnia consumit 323..
Victoria natura insolens & superba 132.
Vir fortis 120..
Virgines nobiles sese in puteos abiecerunt depellendæ turpitudinis causa 70.
Virtus 193..
Virtus stabilis & firma 16..
Virtutis celerior quam ætatis cursus 23..
Vis 127.
Viuus ac videns, prouerb. 16..
Vrbanitas 38..44. & 155.
Vsus assiduus sæpe artem vincit 64.
Vtinam ne in nemore Pelio principium 41.
Vulturius 19.

FINIS.

æ ß a b c d e f g h i k l m n o p q r s
t u x y z A B C D E F G H
I K L M N O P Q R.

j aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn
oo pp qq rr ss tt uu xx yy zz
AA BB CC DD EE FF GG
HH II KK LL MM NN.

Omnes Quaterniones præter xx Quin
ternionem.

j aaa bbb ccc ddd eee fff 2 fff ggg hhh
iii kkk lll mmm nnn ooo ppp qqq
rrr sss ttt uuu xxx yyy zzz
AAA BBB CCC DDD EEE
FFF GGG HHH III
KKK LLL
MMM.

Omnes Quaterniones præter MMM
Quinternionem.

Argentorati per Iosiam
Rihelium.

ANNO M. D. LXXVIII.
Mense Iulio.